



Q. D. B. V.

AD

GENEROSAM AC PRÆNOBILEM

HOLZHUSIORUM GENTEM

DE

Vero Mortis Genere, ex quo

HENRICUS VII. IMP.

OBIIT,

DISSERTATIO,

Qua quicquid ejus apud antiquos pariter ac recentiores Historicos reperiri potuit, discutitur, variaque scitu non injucunda admiscentur.

AUCTORE

MARTINO DIFENBACHIO

Mœno-Francofurtano.

FRANCOFURTI,

Sumpt. JOHANNIS DAVIDIS ZUNNERI.

Prelo JOHANNIS PHILIPPI ANDREÆ. 1685.

Antiqua Nobilitate Illustribus ac Præstrenuis

DOMINIS

JOHANNI HECTORI,
JOHANNI GEORGIO,
ET
JOHANNI MAXIMILIANO
ab
HOLZHAUSEN,

Pervetustæ ac Nobilis HOLZHUSIORUM prosapiæ

DECORIBUS,
PIIS,
SPLENDIDIS,
BENEFICIS,
verè adeo
MAGNIS,

DOMINIS AC MÆCENATIBUS MEIS GRATIOSIS,

Æternam Felicitatem.

DOMINI,

NOn, ut aliis, prolixa mihi excusatione opus est, nec causæ etiam, multorum exemplo, longè sunt arcessendæ, quare, quam modo offero, Dissertationem Illustri Nomini *Vestro* inscribam. Ecquibus enim aliis potius quam *Vobis* illa debetur, quibus imputandum unicè est; quicquid literarum proficisci à me potest. Ad fontem flumina, unde exeunt, revertuntur, cunctaque originem sui primam grata repetunt: Refluit sic in nobilissimam HOLZHVSIAM gentem, ab ea quod profluxit. Solvam ænigma, & explicatius, quid velim, edisseram. Tertius jam annus labitur, ex quo singularem benignitatem *Vestram* apertè prolixeq; experiri cœpi, quando perliberali stipendio, ut cœptam apud Saxones studiorum telam in Celeberrima Triboccorum Schola continuare ex voto valerem, effecistis. Quod beneficium per sanè magnum fuit, prorsusque tale, ut ad rerum mearum ornamentum ac felicitatem pertineret. Au-

xit gratiam, quod iſto beneficentiæ *Veſtræ* rivo campos laborum ac vigiliarum mearum irrigare nondum deſiiſtis, tamen etſi publico me officio admotũ indigere eo amplius illi irent inficias, quibus parſimoniæ quam liberalitatis major cura eſt. Id verò cum Cives noſtri omnes ſciant, tum par ac juſtum eſt, à me ſine adulatione prædicari, ut exteri etiam intelligant, memoriã ejus mihi ſemper recentiſſimam eſſe, utque me interprete erudito orbi magis innoteſcat, locum inter eos ultimum HOLZHUSIOS nequaquam occupare, qui ſacra ſtudia eorumque Cultores opera & conſilio juvare ſtudeant. Iniquus enim omnino eſſem in benignitatem Veſtram, *Nobiliſſimi Domini*, niſi æquè iſta calamo abſentibus ac futuris, ut ore & lingua præſentibus, memorarem. Quò fit, ut hæ paginæ jure quodam *Veſtro* ad *Vos* pertineant, nec ſine inſigni ἀχαριστίᾳ vel omitti, vel alterius alicujus Nomini conſecrari poſſint. Quanquam de cætero priſca ſcribentium conſuetudine receptum ſit, ut eorum laudibus, quibus ſuas lucubrationes nuncupant, bonam præfationis partem occupent, tamen illam non imitor, qui ſatis nempe habeo, publicum aliquod obſequii & voluntatis meæ teſtimonium ad aram in auguſto gloriæ *Veſtræ* fano ſuſpendiſſe, quiq; * *verecr, ne veſtram cum amplificare* (tenui mea ſcriptione) *velim, imminuam et-*

iam

*Cicero lib. IV. Acad. Quæſt.

iam gloriam. Non alioqui difficile foret, plurimos illis quaterniones replere, Sive enim antiquitatem generis æstimem, quæ nobilissimam *Vestram* stirpem Solis instar decorat; sive meritorum copiam considerem, quibus ad exemplum generosissimorum Majorum *Vestrorum* augustam Patriam nostram V*obis* obæratis, multa in hanc sententiam essem argumenta reperturus. Equidem cum generis V*estri* amplissimi primordia sector, præclarissimis illud jam olim nominibus invenio esse nobilitatum; Quemadmodum verò laus illa generis absque virtute inanis sine laude titulus fucusque est, hæc cum sola nobilitatem per illustria facinora pepererit * primùm, ejusdemque conservatrix adhuc maxima sit, ita HOLZHVSIOS ab illa non deflexisse hactenus tantò nobis compertius est, quantò est manifestius, seram in HOLZHVSIA stirpe posteritatem potioribus semper in urbe nostra honoribus fuisse cumulatam. Non evolvam hoc in loco Præcellentissimæ HOLZHUSIÆ gentis natales, quos vetustas, ut perspectos satis habeamus, vix permittit, neq; producam *Henricum, Rudolphũ Geipelium, Joannem* excellentissimi HOLZHVSIANI Nominis atq; avitæ virtutis decora, quos suprema Prætoris dignitate seculo jam post decimum quarto apud

nos

* De Veterum Domicellis, quos Junck-Herren quasi juniores Dominos vocamus, lege ex *Frebero, Bignonio, Lindenbrogio* atque aliis *Arnoldum Buchelium* in notis ad Hedam p. 48. & *Carolum du Fresne* Glossar. part. 2. p. 146. De *Patriciis* videndus *Johannes* Jacobus *Draco* erudito *de origine & Jure Patriciorum* tractatu A. 1627. Basileæ edito.

nos eminuisse ex non corruptis monumentis didici. Nõ silebo tamen stirpis *Vestræ* Heroa AMANDUM ab HOLZHAUSEN Tritavum vestrum de patriæ salute & gloria ita meritum, ut homo planè nemo sit, cui FRANCOFURTUM plus debere se non solùm agnoscat, verùm etiam profiteatur. Hunc * accepi, cum divinum sacrorum repurgandorum institutum superiore tempore in Germania obtineret, præ aliis omnibus hanc in curam incubuisse, ut eidem patulas etiam nostri aures præberent, facto initio in æde D. Catharinæ sacra, cujus tunc ipsi cura commissa fuerat. *Justiniani*, *Achillis*, *Joannis Hectoris*, *Ioannis Adolphi*, Patrum Avorumque vestrorum merita nec ego, nec disertissimus quisq; laudare satis potest. Et percensere singula forte modestiæ magis vestræ, quam meæ esset futurum industriæ molestius. Quod olim (ut verborum compendium fiat) de SCIPIONUM gente celebre dictum fuit, natam eam ad Karthaginem vincendam, simile de HOLZHUSIA dixerim, natam eam ad Francofordiam ornandam & conservandam. Reliqua laudum ac precum capita in animo facio, illoque dico & impleo, si quid ore aut stilo omisi. Concludam igitur, si prius Vos, *Viri Maximi*, rogavero, ut qualemcunque hanc Dissertationem

serena,

* Lege *Matthæi Ruteri* pientissimi olim in hac urbe Ecclesiastæ præfationem ad sermones de S. Cœna Anno 1584. hic excusos.

ſerena, id eſt, familiæ *Veſtræ* propria fronte accipiatis, nullaque ex cauſa alia conſcriptam à me eam fuiſſe certò ſtatuatis, quam ut index grati animi eſſet, & meæ in *Vos* reverentiæ æternum monumentum. Valete *Excellentiſſimi* HOLZHVSII, & quod pietas votum exprimit, in perpetuis poſteris nunquam imminuta felicitate vivite ac florete.

DEUS
GENTEM HOLZHUSIAM
STIRPE, MERITIS, PIETATE
ILLUSTREM
OMNI BENEDICTIONUM GENERE
IN PERPETUUM
FORTUNET!

Scribebam ad Mœnum Francofurti, medio Menſis Septembris Anni Chriſtiani CIↃ IↃCXXCV.

Florentiſſimi HOLZHVSIANI N*ominis*
æternùm devotus Cliens

atque


Obſequentiſſimus Beneficiarius

Martinus Difenbachius.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

De Dissertatione hac rationem operosè ut reddam, necessarium non arbitror, Lector benevolentissime. Necessitatem ejus præcedens allocutio satis superque significat; quæ & me excusatum facile dabit, cur, qui bene latere potuerim, in eruditissimi tamen hujus seculi theatrum inter varios ingeniorum ac judiciorum gustus ausus fuerim prodire: Pietas enim erga HOLZHUSIOS, postquam generosa isthæc familia in clientelarem me fidem recepit, velim nolim hanc me personam suscipere coegit, cui compertum aliàs probè est, quam facile literatus orbis fœtu hoc meo immaturo carere potuisset. Nec tanti mea facere soleo, ut obtrudam ea eruditis, aut qualiacunque sint haud displicitura confidam. Neque ea ingenii mei vis est, valeam ut id omne, quod velim: Mei insuper quotidiani labores, quibus tantum non supprimor, præstare illud non sinunt, quod possim alioqui velimque. Aliud igitur & præstantius negocium agant, qui rectum nihil nisi quod ipsi faciunt, putant, librumque minus innocentem sibi seligant, in quem genuinum frangant, quam ut consilium meum atque institutum criminentur. HOLZHUSIIS placere mea cupit pietas, nec discere ab eruditis, corrigi & informari, quæ mihi inest discendi cupido unquam detrectabit. Erunt & forte, ut sumus omnes ad reprehendendum nimis faciles, qui tenue dicendi filum & incomptam orationem mihi objicient, sed illi, quicunque sunt, scire debent, non eadem omnibus honesta atque turpia esse, neque conducere semper, ut ea, quorum perspecta veritas est, multo cum apparatu aut exquisito ornatu proponantur, cum gratior ut plurimum sit verborum simplicitas, & non incuriosa atque ab omni ostentatione aliena diligentia magis quandoque delectet: Fieri etiam vix posse norint, ut qui barbari ævi sterquilinia excusserit, ejus dictio aliquid limi non trahat. Nitidiora illi edant, quibus plus & ingenii & ocii & verborum est. Caput autem & summa totius Dissertationis circa verum mortis genus ex quo *Henricus VII.* Imp. obierit, versatur, quam in *thesin, antithesin* & *porismata* vulgari modo dispescere libuit, illam sectione *prima*, istam *secunda*, & hæc *tertia*, qua potui brevitate & simplicitate maxima, exhibendo. Quantum ad ultimam fateri habeo necesse, haud paulò plura, maximè quæ *ablutionem calicis* in Romana Ecclesia usitatam spectant, dici à me atque observari potuisse: sed meminisse debes Lector humanissime, quod hic loci præsidia ad istiusmodi tractationem necessaria nos deficiant universa, quodque bibliopolia nostra nullum talem apparatum contineant, qui studio isti sufficere queat; Quando præterea ipsum talium rerum studium admodum intricatum est & corruptelis multis inquinatum, atque ab reliquis meis occupationibus otium rarò conceditur satis commodum. Spero eapropter, si quid in universum & sigillatim in tertio capite posset desiderari, (quale scio, multum potest) emendaturos id doctiores, capturosque ex eo ansam hoc de Romanensium ritu uberius differendi atque elegantius. Quod verò παρεκβάσεσι, atque uti à *Fabio* appellantur, egressionibus crebrius hinc inde indulserim, malè illi non interpretabuntur, qui eam mihi mentem fuisse intelligent, ut hæc qualiscunque lucubratio mea non jejuna omnino Patronorum meorum conspectui se sisteret: Sanctissimè tandem obtestor, nullius me famam vel lædere vel imminuere, verbaque hinc *Limnæi* Notit. Regn. Franc. lib. I. c. 3. p. 37. quasi mea adscribo: *Ego memor, paucorum crimina in omnes diffundere, & toti nationi atque ordini ea adscribere, quæ individuorum particularia sunt, non esse sine crimine, hic aliud nil egi, quam quod eum qui vel lecta vel percepta referre suscepit, facere addecebat.* Ovidius Epistol. ex Pont. lib. III. Eleg. IX. quid te voluerim modo, Lector, paucis significet.

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque fuit.





QUum igitur hæc Diſſertatio facti, ut in Scholis loquuntur, quæſtionem habeat, pendeatque potius à teſtium aſſeveratione, quam rationis atque argumentorum ſubtilitate, libet omnium gentium ac linguarum teſtimonia emendicare, omnium doctrinarum & literarum homines atteſtari, cunctos veteres ac recentes auctores proferre, nec eorum quicquam relinquere intactum vel neglectum, quod ad cauſam quomodocunque illuſtrandam facere videbitur. *Nobis haud licet*, appoſitè inquit *Joh. Baptiſta Ricciolius* in Chronolog. Reform. Tom. I. lib. 1. cap. 19. p. 34. a *divinando quæſtiones facti pro ingenii arbitratu decidere; cum antiquitatis conſuetudines ex antiquis ſcriptoribus ac teſtibus fide dignis comprobandæ ſint.*

SECTIO I.

Sunt autem præcipui intoxicationis aſſertores ex ſeculo XIV. adeoque σύγχρονοι

§. I. PRimò *Ephemeridum Henrici VII. ſcriptores*, qui quæ in itineribus cum eo in Italiam ſuſceptis viderunt & obſervârunt, diligentiſſimè ſuis ephemeridibus inſeruerunt Teſtari eos de ſcelere iſto ex *Cuſpiniano* novimus, qui in opere eruditiſſimo de Imperat

peratoribus Romanis in Henrico VII.p.367. ita ſcribit: *Qui Henricum Romam ſecuti ſunt, atq; ſingula in formam ephemeridis conſcripſerunt, hunc Monachum à Florentinis ſubornatum aſſerunt.* Nulli verò dubitamus, Cuſpiniano Ephemeridum ſcriptores viſos fuiſſe ac lectos, utinam & nobis! Teſtatur enim *Nicolaus Gerbelius* Phorcenſis in præfat. ad Lectorem, *quod Cuſpiniano ex Cæſaris* (Maximiliani) *liberalitate & beneficentia omnes undique vetuſtiores Bibliothecæ patuerint, omnia Ducum Auſtriæ ſecretiora ſcrinia & ἀρχεῖα, ex quibus is multa, quæ ab aliis prætermiſſa ſint, diligentiſſime & accuratiſſime depromſerit.* Et ipſe *Cuſpinianus* in Auſtria ſua in Catalogo Ducum Auſtriæ p. 46. *ſe omnes angulos & Schedas disquirere* fatetur, *ut ſtudioſos juvet.* Eo adhuc minus de Cuſpiniani fide dubitamus, quòd *Jacobi Mejeri* auctoritas accedit, qui lib. VII. Annal. Flandriæ p.72. *Ephemeridas tunc temporis de Henrici actis conſcriptas* horrendi facinoris hiſtoriam continere pariter confirmat. Nec ipſe *Bzovius* Tom. XIV. Continuat. Annal. Baron. ad ann. 1313. n. 16. p. 214. id Ephemeridum ſcriptores negâſſe aut aliter tradidiſſe audet aſſerere, licet varia quærat, quibus vim argumenti elidere conatur, & ſatis quidem impiè atque abſurdè, ut infrà in ſectione II. patefiet. Neque officit nobis, quòd nec Ephemerides ipſas habeamus, neque qui & quot eas ſcripſerint aut etiam quò pervenerint, dicere poſſimus atque enarrare: Disquirit eam in rem diligentiſſimus Vir *Felix Oſius* in notis ſuis ad Muſſati Hiſtoriam p.6. a. & fatetur, *liquere ſibi nondum potuiſſe, etſi Vates ea de re multos conſuluerit*; quòd tamen fuerint, qui acta ejusmodi conſcripſerint collegerintque, & certus ipſe eſt, & certos nos jubet eſſe, cum ex *Albertini Muſſati*, quod ibi producit, teſtimonio, tum ex *Ferretti Vicentini* Hiſtorici nondum typis exſcripti præfatione in Hiſtoriam, quam ab An. MCCL. usque ad MCCCXVII. perduxit, de qua *Voſſium* Oſii ſummum amicum vide *de Hiſtoricis Latinis* lib. III. cap. 7. p. 794. Quod ſi enim nobis, qui Pontificium jugum feliciter excuſſimus, adeo felicibus eſſe liceret, ut quæque Archivorum ac Bibliothecarum arcana videre poſſemus, atque in uſum noſtrum convertere, plura forte Paparum Monachorumque peſſima & Diabolica conſilia, commenta ac molimina

limina in lucem proditura essent. Unde fit & factum hactenus est, ut quæ parti suæ nocent, vix illis etiam Paparum servi perlustrare concedant, de quorum fide ac cœca obedientia certo certiores sunt. *Baronio* & ejus fidei hominibus difficile non est, ex Vaticana & aliis Bibliothecis Manuscripta, sæpe vel conficta, vel adulterata, vel additionibus & detractionibus, aut alio quocunque modo depravata contra nos allegare, difficilimum verò nobis, quos potentior manus arcet, adversantia ipsis scripta vi aut precibus ex eorum scriniis liberare, aut etiam ipsorum, quos contra nos producunt, codicum veritatem indagare, quo de meritissimo jure præter alios conqueritur *Edmundus Albertinus* lib. II. de Eucharist. p. 861. *Quot ipsi* (Papistæ) *libros ex Bibliothecis Italicis & Hispanicis quotidie eruunt & edunt, de quorum licet fide dubitare jure possimus, propter expurgationis mandatum, penes nos tamen minimè est, absque vivicomburii certissimo periculo ad Codicum MS. veritatem explorandam Romam, aut Salmanticam ac Toletum ire?* Sufficit interea nobis, illorum nos niti testimonio atque asseveratione, quam alibi Papalis Monarchiæ Patroni magni facere solent ac commendare. Ut ne quid dicam, quòd scriptores hi rem gestam ipsi oculis suis inspexerint, testesque adeo & coævi sint, & quod familiam ducit, oculati, quippe ex *Plauti* sententia Trucul. Act. II. scen. 6. v. 8. & 9. *pluris oculatus testis unus est, quàm auriti decem, Qui audiunt, audita dicunt, qui vident planè sciunt.*

§. II.

Post Ephemerides earumque confectores *Ptolomaus de Luca* sive Lucensis, Episcopus Torcellensis & Bibliothecæ Vaticanæ Moderator, qui temporibus Henrici VII. & successoris ejus Ludovici Bavari claruit communiter ac meritò allegatur. Atque hîc repetimus rursum, quæ præcedente paragrapho desideria nostra fuerunt. Hujus enim Celebris Historici, *Ecclesiastica Historia*, in qua Monachi scelestum facinus perspicuè tradidisse fertur, nondum in lucem protracta est, sed manuscripta solùm superest in Bibliotheca Vaticana n. 3766. Vid. *Baron.* Tom. XII. Annal. ad an. 1185. n. 11. p. 792. Atque hanc si Romani germana atque incorrupta fide ede-

rent, quod forte facturi nunquam sunt, esset, quòd candorem eorum & sincerum antiquitatis studium laudaremus. Quod si, unde *Ptolemaeum Lucensem* affirmare id in ópere illo sciamus, quaeratur, *Blondus Flavius*, *Jacobus Wimphelingius*, *Paulus Langius*, *Albertus* Kranzius, *Johannes Cuspinianus*, *Iacobus Meyerus* aliique sequentibus numeris magnâ copiâ adducendi pro nobis respondebunt, qui omnes una mente ac calamo ad illius consensum provocarunt. Procul dubio autem Viris his fide dignissimis Historia illa Ecclesiastica visa ante fuit & lecta, quam in Vaticanae Bibliothecae infernum, ex quo ejusmodi scriptis nulla speranda redemtio est, fuit protrusa. Unde enim auctores isti omnes ad unius testimonium & consensum in eadem re appellarent, quos alterum alterum exscripsisse non solùm verosimile non est, sed nec forte absque eorum ac temporis locorumve injuria dici poterit. Certè *Nicolaus Gerbelius* JC. qui Cuspinianum de Caesaribus Anno 1540. edidit, in Catalogo auctorum, quos Cuspinianus citavit, suam ipse αὐτοψίαν allegat scribitque: *Ptolomaeus Lucensis, liber immensus, quem vidi.* Neque de nomine tantùm *Ptolomaei Lucensis* hoc in negocio nobis constat, sed diligentia *Abrahami Bzovii* in Continuat. Annal. Baron. Tom. XIV. ad an. 1313. n. XVII. p. 214. fecit quoque, ut verba ipsa in ejus *Historia Ecclesiastica* libro extantia, exhibere hîc possimus, quae ex *Bzovii* fide haec sunt: *Post hoc Caesar fortunam in mari experiri conatur: Jussit per nuncios tractari varia & plurima: & profectus usque Orgiam fluvium peracta coena in fluvii ripa consedens, tinctis ob refrigerationem in aqua etiam cruribus subeuntem sensit languorem, & comperta sub dexteri cruris genu pustula, quae aux* (pro quo *Bzovius* legendum putat *antrax*) *vocatur noctem duxit insomnem. Additio Intoccitatus fuit per quendam Fratrem de Ordine praedicatorum in speciebus Corporis Christi, ut à suis audivi, qui secum fuerunt. Et forte iste legerat de Victore tertio supra, & hoc dedit Imperatori in speciebus panis quod* * *Victor in vini speciebus percepit.*

* Consentiunt Annales ejusdem *Ptolomai* ad an. 1086. p. 35. *Hic fertur venenatus fuisse in calice, ut scribit Martinus, consecrando videlicet sanguinem Christi.* Vide de facto hoc plura veterum testimonia sub finem hujus sectionis.

pit. Prædicatores enim ex hoc multas tribulationes sustinuerunt in Alamania ex prædicto facto. Et dato manè signo tollendorum castrorum Bonconventum properat, parum XII. milliaribus à Senis distante, ibique viam universæ carnis ingressus est, regni sui anno quinto, Imperii autem anno primo, mense uno & diebus XXIV. in die S. Bartholomæi, * *qua die Corradinus à Carolo Neapoli securi percussus est. De morte Cæsaris Henrici nota versus:*

Cæsaris Henrici mortem plangamus amici
Qualiter hic vitam finivit per Iacobitam.
Per corpus Christi venenum tradidit isti,
Hinc in laude DEI moritur die Bartholomæi
Est Pisam latus, & cum fletu tumulatus
Anno Milleno tricenteno terdeno.

Hæc se scribit *Bzovius* in codice Vaticano pervetusto Ptolomæi n. 3766. reperisse, quæ num bona fide nobiscum communicaverit, atque ex vero sincero que Ptolomæi codice descripserit, eorum res indaginis est, quibus per nummorum abundantiam Romam ire datur, quosque religionis diversitas Bibliothecæ Vaticanæ *Manuscripto-*

* Confer quæ de *Corradino* capite mulctato *Ptolomæus* habet in Annalibus ad an. 1268. p.160. seqq. Absurdus est præ amore erga *Clementem* IV. *Bzovius* in Continuat. Annal. Baron. Tom. XIII. ad an. 1268. n. IX. p. 630. quando A. 1269. die 26. Octobr. Conradinum securi percussum esse scribit, saltem ut evincat Pontificem paulò ante mortuum ad factum hoc nec consentire potuisse nec illud suadere, cujus tamen contrarium paulò ante §. II. ipse adstruxerat. Facit aliòqui hic cum *Ptolomæo Lucensis* additione *Albertinus Mussatus* tantopere à *Bzovio* in historia hac intoxicationis contra nos commendatus, cum lib. 1. de gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem rubric. 1. pag. 1. refert, *actas a multis sublimes* Bartholomæo *Apostolo laudes, exenniaque decreta in ejus annua festivitate perpetua, qui in lapsos populos Imperii cruciatibus jam bis Apostolica pietate prospexerit, fuso Corradino de Steph & hoc Henrico vita sublato.* Sed rectè *Iustus Lipsius* Monit. & Exempl. Politic. c. XIV. p.m. 182. *Omnia in hoc facto sævitiam, & barbariem habens.* Adstipulatur *Maimbourg* Histoire des Croisades Tom. IV. lib. XII. p. 247. Addere de cætero hoc Corradini exemplum potuisset *Paulus Eberus* ad diem XXIV. Augusti in Calendario suo Historico p. 278. quo etiam historiam de Henrico Imp. veneno necato adduxit, uno hoc lapsus, quod An. 1311. factum id putet, sibique contradicens triennio post illius obitum Anno nempe 1313. d. XV. Augusti (ut ad hunc diem p. 269 notat) ossa ejus Pisam translata fuisse scribat. Eundem errorem erravit *Abraham Saur* in Calend. Histor. ad D. XV. Aug. p. 457. & ad D. XXIV. ejusd. p. 470. De infamia diei XXIV. Augusti S. Bartholomæo sacri ob Parisienses nuptias An. 1572, cum luctu cædeque Reformatorum eodem celebratas legi *Iacobus Augustus Thuanus* potest, Histor. sui temporis lib. LII. Tom. I. p. 1058. b. Et Comment. de Vita sua lib. I. Tom. III. Histor. p. 1166. a.

scriptorum nomine omnium citra controversiam hodie principis censente ita *Hermanno Conringio* de Biblioth. August. p. 70. scrinia pervagari non impedit. Quam minimè enim sola hîc Bzovii fides ac persuasio sufficiat, infra in II. sectione pluribus commonstrabitur, cum ne nauci quidem faciendam eam esse evincemus. Interim accipimus testimonium, sicut Bzovii liberalitas id nobis permittit, sive ipsum Ptolomæum auctorem agnoscat, sive alium quem scriptorem coætaneum. Tela autem, quibus Bzovius narrationem istam cooperire, suspectamque reddere studet, facile sine noxa excipere licet, etsi de cætero assensum ipsi nostrum suspendamus. Ipse Bzovius dicit, *Ptolomæum Lucensem Ecclesiasticam suam Historiam* (ex qua verba modo adscripta deprompta fuisse ait,) *ad annum Domini MCCCXLII. produxisse*, quod idem & *Vossius* asserit de Histor. Latin. lib. II. c. 64. p. 509. *pertexisse eum* scribens, *Historiam suam usque ad annum* MCCCXLII. *quo Papa factus Clemens VI. quinquennio ante obitum Ludovici Bavari*, Additionem verò hanc à Ptolomæo venisse inficiatur Bzovius, quum igitur à vero multum absit, credere, quòd Ptolomæus non nisi Henrici morbum, ex quo laborarit, in libro isto retulerit, obitumque ejus adeo conciso atque abrupto dicendi genere tacuerit, alius adhuc codex extet necesse est, quo vera & (ut *Bzovius* opinatur) contraria narratio contineatur, quem operæ precium fecisset si inquisivisset Bzovius, melioraque nos inde docuisset. Sibi nos etiam obligâsset, si mentem suam apertè expressisset, num Ptolomæum Lucensem in verbis *noctem insomnem Henricum duxisse* referentibus vel narrationem suam de Henrico, vel integrum planè librum terminasse existimet, (contra quam paulo ante opinatum eum fuisse audivimus,) num verò velit, additionem istam adulterinam ab alio textui insertam fuisse, post eandemque Ptolomæi narrationem inchoandam rursus atque ad annum usque MCCCXLII. continuandam esse.

§. III.

Sed audiamus, quomodo *alium quempiam maleferiatum Ptolomæo nihil tale cogitanti commentum de veneno turpissimum asseruisse* probare conetur. Id ut faciat multa profert, pondere pauca ac ut

rectius

rectius dicam nulla. *Quorſum*, quærit, *illa verba additio?* Et nos, quorſum numerus plurium de uno vocabulo? Annon addere iſta potuit, etiamſi diverſa olim tradidiſſet, (quod tamen pernegamus) poſtquam ab Henrici comitibus & familiaribus veram mortis ejus cauſam cognoviſſet? quemadmodum quod in *Euripidis* tragœdia, (cui titulus *Hippolytus Coronatus*) nutrix ad Phœdram ait: αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι * *poſteriores cogitationes*, interprete *Cicerone* in Philippicis Orat. XII. *ſapientiores ſunt*, apud eruditos non rarò obtinet. Annon etiam *Ptolomæus* diverſis temporibus ſcribere iſtam ſuam Hiſtoriam potuit, itaque priori ſcriptioni adjicere additionem? Quorum ſane poſterius niſi ſtatuamus, *Ptolomæum* nempe *Lucenſem* non uno atque interrupto tempore Hiſtoriam ſuam contexiſſe, ſed ſubinde aliam atque aliam narrationem adjeciſſe, non video, quomodo diverſæ auctorum opiniones de manuſcripta Ptolomæi Hiſtoria conciliari queant. Tradit enim *Iacobus Philippus Thomaſinus* in Indice Bibl. Patav. & ex eo *Theophilus Spizelius* in Sacr. Biblioth. Arcan. p. 218. elaboraſſe Ptolomæum *Hiſtoriam ad Cœleſtinum V. usque, cujus continuatio ad Eugenium IV. pertingens MSS. ſuperſit in Bibliotheca Cathedrali Patavina. Et Onuphrius Panvinius* in elencho auctorum, quibus in Chronico ſuo Eccleſiaſtico uſus eſt, *F. Ptolomæum Lucenſem Tuſcum Ordinis Prædicatorum à S. Petro usque ad Bonifacium VIII. Anno Chriſti* 1300. *& qui eum ſupplevit usque ad Benedictum XII. An.* 1334. annumerat illis, qui ex inſtituto vitas Romanorum Pontificum ſcripſerunt, quemadmodum & fecerunt *Raphael Volaterranus* in Commentar. Urbanis lib. XXII. p. 496. & *Ioh. Baptiſta Ricciolius* in Chronol. Reformat. Tom. I. lib. IX. p. 380. b. qui poſterior neſcio cur in indice Tomi IV. Chronologiæ ſuæ, quo diem emortualem Clarorum Virorum recenſuit, de Ptolomæo Lucenſi mutus magis eſt quam piſcis, ſicut nec de eo reperire quid eſt, in elogio *Ptolomæi*, quod hujus Annalibus, quibus breviter tum ſacra tum civilia ab anno MLX. usque ad

* Natum hinc putant Græcorum proverbium Δευτέρων ἀμεινόνων *Poſterioribus Melioribus Eraſmus* & *Cognatus*, vid. illius Adagia p. 626. & 617. Quomodo modus hic, maximè in conſiliis tenendus ſit *Lipſius* commonefacit in notis ad lib. III. Politic. p. 39.

ad MCCCIII. (titulus libri falsò habet MCCCI.) persequutus est, præfixum legitur. De eâdem *Ptolomæi Lucensis* Ecclesiastica Historia *Henricus Spondanus* in Continuat. Annal. Baron. Tom. I. ad. an. 1303. n. 13. p. 349. a. fidem facit, continuatam eam reperiri ad annum usque 1314. cujus auctorem his illic citat verbis: *Auctor illius temporis additionis Historiæ Ptolomæi Lucensis (patriâ & ipse ut videtur Lucensis.)* & in margine: *Ext. in fi. Hist. MS. Ptol. Luc. Colleg. Fux.* * *Tolos.* & ad annum 1314. n. 1. p. 383. b. idem in ora allegat: *Contin. Hist. Ptol. Lucens. (qui hic desinit.) Bzovii* & *Vossii* opinionem supra jam adduximus, ideoque non repetimus, nisi quod hunc adhuc observemus l. c. scribere, *Opus Ptolomæi continuâsse alios ad An.* CIↃCCCLXX. Bzovii autem fides suspecta hac in re videtur *Ioh. Georgio Heervvarto*, quando hic in Apologia pro Ludovico Bavaro, seu Appendice ad Bzovii Tom. XIV. Annal. ad ann. 1336. n. 34. p. 129. a. inquit: *Tametsi Ptolomæum, utique Lucensem in Benedicto XII. cites, mirificè admodum; Nam Ptolomæus Historiam suam in Cœlestino V. A.* 1294. *finiit, uti Gesnerus ex Volaterrano ostendit. Quòd si ita est, qui potuit Benedicti res gestas perscribere* 40. *annis posterioris.* Confer eund. ad an. 1338. n. 8. p. 133. b *Conradi Gesneri* quem Heervvartus citavit, verba in Bibliotheca p. 572. hæc sunt: *Ptolomæus Lucensis scripsit magno Volumine historiam Pontificum Romanorum, & breviter attingit viros, qui temporibus singulorum claruerunt, usque ad Cœlestinum V. cujus temporibus se dicit fuisse anno* 1273. *Raph. Volaterranus.* Verba Gesneri eodem tenore repetiit *Iosias Simlerus* in Epitome Biblioth. p. 590. b. Quæ opinionum diversitas vix aliunde originem traxisse videtur, quam quod Ptolomæus alio atque alio tempore manum Historiæ suæ scribendæ admovit. *Quorsum alia illa*, pergit Bzovius, *per quendam Fratrem de ordine Prædicatorum, cum debuerit scribere per quendam Fratrem nostri ordinis Prædicatorum, vel per Fratrem Bernardum ordinis nostri Prædicatorum, neque enim si eo tempore vixit & scripsit, non potuit non* nosse

* Vapulat meritò *Labbeus*, nisi Spondani fides vapulet, quòd in Bibliotheca sua nova MSS. libror. de Continuatione illa tacuit, maximè supplemento IV. p. 189 seqq. quo Catalogum MSS. librorum *Caroli de Montchal* Archi Episcopi Tolosani exhibuit.

nosse suæ provinciæ & suæ gentis conterraneum? Ast scribere ita debuit ex sententia *Bzovii*, num vero etiam voluit *Ptolomæus?* An scivit ita trecentis post annis placiturum socio ordinis sui Bzovio? Si Annales *Ptolomæi* Bzovius legisset, (ut quidem per temporis rationem fieri non poterat, cum iidem An. 1619. primùm Lugduni in Galliis editi in lucem fuerint,) simile scribendi genus non una vice observare potuisset, cum *Ptolomæus* de popularibus suis Lucensibus, itemque de suis sodalibus Dominicanis vix ac (quantum mihi ex lectione eorum observatum) ne quidem semel alio modo loquutus inveniatur. Ut pauca allegem, quando ad an. 1274. p. 173. scripsit: *In quo Concilio mortuus fuit F. Petrus Ordinis Fratrum Prædicatorum & Lucensis Episcopus*, debuit addere secundùm *Bzovii* imperium, *ordinis nostri.* sic p. 176. *ad quam faciendam quendam fratrem conversum instituit ordinis fratrum Prædicatorum*, quemadmodum eadem & sequente pagina bis adhuc loquitur: p. 186. *Hic fecit Patriarcham Hierosolymitanum, fratrem Ioannem de Vercellis, Magistrum ordinis fratrum Prædicatorum*, & paucis interpositis, *rexitque dictum ordinem cum multa ---- Cleri & Populi, ac suorum fratrum.* p. 198. *Mortuo Magistro Ioanne ordinis fratrum Prædicatorum, factus fuit Bononiæ Magister Ordinis supradicti, &c.* atque iterum eadem pagina, *pro reverentia sui ordinis*, adde p. 211. 218. 226. &c. quæ loca omnia & adhuc plura ex *Bzovii* regula supposititia essent. Satis istoc *Bzovius* indicavit, quam parum Historices naturam scribendæque Historiæ præcepta intellexerit, inter quod videlicet non minimum est, ut, si quando de nobis nostrisque in historia aliquid dicendum sit, modestiæ rationem habeamus, hæcque referamus, quasi de aliis loquamur. Necesse erit *S. Augustini* responsionem adscribere, *Fausto Manichæo* simili argumento (ut ovum vix ovo similius esse queat) veritatem Evangelii *S. Matthæi* impugnanti datam, *lib. XVII. contra Faust. Man.* c. IV. Tom. VI. Opp. p. 233. *At quam elegantem rem sibi visus est Faustus dicere, ubi propterea voluit non credi hæc scripsisse Matthæum, quia cum de sua electione diceret, non ait, Vidit me & dixit mihi, sequere me: sed vidit Matthæum, & dixit ei sequere me: quod nescio, utrùm de errore imperitiæ dixerit, an de more fallaciæ: sed non usque*

adeo imperitum putaverim, ut nec legerit, nec audierit, solere scriptores rerum gestarum, cum in suam personam venerint, ita se contexere, tanquam de alio narrent, quod de se narrant. Non aliter animati ex Veteribus fuerunt *Xenophon* & *Iulius Cæsar*, quorum uterque sedulò id observavit, laudati eo nomine *Vossio* in Arte Historica c. 12. p. 71. Respondere idem possemus, quando *Bzovius* pergit quærere: *quid illa alia de Confratribus, ut à suis audivi, cum ipse Dominicanus debuerit scribere, ut à nostris audivi?* nisi certum esset ex verborum contextu, per *suos* auctorem non intelligere ordinis sui socios, sed Henrici Imper. defuncti servos ac comites, pronomine *suis* non reciproco hîc existente, sed relativo, qui loquendi modus scriptoribus illorum temporum, quæ *Cicerones, Cæsares, Sallustios, Terentios, Curtios, Livios,* & consimiles nullos protulerunt, perfamiliaris fuit. Quin & ex optimis priscæ Latinitatis auctoribus exempla occurrunt, ubi hæc invicem commutantur, nec accuratè discrimen illud, quod Grammatici tradunt, observatur. *Cornelius Nepos* Hannibale c. VIII. n. 4. *Quo cum multitudine adversariorum sui superarentur:* Hîc *sui superarentur*, dictum pro *exercitus ipsius superaretur.* In libris de Finibus ait *Cicero* de Epaminonda, *cum salvum esse flentes sui respondissent*, pro *cum milites ipsius respondissent.* Et in Catone: *Hic Tito fratre suo censore, qui proximus ante me fuerat elapsus est:* suo pro ejus. *Tacitus* Histor. lib. V. de Judæis p. 426. *Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt.* Ubi *urbibus suis*, est *pro urbibus illorum.* Multa id genus alia ex Cicerone collegit, & in Doctissimis Commentariis Græcæ Linguæ proposuit *Guilielmus Budæus* p. 27. & 28. *Robbigius* quoque in Lexico Crit. IV. 4. *Buchnerus* in Thesaur. Fabri atque in Comment. ad hymn. Venantii in resur. Christi vers. 82. *Bangius* Observ. Philol. part. II. p. 952. *Vorstius* de Latinit. falsò susp. cap. V. p. 46. *Bæclerus* Indice in Nepot. aliique multa congesserunt. Porro *Bzovius* vocabulum *Iacobitæ* in versibus objicit, dicitque: *Quid nomenclaturæ Iacobitarum cum Religione in Italia S. Dominici?* Ad quæ intelligenda scire necesse est, Dominicanos ab accepto An. 1219. Parisiis templo S. Jacobi ad portam *Aurelianam* seu *Narbonensem* dictam, vulgò *Iacobinos* tam ibidem Parisiis quam per universam

inde

inde Galliam dici cœpisse. Vid. *Spondan.* Tom. I. Contin. Annal. Baron. ad An. 1220. n. VII. p. 78. a. aut ut *Renatus Choppinus* Monastic. lib. I. p. 40. vult, *Iacobitæ* vocati sunt *à Iacobæo Lutetiæ Parisiorum vico, circa quem illi primùm hospitio excepti sunt apud B. Mariam de Vineis, & quo in vico dehinc sacram ædem sedemque domicilii perpetuam collocârunt.* Aliam adhuc de eo tuentur opinionem *Matthæus Paris* & *Brolius*, quam vide apud *Carolum de Fresne* Glossar. Tom. II. p. 4. Putat ergo *Bzovius* dictionem istam ad Italum, qualis *Ptolomæus Lucensis* fuerit, nequaquam spectare, neque tamen mentem etiam exprimit, an impostorem atque auctorem confictæ additionis Gallum natione fuisse credat, istamque cum adjectionem in Gallia non nisi in popularium suorum usum composuisse existimet. Necessario etiam sequitur ex Bzovii collectione, *Ptolomæum Lucensem*, etsi Dominicanum, ignorâsse tamen cum suis Italis, quemadmodum fratres sociique sui ordinis à centum ferme annis per universam Galliam appellati fuerint, quod de Torcellensi Episcopo & Bibliothecæ Vaticanæ præfecto perabsurdum videtur velle affirmare. *Antoninus Florentinus Archiepiscopus* in Italia natus & defunctus exemplo testatur, quam nihili sit objectio Bzoviana, dum in Chron. part. III. Tit. XXIII. c. XIII. §. 1. p. 687. sibi non ignotam fuisse istam appellationem sequentibus verbis prodit: *Dominicani Lutetiam à B. Dominico missi fuere de Tolosa & an.* 1218 *data ipsis fuit domus S. Iacobi, ubi nunc est conventus.* Quis igitur absurditatem in Dominicani cerebro dominantem non rideat explodatque sibilis? Ne dicam quod consequatur etiam, si Bzovio applaudimus, *Ptolomæum Lucensem* nunquam iter ad Gallos fecisse, rerumque apud Gallos gestarum rudem planè atque expertem fuisse, contra quam ab ejusmodi Monachis religiosis, stationem suam subinde mutantibus fieri quotidiana experientia docet. Tum nec *Ptolomæus* auctorem se versuum dicit, facileque fieri potuit, ut eos ab alio vel Gallo, vel rerum gentis illius perito compositos allegaret, siquidem adeo nulla, ut *Bzovio* videtur, Gallos inter atque Italos Dominicanos communicatio fuit. Consilium de cœtero Pœtastri illius non difficile Bzovio fuisset divinare, si ὁμοιοτέλευτα in carmine

temporibus illis ignorantiæ exactè respondente studiosius attendisset. Tandem verosimile non esse arbitratur Bzovius, *Ptolomæum Lucensem, id est, Guelfæ factionis de Bernardo itidem Guelfo, tum Dominicanum de Dominicano epistola nuncupatoria ad Cardinalem Dominicanum data eam stropham affirmâsse.* Quo Bzovius tantus sui Ordinis encomiastes sibi suisq; sociis omnem omnino fidem in historicis ipse abjudicat: Hæc enim requirit, ut quid revera factum fuerit literis mandetur, sive id nostro ac nostratium honori atq; emolumento prosit, sive obsit. Historicus nec vitia in amicis, nec in inimicis virtutes præterire debet, ne, dum alieno honori consultum it, proprium negligat, quo de egregium locum promam ex proœmio *Annæ Comnenæ*, quæ *Alexiados* XV. libris (quorum octo primos ex Augustana Bibliotheca *Hoeschelius* edidit) Patris sui *Alexii* res gestas composuit: ὅταν γὰρ τις τὸ τῆς ἱστορίας ἦθος ἀναλαμβάνῃ, ἐπιλαθέσθαι χρὴ εὐνοίας καὶ μίσους, καὶ πολλάκις κοσμεῖν τοὺς ἐχθροὺς, τοῖς μεγίστοις ἐπαίνοις, ὅταν αἱ πράξεις ἀπαιτῶσι τοῦτο πολλάκις δὲ ἐλέγχειν τοὺς ἀναγκαιοτάτους, ὅταν αἱ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἁμαρτίαι τοῦθ' ὑποδεικνύωσι. διόπερ οὔτε τῶν φίλων καθάπτεσθαι, οὔτε τοὺς ἐχθροὺς ἐπαινεῖν ὀκνητέον: *Nam si quis Historiam, prout convenit, scribere suscipiat, hunc & amore & odio vacare oportet: ac sæpe maximis laudibus inimicos ornabit, si quando id actiones requirent: sæpe etiam necessitudine conjunctos vituperabit, si vitæ delicta hoc faciendum ostendent. Propterea nec amicorum vituperatione nec inimicorum laudatione abstinendum.* Et hujus *Ptolomæum Lucensem* ex amore veritatis, forte & ex odio erga ingratum suum sodalem *Bernardum*, (quem si cum quodam anonymo apud *Cuspinianum* de Cæsar. p. 367. non Guelfum sed Gibellinum, magnisque ab Henrico beneficiis ornatum asserere vellem, fortius adhuc Bzovio contradiceretur,) nequaquam immemorem fuisse sicut par est ut credamus, ita alibi, in Annalibus videlicet suis, ad An. 1263. p. 150. testatum fecit, se nec suis civibus, in quorum licet gratiam composuisse Annales creditur, parcere, si quando fidem exulibus datam non servent, Historicoque non laudis sed vituperii materiam suppeditent. Hæc ad Bzovii discursum de dicta *additione*. Quod enim de *anthrace*, cujus in verbis additionem proximè antecedentibus mentio fit adjecit,

nostræ

noſtræ non obeſſe ſententiæ facile quivis intelligit, quum puſtulam illam ſub dextri cruris genu habere initio, ſimul tamen poſt accipere quoque venenum potuerit Imperator. Quapropter cum hæc ita comparata ſint, meritò de Ptolomæi conſenſu gloriamur, idque non modo, quoniam ipſe Dominicanus fuit, ſed & quia *Voſſio* de Hiſtor. Latin. lib. 2. c. 64. p. 509. & ipſo *Bzovio* loco cit. teſtibus *opus ſuum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ dicavit Guilielmo Petri Godivo Bajonenſi Vaſconi, prius ordinis prædicatorum Theologo, & ex provinciali Tholoſano Lectori ſacri Palatii, poſtea autem presbytero Cardinali tit. S. Cæciliæ, quâ dignitate à Clemente V. ornatus eſt* An. CIƆCCCXII. (non CIƆCCCCXII. ut typographi incuria Voſſii locum corrupit.) Minus namque acceptus cum ſua hiſtoria futurus fuiſſet *Ptolomæus* apud Cardinalem, niſi de facti veritate certò atque omnibus conſtitiſſet. Quod eo facit, ut intelligamus, cur tantus ad Ptolomei teſtimonium provocantium numerus ſit, & quamobrem tantæ illud apud antiquitatis Eccleſiaſticæ Cultores auctoritatis ſit, ut vel hoc ſolo ſtare hac in re nos poſſe *Ioannes Launojus* exacti judicii ſummæque fidei Vir affirmet, part. VI. Epiſtol. Epiſt. XIV. p. 421. *Ptolomæus Lucenſis ex ordine prædicatorum auctor, cum toties aſſertus ſit, unus ſufficeret, etiamſi cæteri deeſſent. Rei geſtæ æqualis eſt, & cum ex aliis tum eo quoque fide dignus, quod Collegæ ſuo noluiſſet duplex crimen ſacrilegium & parricidium imponere.* Fortis proin ſit, neceſſe eſt, qui pertinaciam noſtram in amplectenda veritate ab *Ephemeridum Henrici ſcriptoribus* itemque *Ptolomæo Lucenſi* tradita expugnare conabitur. Nec vitio verti id nobis poterit, quum *Brovverus* ipſe, qui tanto ſed inani niſu nobis obloquitur, Tom. II. Annal. Trevirens. lib. XVII. p. 194. b. *Ptolomæi Lucenſis aliorumque illius temporis auctorum* ſuffragia non omninò de nihilo eſſe agnoverit, eoque ſimul diſſenſus ſui nullitatem non inani indicio prodiderit. Nos inſuper, quid alii dicant, habentes tantisper in accepta ab antiquis ſententia ſtabimus & perſtabimus, dum vel ſcripta eorum integrè ac ſincere edita aliud nobis ſuadeant, vel etiam unde de illorum teſtimonio aliis illud adducentibus conſtiterit, doceamur.

§. IV.

Post Ptolomæum Lucensem *Flandriæ quædam Chronica* in subsidium vocat *Mejerus*, aliique posteriorum seculorum scriptores alia adhuc, ex quibus sua hoc in capite hauserint, citant Chronica, quorum etsi nobis neque visorum neque lectorum oblivisci noluimus, nulli dubitantes, quin plura literis expressa monumenta hinc inde in bibliothecis ac claustris Monachorum lateant, ex quibus suffragia pro nostra sententia colligi possent, nisi tenebricosis carceribus custodirentur. Copulat cum illis loc. cit. *Mejerus* testimonium * *Ioannis Bekæ* Canonici Trajectensis scriptorisque illorum temporum, atque ita ait: *Ioannes Beka Canonicus Trajectensis in rebus Hollandicis Ecclesiaque Trajectensis, nec non & Chronica quædam Flandriæ domestica, præter Florentinos reos mortis sanctissimi Principis fuisse referunt Robertum Apuliæ seu Siciliæ Regem, Philippum Francorum, Ludovicum Navarræ RR. ac Principem præterea Tarentinorum. Nec desunt, qui Clementem quoque adjiciunt Papam, qui totum se parare atque in Henricum insurgere cœperat. Addit Beka, Monachos illius ordinis quadraginta millia florenorum à dictis jam Principibus ad hoc accepisse, fratresque amplius viginti, ut fatebatur ipse proditor, fuisse in conjuratione, qui omnes mecum, inquit, concurrunt, sed heu me miserum, cujus manus pessimè ad bravium pervenerunt.* Hæc cum legerem apud *Mejerum*, mox ipsum *Ioannem Bekam* evolvebam, sicut eum *Bernardus Furmerius* Leovardiensis An. 1612. Franequeræ in lucem protraxit, in quo verò nec vola ejus extabat nec vestigium; Ut vel hoc indicio comprobari deprehenderem, quod Clarissimus *Vossius* de Historicis Latinis part. II. lib. III. cap. I. p. 529. scripsit: *Opus hoc Ioannis de Beca ita corruptè editum est à Furmerio, (etsi id cum tribus codd. à Suffrido Petri, & cum quarto à se collatum dicat) ut pene satius fuerit ab edendo abstinere, quam vitiosè adeo in lucem dare.* Ipse *Furmerius* in fine operis illius abs se editi fatetur, multa se ex Manuscripto Bekano abjecisse, quæ ab aliis more illorum temporum addita

* Distinguendus is probè est a *Gilberto de Beka*, qui etiam seculo XIV floruit, & *Trithemio* in Catalogo teste, fasciculum edidit, quo Historiarum flores complexus est. Vid. *Vossii* Histor. Latin. Lib. II. cap. 64 p. 510.

dita fuiſſe crediderit, facilè ergò humani quid pati hîc potuit *Furmerius*, & teſtimonium hoc pro alterius alicujus adjectione habere. Poſtquam deinde beneficio ditiſſimæ *Iungianæ Bibliothecæ* repurgatam *Ioannis Bekæ* editionem *Arnoldi Buchelii* operâ An. 1643. Ultrajecti publicatam adeptus ſum, inveni quod in Furmeriana fruſtra quæſiveram. Annotat enim *Buchelius* p. 110. lit. r. in ſuo MS. hæc adhuc de Henrico VII. legi: *Anno Dom. MCCCXVI.* (dubio procul eſt vitium, vel typographi in excudendo Buchelii libro, vel librarii in deſcribenda *Bekana* Hiſtoria, cujus incuriâ facilè duo fulcra II. non accuratè à ſe * invicem ſejuncta in unum V conflare potuerunt,) *Beatus Henricus Imperator Romanorum intoxicatus fuit, in receptione corporis Chriſti per quendam Iacobitam.* Reliqua, ait *Buchelius*, à Mejero allegata in codice ſuo non comparere. Num igitur Mejerus pleniorem quendam atque abundantiorem codicem poſſederit, num verò inter *Ioannis Bekæ*, *Ioannis Geerbrandi à Leidis* & *Guilielmi Hedæ* Chronica, ſuo ſingula loco citanda, verſatus lapſu aliquo memoriæ verba nonnulla Bekæ tribuerit, quæ reliquorum duorum fuerint, incertum eſt. *Bzovius* minimùm in Continuat. Annal. Baron. Tom. XIV. ad An. 1313. n. XV. p. 212. de poſteriori non cogitavit, ſed maledicentiæ quam modeſtiæ ſtudioſior ſolo contemptu Bekæ teſtimonio obviam eundum eſſe exiſtimavit. *Felix Oſius* in notis & Caſtigationibus ad Albertini Muſſati Hiſtoriam p. 68. b. putat *Bzovium*, dum loco ex ejus Annalibus modò citato, eadem quæ nos, verba ex Mejeri annalibus Flandricis allegavit, aliquid de ** ſuo adjeciſſe, *quandoquidem in Ioanne Beka*

* Variè enim olim in numericis notis peccatum eſt, quemadmodum *Ioannes Mabillon* præclare oſtendit lib. II. *de re Diplomatica* cap. I. n. 9. p. 57.

** En quomodo fides Bzoviana in producendis Veterum teſtimoniis in ipſa Italia vapulet! Nimirum perpetuò hoc in ſuis Annalibus facit *Bzovius*, & vinum, ut ſic dicam, ſcriptionis aliorum corrumpit, affuſaque incogitantiæ ſuæ nec raro etiam malitiæ aquâ diluit. Quod idem de *Bellarmino* dici poſſe oſtendit *M. Antonius de Dominis* de Republ. Eccleſ. lib. V. c. 6. § 224. & 225. p. 277. & lib. VI. c. 11. §. 39. p. 834. De *Baronio* eidem peccato obnoxio non alligabo teſtes, neque enim lucernam in hoc meridie neceſſe puto accendere, ſolùm ipſi horrendum convitium remitto, quod in Proteſtantes, (quos pro ſua modeſtia nunquam aliter niſi *Hæreticos* aut *Novatores* appellat) Tom. IX. Annal. Eccleſ. ad an. 810. n. 7. p. 696. jecit ſcribendo: *Videant Novatores & recognoſcant ſuum ipſorum Catechiſtam Diabolum qui eadem, quæ ipſos docuit Sergium*

Bekâ à Furmerio Ann. CIɔIɔXCII. (est vitium typothetæ pro CIɔ IɔCXII. quemadmodum & est p.86.a. ubi annus CIɔ Iɔ XLII. signatur) *edito, nihilominù de Henrici morte referatur, unde forte Guilielmus Heda intelligendus sit, qui Bedæ copulatius ita fuerit, ut vix diversi appareant.* Sed si Clarissimo Viro editio Buchelii visa fuisset, aliter longè omni absque dubio de negocio hoc statuisset. Miror illud solùm, doctissimum *Osium* corruptæ Furmerianæ editioni tantum fidei adhibuisse, de qua tamen *Magni & acerrimi Vir ingenii, suadæque medulla disertissimus, & cujus in rem literariam merita dignè narrârit nemo*, (queis honorum titulis *Vossium* p.7.a. & 72.a. *Osius* prosequitur) *de Historicis Latinis* loco præcitato aliter existimandum esse monuerat. Observandum denique restat, *Ioannem Geerbrandum à Leidis*, itemque *Guilielmum Hedam* rarò admodum à *Ioannis Bekæ* narrationibus abire, quin sæpissime ejus vestigia legant, adeoque & hîc præeuntem fideliter secuti jure credantur.

§. V.

Ioannem de Beka in testium seculi XIV. numero *Ioannes Vitoduranus* Ord. Minor. seu Franciscanus excipit, qui apud Helvetios vixit ætate Ludovici IV. & Caroli IV. atque Historiam scripsit, (quæ nomen ejus celebre reddidit) ab Anno CIɔCCXV. usque ad An. CIɔCCCXLVIII. *Manuscriptam eam reperiri in bibliotheca Monasterii S. Galli in Helvetia* testis est *Vossius*, de Histor. Latin. lib. III. c.7. p.799. Meminere illius doctissimi quique Helvetiorum scriptores, ut *Stumpffius* in Chronico suo Helvetiæ Germanico, in elencho auctorum, ex quibus illud conscripserit, sub nomine: *Ioannes Vitoduranus* ein Barfot / item *Hospinianus* de orig. Monach. lib. VI. c.17. p.264. a. & *Goldastus* in Comment. de Regn. Bohem. lib. III. c.6. p.306. nuperque *Heideggerus* in Histor. Papat. §.129. p.159. (ubi eum *Ioannem Barvotam Vitoduranum Minoritam* vocat.) Cumprimis verò

Sergium per Manichæum, & erubescant suam ipsorum intuentes originem & auctorem. Atqui fraudulenta dictorum allegatio verè *Satanismum* sapit, auctoremque & Magistrum habet Diabolum Scripturæ dicta secus ac par est allegare solitum. Exemplum ejus habet *Matthæus* Evangelista c. IV.6. (quod nequicquam *Crellius* Socinianus reprobat apud *D. Calovium* Bibl. Illustr. Nov. Test. Tom. I. p.170.a.) De aliis apud Romanenses obviis *Satanismis* confer *Nicolaum Vedelium* Exercit. III. in Epistol. Ignat. ad Philadelph. p.149. seqq.

verò *Hottingerus*, qui in Analectis Historico-Theologicis *Epistol. Dedicat.* ad senatum Urbis Vitodurunæ ita de eo commentatur: *Vester erat ante trecentos jam annos, (ortu enim & educatione Vitoduranum se profitetur) Ioannes ille, Monachus S. Montis Francisc. cujus Historia ceu deliciis primam & palmariam de necessitate reformationis disputationem condire ubique volui. Neque verò hoc tantùm in scripto sed & alibi vitulâ ejus aravi. Testis erit Historiæ meæ Ecclesiasticæ Pars III. seculis XIII. & XIV. quibus magnam ex Vitodurano vestro fœnerari constitui lucem. Laboravit suis nævis superstitioni avitæ innutritus, in multis tamen ulcus Papæ, totiusque Romanæ Curiæ adeo mascule tetigit atque pressit, ut cordatiorem vix habuerint Burgundi in suo Bernhardo Papomastigem, quàm Helvetii in Ioanne Vitodurano.* Diligentiæ etiam *Hottingeri* acceptum ferimus, quod *Ioannem* istum *Vitoduranum* pro nobis facere noverimus, quippe qui partim in allegatis *Analectis* Differt. I. p. 26. partim in sua *Eucharistia defensa* p. 226. seqq. partim verò atque inprimis in *Histor. Ecclesiastica* part. III. cap. XIV. sect. I. p. 743. sequentia ex Manuscripta Franciscani istius Historia nobiscum communicavit: *Cum verò adhuc in procinctu itineris esset constitutus* (Henricus,) *ex igne divini amoris medullitus fervesceret, in tantum, ut desideranti animo corpus Dominicum toto mentis affectu percipere gestaret, ut suo voto mox divinitùs immisso satisfaceret, in quodam loco ad id faciendum se multo devotionis studio contulit, quod intelligentes quadam civitates sibi adversantes, Capellanum Imperatoris approbati ordinis, ut fama publica protestatur, quem tamen ad deferendum ei honorem reticeo: à quo more solito sacramentum id percepturus erat, Episcopatus in proximo sibi conferendi & aliorum munerum promissione agitatum instinctu Diabolico corruperunt, ut latenter in communionis administratione venenum Imperatori immitteret, & occideret, quibus ille malignissimus traditor, & more Judæ, mercator pessimus, excæcatus, malitia sua acquiescens, post S. Sanctæ hostiæ Imperatori porrectam refectionem, & ab eo reverenter sumtam, in communione calicis venenum in juncturarum digitorum manus suæ complicatione occultè & dolosè conditum & reservatum potum vini invisibiliter immiscebat, & Imperatori epotandum præbebat, quo exhausto sentiens*

tiens

tiens se Imperator intoxicatum dixit communicatori: Video quia intoxicâstis me, & ideo quanto citius poteritis fugam inite, ne in ultionem mortis meæ, mihi allatæ, à nobis in frusta concidamini. Qui aufugiens Episcopatum sibi promissum pro mercede adeptus est. Medici autem hæc notantes persuaserunt Imperatori, ut potionem ab eis, quo venenum evacuaretur & extraheretur, acciperet, si sanitati restitui vellet, quibus ipse taliter respondit: Deum meum sumsi, * *cum illo etiam moriar animo libenti. Nam si ei plus vita mea super terra placeret, me utique custodisset, vel me adhuc incolumem faceret, & virtuosius & efficacius posset, quam vos, cum omnia possibilia sint apud eum. Dum ergo Medicinam recusaret, intra triduum à carnis ergastulo feliciter migravit, ut piè credendum est, & deductus inde in civitatem dictam PRNS (Pisam) honorificè ac solenniter conditus est, regia ut ipsum decuit sepulturâ. Obijt An. D.* 1313. *anno regni sui. XV. Cal. Septembr.* Hæc & plura adhuc, quibus Historicus Imperatoris laudes & Monachi crimen extollit, ll.cc. *Hottingerus* exhibuit, quę huc apprime facientia legi ibi possunt & omninò debent. Confer quoque Tomum VIII. Historiæ Hottingerianæ p. 1260. ubi narrationem suam ex Vitodurano repetiit; conjunge *Heideggerum* in Histor. Papat. §.125.p.155.

§.VI.

* Meminere passim Historici & dignis laudibus extulere pietatem *Henrici*. vid. *Felicem Osium* in notis ad Mussati Histor. p.64.& 65. Quibus ut nequaquam contradicimus, ita illi nobis concedant necesse est, ut apud Imperatorem nonnihil superstitionis habitâsse credamus. Placeat ille versus sed saniter intellectus: *Religentem oportet esse, religiosum nefas*, apud *A.Gellium* lib.IV.c.9 & *Nigidium Figulum* lib.XI. Comm.Gramm.ubi vox *religiosi* eum denotat, qui nimia & superstitiosa Religione modum excedit. Vid. *D.Calovium* in Isagog. ad Theol.c.12.p.277 & *Iustum Lipsium* in notis ad lib.I. Polit. c.3 p.11. Contrariari videtur *Grotius* scribens de Jur. B. & Pac. proleg. n.45. *Deum nimiùm colere non possumus; Superstitio enim non eo peccat, quod Deum nimium colat, sed quod perversè: neque æterna bona nimium possumus appetere, neque æterna mala nimium formidare, neque peccata nimium odisse*: Sed loquitur is de cultu animi & proposito vivendi ad jussa Dei, quo colere Deum nunquam nimium possumus, uti nec proposito animi quisquam vel fortis nimium, vel temperans, vel justus esse potest. Sed actio humana, per quam exercetur quamque temperat virtus, potest excedere extra medium & degenerare in excessum. Sic & officia, per quæ exerimus pietatem, & quibus nos colere Deum testamur, patiuntur vitium, & possunt in id excedere, ut superstitioni appropinquent. quò confer *Gronovii* notas in dictum Grotii locum p. 12. Vide de superstitione latissime disserentem *Voetium* in Dispp.select.part.III.p.91.usque ad 234. Docti judicent, annon huc congruat illud *Salomonis* Cohelet VII, 17. *ne justus multum sis.* Lutherus sey nicht allzugerecht.

§ VI.

Commemorandus jam venit *Ioannes Honſemius*, ſive ut alii eum vocant, *Hoxſemius*, qui circa annum MCCCL. floruit, & Hiſtoriam geſtasque Epiſcoporum * Leodicenſium res ab Ann. CIↃ CCXLVII. usque ad annum CIↃ CCCXLVIII. reliquit, quæ cum aliis hujus argumenti ſcriptoribus à *Ioanne Chapeavillio* Leodici An. CIↃIↃCXIII. in lucem edita eſt. Legimus apud eum Tom. II. ſcriptorum *Chapeavillii* c. 32. p. 354. hanc de morte Henrici VII. narrationem: *Quam* (Florentiam) *cum quinque menſibus obſediſſet in caſſum, ab ea per quatuor milliaria elongatus tentoria figi juſſit, ubi cuidam Iacobitæ* ** *Confeſſori ſuo, quem religioſiſſimum putabat, peccata ſua devotè confeſſus, quia communicare volebat, audita miſſa Euchariſtiam de manu recepit ejusdem. At vir Belial omni bellua cruenta crudelior, in calice miſcens vino venenum, corruptus pecunia mitiſſimum Virum nefando commercio toxicavit. Rex verò diſſolutis membris in lectum decidit, & prædicatorem clam juſſit abire. Rex verò ſubitò migravit ad Chriſtum anno Domini* 1313. *Cujus Corpus aromatibus involutum Papienſes aquilæ recluſum æneæ deſuper inauratæ in medio Eccleſiæ ſuſpendiſſe leguntur*. In notis *Chapeavillius* p. 355. monet, apud *Ioannem Presbyterum* (ſcriptorem *** absque dubio iſtius temporis) eandem hiſtoriam referri, & calculum temporis his verſibus deſignari:

Anno milleno C. ter. I. junctis duodeno.
Regi Romano fuit in potu malè ſano.

C 2 Hen-

* Non *Leodienſium*, ut multi depravatè, ſicut nec urbem *Leodium* ſed *Leodicum* appellandam eſſe *Lipſius* erudite docet lib I. Polioreet. Dialog. II. p. m. 16. & 17

** Quod ſi ſupervixiſſet Henricus VII. vix Dominicano conſcientiæ ſuæ moderamen commiſſurus porro fuiſſet, quemadmodum poſt An. 1387. *Carolum* VI Galliæ Regem *Gulielmo de Valone* Ord. Dominic. & Ebroicenſi Epiſcopo, qui ei a Confeſſionibus fuerat, pulſo conſtituiſſe refert *Gaguinus* lib. IX. Hiſtor. nunquam deinceps munus id *Prædicatori Monacho* concredere, vid. *Spondan.* Tom. I. Continuat. Annal. Baron. ad ann. 1387. n. VII. p. 636. b.

*** Niſi, quod fere velle videtur, *Ioannem* Monachum Nuſſienſem *Magni Chronici Belgici* auctorem hoc nomine indigitet, cujus verba §. 18. afferentur. Quem verò neſcio cur *Presbyterum* appellet, quum Clericatus cum Monachatu pugnet neque conſiſtere una queat, pluribus oſtendente *M. Antonio de Dominis* de Republ. Eccleſ. part. I. lib. 2. c. [illegible] 50. ſeqq. p. 368.

Henrico vita privata viro Jacobita.
Mortem quod Sydus Sexto Iulii subit Idus.

Cæterùm magnificamus meritò istud *Honsemii* testimonium, ab eo quippe datum, quem *oculatum actionum Henricianarum testem* fuisse *Felix Osius* asserit, in notis ad Mussati Histor. p.71.a. *Quod autem scimus*, inquit Christus ad Nicodemum Joh. III, 11. *loquimur, & quod vidimus, testamur, nec tamen nostrum testimonium accipitis*: similiter *Iohannes* Apostolus, quando fidem suis dictis facere vult, suam allegat αὐτοψίαν 1. Joh. I, 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, testamur & annunciamus vobis.* Quemadmodum & Apostoli in universum *testes se Christi esse* professi sunt Act. II, 32. cap. V, 32. eò quod *non poterant non loqui, quæ ipsi audiverunt & viderunt* Act. IV, 20. Postque hos priscæ Ecclesiæ Patres & Doctores perpetuò adversus hostes suos urserunt, *quòd sui Præceptores Apostoli atque Evangelistæ* αὐτόπται *&* αὐτήκοοι *rerum fuerint, quas vel illi scripserunt, vel aliis ut scriberent auctores fuerunt.* Confer. *Cyrill. Hierosolym.* Catech. XIV. f. 148. & 154. *Ephrem.* adv. Scrut. div. nat. f. 681. *Athanas.* de Assumpt. Dom. Tom. II. Opp. fol. 6. & ex illis *D. Bebelius* Vir omni elogio major, & quo Doctore me usum aliquando fuisse nunquam non gaudebo, *Antiquit. Eccles.* Secul. IV. Tom. I. artic. III. p. 723. Ut tandem §. 1. finem relegas, ne obliviscaris Lector!

§. VII.

Sequimur Chronologiam, quam *Gerardus Iohannes Vossius* * Orbis Historici Atlas & Sol, in suo immortali Commentario de *Historicis Latinis* proposuit, & *Henricum Rebdorfiensem* Monachum subjicimus, qui Annales edidit, orsus ab anno CIƆ CCXCV. ac desinens in Anno CIƆ CCCLXII. quo vivebat. Primus eum edidit *Marquardus Freherus*, Vir ad antiquitatis bonarumque Literarum salutem promovendam natus, Tom. I. scriptor. German. ubi p. 416. 417. sequentia legimus: *Manu armata eodem Imperatore subjugante civitates Italiæ sibi rebelles, cum magno exercitu jacente in partibus*

* Est elogium Vossii & libri ejus apud *Pignorium* in Spicileg. ad Mussati Histor. p. 5. b. Quale etia[illegible] ejus Græcis Historicis apud *Bochartum* legere est in Geograph. S. part. post. lib. II. c. 17. [illegible].

partibus Thusciæ prope in castro dicto Bonthonienth, civitatem Senarum in die Assumtionis Virginis gloriosæ, quum devote sumeret corpus & sanguinem Dominici sacramenti, in ablutione calicis per quendam fratrem ordinis prædicatorum (ut narratur) immissum est venenum in calicem, & sic intoxicatus statim objit, & in civitate Pisana sepultus est. Tria sunt, quæ circa hunc & præcedentes duos veritatis testes explicationem merentur, & unum observationem. I. Videri *Rebdorffiensem* intelligere Bonconventum nomine castri *Bonthonienth*, quò alii Henricum pervenisse narrant, errore scriptoribus familiari, qui aliorum populorum urbes & castella nominibus ad proprium idioma deflectentibus describunt, quo de *Bochartus* consulendus in præfatione ad suam Geographiam S. ubi modum in istiusmodi vocabulis eruendis subtiliter accurateque docuit. II. Verba *ut narratur* per parenthesin inclusa non totam relationem historicam spectare, (sic enim potius post verba *in die Assumtionis*, vel post *immissum est*, ab auctore posita illa fuissent) sed solùm ea, quæ absque medio præcedunt, *quendam Fratrem ordinis Prædicatorum*, quibus cum parenthesin illam attexuit *Rebdorffiensis*, vel invidiam atque odium Dominicanorum modestè declinare voluit, vel si ipse etiam ex eorum sodalitio fuit, lectoris animum dubium reddere circa Monachi regulam ac professionem intendit. Sicut etiam *Joannem Vitoduranum* de industria societatem, cui Monachus adhæserit, silentio involvisse in præcedentibus audivimus, quæ perspicuè omnia explicantur in narratione *Regiovillani* paulo post ex Manuscripto ejus Chronico adducenda. III. particulas *statim*, qua Rebdorffiensis utitur, & *subitò*, quam Hoxsemius adhibet, non * excludere longiorem temporis moram, sed indicare saltem non interruptum morbi lethalis venenum insecuti genus ac tempus. Constat enim ex aliis haud suspectæ fidei scriptoribus intercessisse paulum temporis, speciatim X. dies inter acceptum venenum

 & diem

* Ad eum modum explicant quidam Joh. XIII, 30. ἐυθέως ἐξῆλθεν *statim exivit*, quod Judas expectaverit adhuc paulisper, dum S. cœna instituta esset. Vid. *Nifanii* Commentar. in Joh. p. 728. Unde *Syrus Interpres* vertit: *in illa hora*. Similis est locus Marc. I, 12. ad quem vid. *Grotius* in notis. Confer in universum de particulis *statim, cito, &c.* *D. Glassium* in Philolog S. lib. III. p. m 687. & *Dietericum* in Antiquit. Bibl. N. T. Vol. I. p. 340, a.

& diem obitûs Imperatoris; ſed *Rebdorffienſis* & *Honſemius* brevitatis ſtudioſi paucis mortis veritatem indicaverunt, plures ejus circũſtantias illis relinquentes, qui prolixius totum factum deſcribere animũ induxerunt. Quæ artis hermeneuticæ regula magno ſemper uſui eſt, cum concordiam inter ſcriptores quærere laboramus. Vid. exemplum illuſtre in ſacris literis Matth. VIII, 5. & confer *Grotium* in notis, itemque Grotio-Maſtygem *Dn. D. Calovium* in Bibl. Illuſtr. Nov. Teſt. Tom. I. p. 251. b. Tandem obſervamus, quæ *Rebdorffienſis* de veneno in *ablutione calicis* propinato tradidit, multas in hiſtoria hac lites ſopire, ſimul & morem in Romana Eccleſia uſitatum ſeculo jam XIV. in uſu fuiſſe non obſcurè ſignificare, cujus disquiſitionem tertiæ ſectioni ſervamus.

§. VIII.

Antecedere *Rebdorffienſem* debebant *Ulricus* & *Conradus* WELLINGI Fratres, Monachi cœnobii, quod Auguſtæ Vindelicûm eſt, S. Udalrici & Afræ, ordinis S. Benedicti, qui *Henrici Steronis* Hiſtoriam, quam is de rebus Rudolphi Habspurgii, item Adolphi Naſſovii, & quibusdam geſtis Alberti Auſtriaci usque ad annum CIↃCCC contexuit, appendice ad annos XXXIV. proximè inſecutos auxerunt. Edidit eam idem *Freherus* in ſcriptoribus Rerum Germanicarum, apud quem fratres iſtos ad Ann. MCCCXIII. Tom. I. p. 407. & 408. de Henrici noſtri morte ita diſſerentes audies: *Hic Imperator (ut communis fuit opinio) per pœnitentiarium ſuum immixto veneno in Calice Domini, cum Imperator ab ipſo Euchariſtiam ſumeret, extinctus fuit, & Piſis ſepultus, ut patet per ſequentes verſus:*

Iure dolet mundus, quod Iacobita ſecundus,
Iudas nunc extat, mors Cæſaris hoc manifeſtat.
Dum fuerant anni transacti mille trecenti,
Et decimi terni in feſto S. Timothei.
Occidit Heinricus tabe veneni.
Glorius Imperator, Germanæ gentis amator,
* *Iuſtitiæ cultor, viduarum ſtrenuus ultor.*

Ad

* Sunt qui Henrico tyrannidem objiciant, vid. *Wolfii* Lect. Memor. Cent. XVI. p. 977. *Limn.* Notit. Regn. Franc. part. I. lib. II. c. 17. p. 823. ſed tantum abeſt, ut verum id ſit, ut Veteres Hiſtorici

Ad pleniorem testimonii hujus intellectum operæ precium erit observare, verbis, *ut communis fuit opinio,* fratres istos aliud nil significare voluisse, quam sibi extra locum ac regionem, ubi scelus perpetratum est, viventibus, aliter de eo haud constare potuisse, quam per hominum constantem communemque consensum: Quòd enim nullatenus dubitent de facti veritate, ipsimet satis indicant, quando paulò post absque ulla adjectione dicunt: *Eodem anno, quo extinctus fuit per venenum felicis recordationis Henricus Imperator VII. hujus nominis, &c.* Non aliter atque etiam ad Ann. MCCCXXXI. p. 410. scribunt de Friderico Austrio: *Fridericus electus obiit (ut creditur) ex veneno, quia vermes innumerabiles ipsius in cute erumpebant,* ubi eadem ferme verba *Henricus Rebdorffiensis* habet p. 423. verbis, *ut creditur,* exceptis: *A. Dom. MCCCXXIX. obiit ex veneno* (Fridericus) *quia vermes innumerabiles ex cute ipsius erumpebant.* Commodum hîc erit, occasione rythmorum à *Wellingis* fratribus modo adductorum, subjungere alterius alicujus Poetastri carmen eodem tempore compositum, de quo *Mejerus* aliquoties hactenus ex Annalibus Flandricis à nobis citatus, sequentem in modum differit: *Nec idem facinus potuit silere nostrâs per idem tempus, quisquis sit versificator, qui graphicè satis per suos versiculos licet barbaros id depingit:* * *Audite posteri insignem Pœticam:*

Iure dolet mundus quod sit Iacobita secundus,
Iudas quod restat, mors Cæsaris hoc manifestat,
Anno milleno, ter centeno duodeno
Vno non pleno privati luce veneno.

Quos versus scribenti non poterat non succurrere, quod eruditissimus & in humanioribus literis hoc tempore primas tenens *Olaus Borrichius* rectissimè scripsit Dissert. II. de Pœtis p. 90. *Adeo miserabilis seculo XIV. visa est Pæsios Latinæ facies, ut de exsequiis ejus sollicitæ*

licitæ

Historici nimii fere sint in laudibus ejus. Vide eas recensitas apud *Felicem Osium* in notis ad Mussati Histor. p. 63. seqq.

* Ne vapuletis! Quemadmodum si quis Neronis pœmata aspernabatur, aut etiam negligentius audiebat, puniebatur, ut est apud *Philostratum* lib IV. de vit. Apollonii c. 13. Cæterum suspicor hos ipsos versus esse epigramma, quod occasione violentæ Henrici mortis confectum fuisse *Ioannes Aventinus* dicit, Annal. Bojor. lib. VII. p. 746.

licitæ fuerint Musæ. Et oppetiisset haud dubiè, aut certè in canoras desiisset nugas, nisi subsequentium temporum felicitas in antiquo splendore reducendo masculam operam collocâsset. Quocum amicè conspirat, quod Eruditissimi *Lipsiensium Ephemeridum Collectores* An. 1683. p. 283. scripsere: *Erat tum poesis fœdis barbarismis squalida, leoninorum versuum crepitaculis horrida, imò & legis pediæ, colorisque poetici certè majestatis priscæ planè immemor*: adde Magnum *Zieglerum* in Jurib. Majest. lib. I. c. 25. p. 385. de exilio Pœseωs ac Eloquentiæ graviter disserentem. Et quoniam versuum de morte Henrici VII. compositorum memoria hîc injicitur, age simul adscribamus hîc *Georgii * Sabini* Brandenburgensis, (*cui*, eodem *Borrichio* p. 135. judice, *paucos Germanorum Poetarum anteponas; usque adeo sollicita illi & circumspecta dictio est*) carmen elegantissimum, quod libro II. de Cæsaribus Germanicis, Tomo scriptorum *Freheri* III. nobiscum communicavit:

Quæ florente statu rerum Florentia nomen
Vrbs tenet ac ripis adjacet Arne tuis.
Cæsaris Henrici parere negabat habenis
Freta suis opibus, robore freta suo.
Hanc ubi vindicibus cinctam legionibus urbem
Ipse subacturus fulmine Martis erat.
Thuscia conduxit sceleris mercede Ministrum,
Dominici tonso de grege Frater erat:
Toxica qui præbens illi sub corpore Christi,
Manducanda sacro pane venena daret.
Allatura piis mortalibus esca salutem
Causa necis Regi perniciosa fuit.

§. IX.

Postquam carmina versusque commemorare cœpi, oblivisci nequeo prolixissimi pœmatis, eadem ætate nescio à quo confecti. Protraxit illud primus, quòd sciam, è tenebris Papalibus, (sub quibus

* *Gentilitio nomine Schulerus is dictus est, fuitque Philippi Melanchthonis gener & Peuceri socer, Vir animo integro & recto judicio præditus*, ita de eo sentit ac loquitur *Goldastus* in Comment. de Regn. Bohem. lib. VI. c. 6. p. 645.

quibus forte adhuc lateret,) *Matthias Flacius Illyricus*, Vir * scriptis suis pluribus, sed maximè Historiæ Magdeburgicæ Centuriis notus, & in conquirendis hujus generis scriptorum libris diligentissimus, ediditque inter *Varia Doctorum Piorumque Virorum de corrupto Ecclesiæ statu Pœmata* Basileæ An. 1557. literis exscripta, part. IV. p. 470. seqq. quorum abs se editorum meminit etiam, cum quinquennio post Anno nimirum 1562. Argentinæ *Catalogum Veritatis Testium* typis vulgaret p. 260. Ex hoc Flacii Pœmatum libro, etsi dissimulet, *Marquardus Freherus* postea illud in Appendice Tomi I. Scriptor. Germ. p 15. recensuit. Titulum ei *Flacius* loco cit. hunc præscripsit: *De Morte Imperatoris Henrici VII. quem Frater Paulinus ordinis Prædicatorum intoxicavit, (quod tamen illius Ordinis Fratres constantissime negant,) ex vetustissimo libro carmina seu rhythmi quidam.* Pœma ipsum his conceptum est verbis, (neque enim prolixitas ejus impediet, quin nostram illustret & augeat commentationem.)

In anno quo millesimum
  Ante & trecentesimum
  Adfuit, ac duodenum,
  Præcinctum stricta fascia,
  Cœleste verbum, gratia
  Et veritate plenum.
Ut serpens lividissimus,
  Leviathan turpissimus,
  Aspis invidiosa,
  Successibus victricibus,
  Et actibus felicibus,
  Non favens tortuosa.
Gens fremens in Florentia
  (Quam tangat pestilentia,
  Quam dictat in Monarcham,
  Ut corruat pestiferè
  Intereat mortiferè)
  Thesauri pandens arcam.
** Paulinum quendam variis
  Corrumpit cum denariis,
  Quampluribus florenis,
  Ut Principem piissimum
  Monarcham potentissimum,
  Inficiat venenis.
Paulinus non scientiæ
  Indutus nec clementiæ,
  Sed Spiritu furoris,
  Ad nefas minus pavidus,

 Sed

* Verba audis *P. Pithœi* ex allocutione ejus ad lectorem, quæ habetur in fine Chronicorum *Ottonis & Radevici Frisingensium* edit. Basil. An. 1569.

** *Carolus du Fresne* in Glossario, quod non immeritò penu quoddam antiquariæ supellectilis dixeris, in voce *Floreni* part. I. p. 465. tmema hoc citat, nullius quem agnoscat, facta mentione auctoris.

Sed auri nimis avidus,
Et prodigus honoris.
Thesauri capto stemate,
Sed mortis anathemate
Iniquè pollicetur,
Quod tuum Cæsar magnanime
Corpus fiet exanime
Guelphusque liberetur.
Hæc turpis colligatio,
Quam Florentina ratio
Sic colligat nefanda,
Heu minimè dissolvitur,
Qua Principis resolvitur
Humanitas laudanda.
Augustus horum nescius,
(Cum homo non sit præscius,
Sed Deus futurorum)
Enarrans sub spe gratiæ,
Cuncta cordis acie,
Commissa delictorum.
Reponens confidentiam
In Deo, pœnitentiam
Pro viribus implere,
Promittit Cæsar præpotens,
Ut Dominus omnipotens
Dignetur abolere,
Quæcunque gessit crimina,
Sic purgans cordis limina,
Scopa Confessionis,
Ut fiat Apostolicæ
Sic particeps Catholicæ
Sacræ communionis.
Paulinus non intrinsecus
Paratus, sed extrinsecus,
Solennia missarum
Dicturus sub oramine,
Ut Principem libamine
Communicet præclarum.
Sed simulata veritas,
Hîc venenosa feritas,
Sub ungue occultatur.
Qua Princeps serenissimus,
Fide Christianissimus,
Clandestinè vocatur.
Sic Sathanæ archangelus,
Transformans se sic angelus,
Infector luculentus,
Post vitæ alimoniam,
Dans mortis acrimoniam
Amicus fraudulentus.
Venena Princeps sentiens,
Vindictæ non consentiens,
Sic ait: ô mi frater,
Amicum cur interficis,
Quem commendavit mater?
Amicum tibi creditum,
Pro nato tibi deditum,
Cur necas per venena?
Cur tristes reddis populos,
Quot udos facis oculos,
Quam cuncta pallet gena?
Hæc Princeps & similia
Dum profert, supercilia
Hypocrita deponit.
Sic Dominator gentium

Vene-

Venefico silentium
Benignus imponit.
Nec tradit hunc tortoribus,
Sed jubet ut à foribus
Clandestinè recedat.
Sic pro persecutoribus,
Precatur, Christi moribus,
Ne judex manus lædat.
Paulinus frenum rapiens,
Clam citò fugam capiens,
Lateribus equinis,
Punctatis cum calcaribus,
Tam fœminis, quam maribus
Exponit Florentinis
Totius facti seriam
Processus & materiam
Intoxicationis,
Qua plebis ex ferventia
Auditur in Florentia
Vox exultationis.
Dum Cæsaris Consulibus,
Suisque contribulibus
Commissa propalantur,
Fit ingens ululatio,
Nobilium turbatio,
Magnates lachrymantur.
In grandi stat tristitia
Exercitus militia
De Principis ruina,
Quam feritas damnabilis,
Manusque detestabilis
* Coagulat Paulina.
Dum sentit Vir Catholicus
Quod humor Melancholicus
Se arctius extendit
Magnates citò convocat,
Ad lachrymas quos provocat
Sic dicens: Mors tetendit.
Jam arcum suum acrius,
Imperium alacrius
Defendite fideles:
Ne meum per dispendium
Lætentur, & compendium
Percipiant crudeles.
Incircumcisi moribus,
Rebelles *Præceptoribus*,
Ne amplius exultent:
Nec viris, ut exterritis,
Famosis, imperterritis
Militibus insultent.
O Nobiles Imperii
Victores improperii,
Nunc memores estote,
Quod Mathathias commodo,
Privatus vitæ quomodo
Præmonuit devotè.
Gentes æquanimes,
Pro testamento animas,
Et legibus paternis
Viriliter exponite
Formidinem deponite
Pro præmiis supernis.
Et Judas Vir fortissimus,
In populo mitissimus,

 Illu-

* Vid. *Carol. du Fresne* Glossar. Tom. III. p. 207.

Illuſtris Machabæus,
Qui hoſtem non abhorruit,
In bello quando corruit,
Exultat Philiſtæus.

Quem plebs Iſraelitica
Deplangit & Levitica,
Et vitæ celebratis
Lugubribus exequiis,
Et gentium reliquiis,
Et principum legatis.

Tyrannus quicquid reprobus,
Pro ſacris & pro legibus,
Ulterius luctatur,
Et victrix plebs Judaica,
Ob bella Machabaica,
Hucusque veneratur.

Vos inclyti ſimiliter,
Luctamini viriliter,
Cum plebe tam incæſta:
Ut celebris cum gloria
Veſtrorum ſit memoria
Per orbem manifeſta.

His dictis cum auxilio,
Et Principum Conſilio,
Nobilium Prudentum,
Imperium ut amodo,
Fruatur pacis commodo,
Diſponit teſtamentum.

Conſtituens vicarium,
Fidelem commiſſarium,
Canem de Verona,
Munitum legum ſtemmate
Armorum fretum ſchemate,
Virilitatis Zona.

Ornatum, Virum bellicum,
Veracem, fidum, mellicum,
Verbisque ſerioſum,
Amicis ſatis placidum,
Sed inimicis acidum,
Triumphis glorioſum.

Scriptis inventariis,
A publicis notariis,
Factisque codicillis,
Signatis curioſius,
Munitis ſtudioſius,
Cæſareis ſigillis.

Hortatur inſtantiſſime,
Ut Cæſaris noviſſimæ
Aſſiſtat Voluntati:
Et teſtamentum editum,
Honori ſuo creditum,
Suæque probitati.

Ut miles carens vitio,
Fideli exercitio,
Fidelis exequatur.
Quod minus ſit ſufficiens,
Et viribus deficiens,
Se Canis arbitratur.

Sed victus à nobilibus,
Viriſque ſpectabilibus,
Cum fletibus admittit
Auguſti deſiderium:
Quod proteget imperium,
Pro viribus promittit.

His

His factis nec theoricum
Accersit, nec chirurgicum,
Carnis infirmitati:
Sed animarum medicum,
Commendans diem tetricum
Divinæ voluntati.
Ut fidei consocius
Precatur hic quàm ocyus,
Divinis Sacramentis
Ut muniatur parcius,
Cum mors non agat arctius,
Sed stimulet tormentis.
Viatico dum fungitur,
Et oleo inungitur,
In fide roboratur:
Renuncians que seculo,
In crucifixi speculo
Se Princeps speculatur:
Sic valedicens populis,
Turbatis clausis oculis
Hinc Spiritum emittit,
In Trinitatis nomine,
In manus Tuas Domine
Quem amplius committit,
O quantus luctus omnium
Ob diræ mortis somnium,
Quàm plurium lamenta
Audaces turbant animos,
Sollicitant magnanimos,
Conturbant elementa.
Virilis sexus ejulat,
Plebs muliebris ululat,
Gens clamitat per astra:
Auditur planctus undique
Qui præ dolore utique
Extollitur ad astra.
Perfusis genis fletibus,
Plebs militum cum cœtibus
Extrahit capillos:
Ingemiscendo clamitat,
Mors illi quare percitat,
Qui facit nos pupillos?
Sic hominem maleficum
Condemnant, & veneficum,
Tam magni quam pusilli:
Et imputantes ilico
Iniquitatis villico
Sic ajunt pupilli:
O traditor blandissime
O proditor vilissime
O pessime mercator,
Hæresiarcha pallide,
Insidiator callide,
O archicriminator.
O venenosa scabies,
O belluina rabies,
O fera truculenta,
O bellua sævissima,
O vipera nequissima,
O tabes virulenta!
Grassaris cur in Dominum?
Cur regem necas hominum?
Cur mundi demis florem?
Cur tantum lædis apicem,
Magnalium opificem,
Imperii decorem?
Cur mundi turbas gaudium,
Detestatorem fraudium,

Bonorum ſectatorem?
Inſontem quare decipis,
Quotidie quo recipis
Res largas & honorem?
Benignum cur interimis?
Manſuetum quare perimis?
Cur inficis modeſtum?
Cur humilem perſequeris?
Cur ſimplicem inſequeris?
Cur opprimis honeſtum?
O nequam cunctis nequior,
Quo nemo vixit æquior,
Cur per te venenatur?
O Satana malignior,
Theſauro gemmis dignior,
Cur per te trucidatur?
Impenſis beneficiis,
Reſpondes veneficiis,
O Canis impudice,
Qui totus tibi credidit,
Arcana quævis edidit
Cur fraudas inimicè?
Horrores gentibus irruunt,
Et aures ambæ tinniunt,
O facinus horrendum?
Fit mentis trepidatio,
Stupor, horripilatio,
Ob nefas contremendum.
Immanior es pecude,
Tu durior es incude,
Tu malleo veneni:
Tu fabricator funeris,
Te cœcum cœci muneris
Præcipitant floreni.
Tu degener ab homine
Nec belluino nomine
Es dignus nuncupari:
Cum Dathan & cum Abiron,
Quos deglutivit Acheron,
Vix dignus nuncupari.
Funeſtis tuis manibus
Hoc opto, ne à canibus
Vel avibus rodantur:
Ne ex veneni vitio
Communicent exitio,
In rabiem ferantur.
Senex ad Sacerdotium
Te ſibi fore ſocium,
Tu Frater prædicator
Nec es, nec eſſe diceris,
Fuiſſe ſed conjiceris
Alter prævaricator.
Te Cleri congregatio
Religionum ſtatio
Cruentè deteſtatur:
Societas crudelium,
Conventus infidelium
Te ducem aſpernatur.
Tu perfide conſidera,
Sol, luna, cœlum, ſidera
Cum aere nigreſcunt:
Arbuſta, ſaltus, gramina,
Telluris flores, germina
Ob ſcelus exareſcunt.
Eſt enim execrabile,
Nephaſque deteſtabile,
Res prorſus impudica:
Quòd Aquila mirificus,
Per-

Pergrandis & magnificus
Occiditur à pica.
Per orbis cuncta ſpacia
Sit nulla tibi gratia
O beſtia cruenta:
Sed turpi pro audacia
Surripiant ſolatia
Bis duo elementa.
Oremus Dilectiſſimi
Fideles devotiſſimi
Pro Principe gementes,
Ut tibi ſit auxilio
Qui proprio nec filio
Pepercit, ſic dicentes:
Extenſus more platani
Heli lamazabathani
Qui clamitat in cruce,
Sit Principi propitius
Et eruat hunc citius
A perfidorum duce.
Ne damnatorum maxima
Reorum neque proxima
Cathena hunc conſtingat:
Nec Tartari diſpendium
Gehennæ vel incendium
Severius attingat.
Sed data ſibi venia
Ad Paradiſi mœnia
Per manus Angelorum
Ducatur è militia
Fruatur & lætitia
In patria vivorum.
Qua Deus non per ſpeciem,
Sed facie ad faciem,
Quam pulchrè revelatur:
Quem omnis ordo cœlicus,
Conventus & angelicus
Cum laude veneratur.
Ubi dolor nec triſtitiæ
Nec languor nec mœſtitiæ,
Nec labor, neque planctus:
Sed jugi cum frequentia
Sunt Cherubin canentia,
Sanctus, Sanctus, Sanctus.
Quod ſumma præſtet Trinitas,
Et viva divinitas,
Cunctorum Moderamen:
Quam decet virtus, gloria
Laus, honor & victoria,
In ſempiternum,
Amen.

Procul dubio verſus hi illi erunt, quorum *Cuſpinianus* de Cæſaribus p. 362. meminit: *Circumferuntur*, inquiens, *verſus non admodum concinni, qui lamentabilem ejus mortem conqueruntur*; quo ipſo tamen loco nihilo his meliores ille attulit.

§. X.

Poëtarum modo adductorum fidem nequaquam labefactat, quod Poëtæ fuerint, *quorum ſicut & Oratorum ſententiæ tantum pondus non habent*, ut *Grotius* ait in prolegom. ad inſigne ſuum opus de

de *Jure Belli ac Pacis* §.47.p.XVII. & prolixè antiquorum suffragiis *Bochartus* confirmat, in Epistola ad Dn. *de Segrais*, qua * Æneam in Italia fuisse negatum ivit, quamque Doctissimus *Schefferus* ex Gallico in Latinum Sermonem An. 1672. convertit, p. 20. (habetur in fine iteratæ editionis Bochartianæ Geographiæ S. Francof. 1674.) Absit enim pari omnes Poëtas honore afficias aut dedecore. Ut veritatem à Poëta, ** qua talis est, & non nisi quæ afficiunt aut delectant more Poëtarum fingit atque affert, frustra quæsiveris, ita inter veteres ac novitios, multos Poëtas juxta bonos atque Historicos insignes fuisse leviter eruditus sit, qui neger, necesse est. Notum est, quam illi vapulent passim, qui *Lucanum* & *Silium Italicum* è Poetarum numero ejicere conantur, quia nimis se se ad veritatem alligârunt. Vapulabunt non minus, qui omnem contemtui habere volent veritatem, quia non auctorem sed testem vademque habuerit Poetam: Maximè illo quo nostri Poetæ vixerunt tempore, ubi Poëtica ars non tam ad res non factas fingendas adhibebatur, quam factorum veritatem eo simplicius atque ut credebatur nitidius proponendam: Repræsentant enim Poëtæ res ipsas melius evidentiusque quam vel Historici vel Oratores, & propemodum ex lectoribus atque auditoribus efficiunt spectatores. Nullum aliâs hoc pacto fidei Christianæ caput, nullum

* Quod idem ante eum *Phil. Cluverius* Ital. Antiq. lib. III. p. 832. seqq. impugnaverat. Sed utrique *Cluverio* & *Bocharto* satisfecit nuper, & contrarium cum veteribus propugnavit *Theodorus Ryckius*, in Dissertatione de primis Italiæ Colonis & Æneæ adventu, quam *Lucæ Holstenii* notis & Castigationibus posthumis in Stephani Byzantii ἐθνικὰ sive de urbibus à se Lugduni An. 1684. editis subjunxit c. 12. p. 457 seqq.

** Eò spectant *Vossii* verba in præfat. Theolog. Gentil. *Poetæ miranda magis, quam vera dicere amant; unde & ea quæ figurato sunt sermone prolata, proprio accipiunt; atque ut fabulam semel susceptam magis expoliant, alia proposito inservientia de suo accudunt liberaliter, nihil pensi habentes, si magnis follibus immensa spirent mendacia, dummodo sub fabularum involucris exempla adducant vitæ utilia humanæ.* Ipse *Naso* Poetarum haud quaquam postremus ultro id fatetur sic canens, *tertii Am. eleg. 12.*

Extat in immensum fœcunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide

Poeta videlicet magis tunc sic dicitur ob figmenta, quæ invenit, quàm ob carmina, quæ componit, prout statuit *Aristoteles*, & ante hunc *Plato*, cujus autoritati *Horatius*, *Plutarchus* & *Quintilianus* subscribendum esse censuerunt. vid. *Huetium* de origine fabularum Romanens. p. m. 4.

lum quod verè contigit miraculum, nullaque de qua certò constat historia Carminis argumentum erit, quod absurdum esse quis non videt? Equidem *Petronio Arbitro* in Satyrico mens ea fuit, quando *Lucani* pœma, quod is *de bello Civili Cæsaris & Pompeji* fide historica scripsit, sic reprehendit: * *Ecce belli Civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longè melius Historici faciunt, sed per ambages, Deorumque ministeria & fabulosum sententiarum tormentum, præcipitandus est liber Spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quàm religiosæ orationis sub testibus fides.* Ast *Petronio* tot Clarissimorum Veterum ac recentiorum Poetarum exempla, qui res verè gestas immortalitati suâ pennâ consecrârunt, adversantur, ut verbis pluribus ad eum confutandum opus haud quaquam sit. Vide qui perplura congessit *Olaum Borrichium* de Poetis Differt.I. p. 4. Nolo commemorare, quæ de Poetis Epicis, quibus Historia pro argumento esse solet, ex *Giraldo, Scaligero, Lotichio, Vossio, Borrichio* disputari hîc possent: Certè si adeo rigidè Poetas absque discrimine omnes contemnere velimus ac mendacii accusare, quî Veterum quorundam Ecclesiæ Doctorum salvari honor atque existimatio possit, non video: Horum enim multi, & præter cæteros nominatim *Aurelius Prudentius, Sedulius* Presbyter, *Prosper* & *Paulinus* Episcopi, *Iuvencus* Hispanus, *Apollinaris Sidonius, Felix Ennodius, Severinus Boethius* literas istas ita impensè amârunt & venerati sunt, ut omnem prope ætatem in illis excolendis consumerent. Quapropter, quicquid aliis fortean videbitur, *S. Basilii* de utilitate ex profanis scriptoribus petenda monitum ac regulam noluimus negligere, quæ extat in *admonitione* ejus *ad adolescentes, quomodo ex Gentilium doctrinis proficiant.* Tom. I. Opp. Latin. p. 490. & Opp. Græc. p. 226. καὶ ποιηταῖς καὶ λογοποιοῖς καὶ ῥήτορσι,

* Quem locum Petronii, cum *Bochartus* ab amico quodam sibi suggestum esse in citata Epistola p. 20. laudet, miror cognitum illi non fuisse ex *Gerhardi Iohannis Vossii*. Viri mirabilis, & de quo meritò dubites utrum majorem à doctrina & ingenio, an à modestia laudem mereatur, (quo encomio *Bochartus* in Geogr. S. lib. I. c. 18. p. 485. laudes Vossii cumulavit) doctissimo libro de Latinis Historicis, in quo lib. I c. 26. p. 137. illum citaverat.

καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέον, ὅθεν ἂν μέλλῃ πρὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ὠφέλειά τις ἔσεσθαι. *Poetis & oratoribus & omnibus hominibus utendum, unde aliqua utilitas futura sit, quæ ad animæ ædificationem faciat.* Unde emendabis Lector duriora effata, quæ Jus Canonicum *Decret. Gratian. part. I. Distinct.* 37. *c.* 15. Tom. I. Lugdunensis editionis An. 1618. p. 187. continet. De usu ex Poetarum lectione capiendo prolixè differentem vide *Ioh. Conradum Dieterichium* in Antiq. Bibl. V. Test. prolegom. p. 31. seqq.

§. XI.

Sed revertimur ad testes nostros, inter quos se se nobis offert *Benevenutus de Rambaldis* Imolensis, qui sub *Caroli* IV. filio *Wenceslao* vixit, sub eodemque *de vitis Cæsarum* libellum conscripsit, qui dicitur *Augustalis.* Prodiit primò, testante *Vossio* de Histor. Latin. lib. III. c. 3. p. 538. Argentorati An. 1505. Atque iterùm An. 1602. cum edidit veræ antiquitatis Custos ac Vindex *Marquardus Freherus*, Tom. II. script. Germ. fecitque ut ibidem p. 13. hæc de Henrici obitu legamus: *Unde opera Florentinorum (ut infama fuit) venenatus apud Bonconventum castellum Senarum, optimus Imperator, cum imperâsset annis IV. mensibus VIII. & diebus XVIII. nunquam elatus prosperitate, nunquam dejectus adversitate, Anno Domini MCCCXIII. mortuus est.* Adjiciendum hîc, priusquam ad reliquos saltum faciamus, *Henricum Gundelfingensem*, qui An. 1476. Historiam Austriacam scripsit, quam in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi MS. superesse *Lequilius* nos docet *de rebus Austriac.* Tom. I. p. 157. allegare libellum hunc sub nomine *Francisci Petrarchæ* (vid. *Sandium* in notis ad Vossium p. 236.) ceu factum quoque est à *Benevenuti* editore *Marquardo Frehero*, quando Tom. I. script. Rer. German. in marginalibus notis ad *Henrici Rebdorffiensis* supra allata verba p. 417. adscripsit: *Petrarcha in lib. Augustali.* In eodem versantur errore *Abrah. Bucholcerus* in Indic. Chronol. p. 359. & ex & cum eo *Lucas Osiander* Histor. Eccl. Centur. XIV. lib. I. c. IV. p. 414. aliique plures, queis non ambigo, quin imposuerit, quod cum Petrarchæ Operibus liber iste communiter excusus reperiatur. Vid. Opp. *Petrarchæ* Basileæ Ann. 1554. edita

Tom. I.

Tom. I. p. 590. Cautius se gessit *Brovverus*, qui Tom. II. Annal. Trevir. lib. XVII. p. 195. *Benevenutum* allegat, & in ora addit: *lib. Augustali apud Petrarcham.* Unde verò *Gundelfingensis*, & an forte ex *Petrarchæ* manu exaratis operibus id habuerit, fateor me ignorare. *Sandius* enim lib. cit. p. 200. & ex *Thomasino*, *Ioannes Hallervord* in Spicileg. de Histor. Latin. p. 67. certos nos reddunt, haberi in Biblioth. Vaticana *Petrarchæ Commentarium de vitis Imperatorum à Iulio Cæsare usque ad Wenceslaum*; in quo num eadem, quæ Benevenutus habet, contineantur, facultates meæ non sinunt ut certior fiam. *Blondellus* in examine quæstionis vexatæ de Joanna Papissa p. 5. librum Petrarchæ *de Pontif. & Impp.* consuli jubet, ubi non minus incertum, librumne *Benevenuti* Augustalem intelligat, an dictum *Petrarchæ* manu exaratum Commentarium. Scripsisse etiam fertur *Ioannes Stella* librum *Augustalem* de Imperatoribus Romanis, editum Venetiis An. 1503. vid. *Hallervord.* Biblioth. Curios. p. 204 *Sandius* in notis ad Voss. p. 235. quem quia non vidi, dicere itidem non ausim, continuaritne Stella Benevenutum, an exscripserit, an denique novum opus composuerit. Cæterùm sive *Benevenutum Imolensem* auctorem testimonii credamus, sive *Franciscum Petrarcham*, parum refert & causa nostra damni nil patitur. Uterque enim medio seculi XIV. floruit, indeque optimo jure allegari à nobis alteruter potuit. Quin si *Petrarchæ* illud vindicaveris, magis adhuc lucramur, cum quia *Vossii* calculo ætate is *Benevenutum* antecessit, natusque An. 1304. parentibus origine Florentinis fuit, (quorum cives præ aliis sceleris auctores fuisse perhibentur,) tum ac inprimis, quia major ejus apud eruditos auctoritas est atque existimatio. Videri de ejus vita, scriptis ac laudibus potest *Martinus Hanckius* de scriptor. * Rer. Roman. lib. I. part. I. c. 42. p. 194. & lib. II. part. poster. c. 42. p. 332 & *Georgius Matthias Konig* in Biblioth. Vet. & Nov. p. 624. (cujus in libro illo commissos errores aliàs notabo.) Mirari hac occasione quin & indignari satis nequeo levitatem *Brovveri*, qui in Annalibus

 suis

* Dignus is Hanckii liber visus nuper est, quem laudarent doctissimi auctores τῶ *Iournal des sçavans* An. 1684. D. 24 Januar. p. 20. edit. Paris.

ſuis Trevir. loc. cit. in hoc hiſtoriæ capite *Benevenutum* tacet planè ac ſpernit, de quo tamen paulò poſt magnificè admodum ſentit ſcribitque: *Benevenutum haud obſcura ingenii fama Virum Italico genere libenter hic judicem ſortior.* Cur itaque judicandi partes non etiam detulit ipſi, cum lis de Henrici morte decidenda eſſet? An pecuniâ aut affectuum impotentiâ corruptum tunc eum credidit ipſe ingenio corruptus? Sed agit *Brovverus* ex more ſociorum ſuorum, quibus Veteris Eccleſiæ Patres judices ſunt in definiendis fidei capitibus cum placent, non ſunt, cum diſplicent. *Cum libet novis Patribus*, ſcitè inquit *Rivetus* Critic. S. De Patr. Auctor. cap. VII. p.43. *argumentum à Veterum Patrum autoritate eſt infallibile & inevitabile, cum diſplicet, infirmum eſt*; & *Povello* de AntiChriſt. p. 247. egregio ſimili videntur Papiſtæ *Patres habere pro calculis ſupputatoriis, qui alio atque alio loco poſiti modo talentum ſignificant, modo triobulum, pro arbitrio ſupputantis.* Plura lectu digniſſima Jacobi Laurentii *Subdola Reverentia Papalis erga Patres* ſuppeditabit, non ſine cauſa à noſtro *Dorſchæo* commendata, in ſcrupul. Religion. Scrup. III. p.15. quem & de eadem materia prolixè atque eruditè differentem vide in Myſar. Miſſ. c.IX. §. 11. p.295. ſeqq. & inprimis in Diſſert. de Autorit. Eccles. Conſiderat. I. p.4. ſeqq. Adi etiam, ſi placet & vacat, *D. Hülſemannum* in Manual. Aug. Confeſſ. Diſp. XIX. p.1216. *D. Gerhardum* in Confeſſ. Cathol. lib. I. Gen. Part. II. c.13. p.564. ſeqq. *Chamierum* Panſtrat. Cathol. Tom. I. de ſcript. Interp. lib. XVI. c.XI. §.VIII. ſeqq. p.297. & 298. *Dallæum* de vero uſu Patrum lib. II. c.6. p.313. ſeqq *Hottinger.* Πentad. Diſſert. de Abuſu Patr. p.7. ſeqq. & quos non?

§. XII.

Ordo tangit *M. Albertum Argentinenſem*, ſive ut vulgò audit, *de Argentina.* Floruit is temporibus Caroli IV. & filii ejus Wenceslai, condiditque bona fide Chronicon ab Anno CIↃ CCLXX. usque ad exceſſum Caroli IV. Imperatoris, qui incidit in Annum CIↃ CCCLXXVIII. Edidit ejus fragmentum *Cuſpinianus* in fine Auſtriæ ſuæ, excuditque *Oporinus* Baſileæ An. 1553. quo de intelligenda puto verba *Voſſii*, ſcribentis de Hiſtor. Latin. lib. III. c. 3.

p.537.

p.537. * *Sæpius illius* (Alberti) *in sua Austria meminit Cuspinianus, qui & ejus fragmentum edidit cum Consulibus Romanis.* Integrè eum edidere *P. Pithœus* in Chronicis *Ottonis* & *Radevici Frisingensium* Basileæ An. 1569. editis p. 174. & *Christianus Urstisius* Tom. II. scriptor. Rer. Germ. p. 118. Differit *Albertus* in prædictis locis hunc in modum : *Et in assumtionis Virginis Mariæ vigilia, decantata coram eo Missa, eoque per quendam Prædicatorem communicato, post missam cœpit illico infirmari. Dicebatur enim quod ipse Prædicator venenum sub ungue digiti tenens absconsum post communionem potui Cæsaris immisisset, & illico discessisset. Cum autem consuleretur Cæsari, quod Pisas reverteretur, ipse se in servitio Domini esse, & non retrocessurum respondit, & procedens cum venisset ad villam, quæ dicitur Bonconvent, progredi ultra nequivit: sed in die B. Bartholomæi decessit, quem exercitus Pisas reduxit: ubi cum ineffabili lamentatione est honorificè sepultus, Anno Domini MCCCXIII.* In eandem sententiam in Commentario de *Bertholdi* à *Buchecke* Episcopi Argentinensis gestis eodem Tomo Urstis. p. 167. *Hic Hugo*, inquit, *intoxicato Imperatore in calice per quendam Prædicatorem ipsum communicante post Missam & Pisis sepulto, &c.* Ex quo loco, quomodo τὸ *dicitur* in priore intellectum velit, manifestum evadit.

* Fallit autem *Vossius*, quod *Albertum sæpius* à Cuspiniano in Austriæ libro citatum scribat, quum fere non nisi semel & quidem p. 46. factum id à *Cuspiniano* his verbis deprehenderim: *& præsertim diligentissimum scriptorem M. Albertum Argentinensem, qui per ea tempora* (Friderici Austriaci & Ludovici Bavari) *floruit, & res Austriacas summa fide complexus est.* Sæpius verò *Cuspinianus* illius meminit in opere de Cæsaribus, quod forte *Vossius* in mente habuit tametsi non in calamo.

§. XIII.

Insigne etiam robur sententiæ nostræ addit, quòd *anonymus auctor*, qui *Gesta Baldewini de Luczenburch Trevirensis Archi-Episcopi* nostrique Henrici Fratris recensuit, & quem non ita pridem *Stephanus Baluzius*, * (qui merito suo inter doctissimos Gallorum habetur) è Galliarum Regis Bibliotheca lib. I. *Miscellaneorum* commu-

* *Vir undiquaque celeberrimus & de antiquitate inprimis Ecclesiastica merentissimus, antiquitatis Ecclesiasticæ thesaurus vivus*: est elogium, quo *Baluzius* à *Iohanne Struchio* commendatur, & quod dum hæc revideo, in hujus *Amænit. Iur. Canon.* Semestr. I. p. 7. & 11. & 161. commodè observavi..

munem fecit, id omne, quod à præcedentibus dictum relatumque percepimus, prolixè atque etiam accuratè confirmet. Incertum equidem eſt, quo is ſpeciatim tempore vixerit, nulli autem dubitamus, quin ad ſeculum XIV. referendus ſit, quandoquidem in præfatione p. 94. ſe ſcribere velle promittit, *quæ ipſe temporibus Balduini eveniſſe viderit.* Hinc & doctiſſimos Viros conſentientes hîc habeo, *Guilielmum Kyriandrum* in Annal. Trevir. part. XVII. p.241. *Auctor Vetus, qui Balduini 92. Archimyſtæ res geſtas memoriæ prodidit, æqualis illorum temporum*, Item *Felicem Oſium* in notis ad Muſſati Hiſtor. p.104.b. *Hæc ferme, etſi non iisdem verbis, rerum ab eo* (Balduino) *geſtarum ſcriptor & Encomiaſtes vetus, æqualis illorum temporum ut apparet*, & p. 106.a. *Ex veteris illius ſcriptoris penu, cujus meminimus ſupra, quique tribus libris prolixè complexus res à Balduino geſtas, vel minimarum actionum illius laudator extitit operoſus:* & cum his *Baluzium* ipſum, qui in præfat. ad Lectorem ait: *ſcripta ſunt ab auctore ſanè nobis ignoto, ſed tamen coætaneo adeoque plurimi faciendo.* Confer quoque *Brovverum* in Annal. Trevir. Tom. II. lib. XVII. quo Balduini hujus vitam resque ab eo geſtas pluribus complexus eſt. Locus auctoris iſtius anonymi evidens manifeſtusque eſt, qui extat lib. 2. c. 17. p.132.133. Tom.I. *Miſcell. Baluz.* cujus hæc verba ſunt, quæ ſequuntur & ad Henrici mortem ſpectant: *Subditorum cunctorum mitiſſimus defenſator, rebellatorum verò rigidiſſimus extirpator iſte Henricus ad veſaniam Roberti Siciliæ Regis perdomandam verſus Neapolim, ubi ipſe habitavit, iter capiendo, & veniens Benconvent, eodem anno XV. Auguſti, id eſt, aſſumtionis B. Mariæ Virginis, Miſſam more ſolito devotè audiebat, & à quodam Ordinis Prædicatorum * religioſo Dominici corporis Chriſti ſacramentum*

* Dominicani & Franciſcani amant vocabulum *religioſi* præ appellatione *Monachi*. Volunt enim ſe religioſos κατ' ἐξοχὴν non Monachos appellari. Vid. *D. Caſpar Ziegler* in Jur. Canon. ad Lancelott. lib.I. tit. XXV. p.168. Quod idem de Jeſuitis *Petrus Aurelius* refert Tom. II. Operum juſſu & impenſis Cleri Gallicani An. 1646. *Pariſiis* editorum p. 191. *Cum Ieſuitæ* ſcribens, *eximium aliquid ſupra cæterorum ordinum vulgus exquirerent, Religioſorum & Monachorum nomina, quæ ante ipſorum ortum omnes promiſcuè uſurpabant, diſcriminare cœperunt & Monachorum appellatione contemta aliquid excellentiæ propria in Religioſorum nomine ut civiliori & plauſibiliori ambierunt, idque ne quis eos, ut cæteros Reli-*

gio-

tum devotè recipiebat; cujus sodalis ejusdem professionis ablutionem sumendam in calicem fundebat, quem ipse Imperator fidelissime sumebat, & statim postea totius corporis molestiam sentiebat. Postea sui prudentissimi intelligentes Medici ipsum nulla infirmitate alia quam intoxicationis materia graviter laborare, sibi indicârunt, devotissimè supplicârunt, quod hanc intoxicationis materiam sineret eos per inferendum sibi vomitum, radicitùs revocare. Quibus fertur respondisse: Malo migrando ad Dominum diem claudere extremum, quam generare scandalum in sacrum Dominicum & detrimentum Christianorum. Et sic in illa infirmitate usque ad diem Augusti XXIV. laboravit, qui est Dies Bartholomæi omnium Apostolorum secundum sanguinem nobilissimi, ipse omnium Christianorum nobilissimus spiritum suo, qui fecit illum, reddidit Creatori. Nihil hîc, ne nimis prolixus sim moneo, nisi quòd Nobilissimi *Schilteri* eximium tractatum *de Libert. Eccles. Germ,* lib. VI. c.1. p.742. & 743. conferri huc non inutile putem.

§ XIV.

Placet nunc adducere Vetus manu exaratum Germanicum Chronicon, quod Celeberrimus Basileensium Theologus *D. Iohannes Zvvingerus* (*Cogentii* illius, quocum multæ lites *D. Dorscheo* circa necessitatem ἀρτολατρείας in Eucharistia intercesserunt, filius) in Bibliotheca sua asservat, & cujus mihi ex Dissertatione ejus secunda de *Festo Corporis Christi* p. 39. jam cogniti, copiam videndi & perlustrandi tum faciebat, cum ante duos circiter annos summam illius humanitatem præsenti mihi Basileæ exosculari licebat. Ita autem illud, quod Germanicè scriptum ut est, referam, ne mutâsse vel minimum verbum mihi possit objici. Zu denselben Zi-

ten

giosos pro hominibus silentio, solitudini & rerum humanarum despicientia deditis acciperet, sed pro novo quodam hominum genere ad regendum orbem anhelante. Forte quia metuunt, ne ut Monachi ad Laicos referantur, quo de lites notæ sunt inter *Ludovicum Cellotium* Jesuitam & dictum *Petrum Aurelium*; Vide qui eas recenset B. *D. Dorscheum* in Indic. Iniquit, ad Parallel. Monast. port. X. p. 277. Sub ficto us *Aurelii* nomine *Ioannem Vergerium de Havrannes* Abbatem Sancyranum latuisse multorum opinio est Vid. *Act. Erudit. Lips.* An. 1683. p. 478. Ratio denominationis revelatur in libro Gallico: *Recueil de diverses pieces publiées pour la Traduction du Nouveau Testament imprimée a Monsp* 45. Adde curiosum scriptum *Daventria* nuper impressum, cui titulus: *l' Espr.t de Mons. Arnaud.* part. I p. 226. seqq. Monachos Laicos esse prolixè atque erudite ostendit *M. Antonius de Dominis* de Republ. Eccl. part. I. lib. 2. c. XII n. II. p. 351. seqq.

ten schuff derselbe Bobst (Clemens V.) daß Keisser Heinrich vergeben ward. Der Bobst bekandte an sinem End der vorgeschribner dryer Artickel / daß er doran schuldig war / und es durch sin Gittigkeit hette gethan / davon verscheid er jemerlich / wand er verzwiflet an Gott. Do der Keisser Rom und das Land mit Gewalt betwang / do kam er gon Peis / do wolt er sich an unser Fruwen Uffart berichtten mit Gottes Lichame / wand er was ein gut gerecht Mann gen Gott. Und do er desselben Tags noch der Meß bericht / do vergab ihm der Priester mit Gotts Lichame / mit des Bobstes Rott / und mit derselben Stetten rot / wand sie dem Priester gros Gut gelopten. Do der Keisser von dem Altar gieng an sin Andacht / er empfand der vergift / do ging er durch sin gros * tugent zu dem Priester in die Sacrastye / und hies in fliechen / e das sin Gesind inen würd. Der Priester was ein bruder Bredyersordens / der dissen Mord begye. Do der Keisser inen ward der Wetagen / er seit den Herren / das im vergeben was / do hub sich grosse Klag. Doch so botten in die Herrn und Arzat / das er im liesse helffen / desen wolt er nüt / wan sie wolten im ein Tranck geben / dovon er unwillet: des antwurt in der Keisser / und sprach: Nun welle Gott nüt / das ich den jeni von mir vertrib / den ich mir ze Trost und ze Helff empfangen han. Also starb Keisser Heinrich von Lützelburg / also lieff der gemein Lümelung zu den Zitten / er ward begraben ze Pies zu dem Tume. Dissen Keisser mag man gelichen zu den besten Keisseren an aller siner gedat. Notanda hîc præcipuè putamus. I. Auctorem Chronici ut plerorumque Germanicorum Chronicorum istius temporis (vid. *Wilthem.* Vita Venerab. Yolandæ p. 174.) ignorari, neque constare etiam, quo speciatim tempore ac anno exaratum illud sit, nisi quod sub seculi XIV. finem conscriptum

* *Præstat*, scilicet, *accipere quam facere injuriam*, dicente *Cicerone* lib. V Tuscul. Quæst. c. XIX. Hinc injuriarum oblivio locum quoque obtinet inter virtutes, quas in Henrico conspicuas ex Veteribus collegit *Felix Osius*, in notis ad Mussat. p. 91. a. Non verò tantum inde Henricus emolumenti habuit, quantum ille, qui in cultu Regum consenescens interrogabatur, *Quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem? Injurias*, respondit, *accipiendo & gratias agendo.* vid. *Senecam* lib. II. de Ira c. 33 p. m. 37.

ptum eſſe laceri codicis finis arguat, ubi de peſtis vehementia, quæ aliquot antè annis totum fere terrarum orbem afflixerat, ſermo auctori eſt: Videri de ea poſſunt *Ioh. Geerbrandus à Leidis* in Chronic. lib. XXVII. c. XI. Tom. I. Annal. *Suveert.* p. 249. *Abrahamus Bzovius* Tom. XIV. Continuat. Annal. Baron. ad Ann. 1348. n. XII. p. 1045. ſeqq. *Henric. Spondanus* Tom. I. Continuat. Annal. Baron. ad dictum annum n. V. p. 496. & 497. Et aliâs juniorem iſto tempore auctorem eſſe, & codicis, & ſcripturæ, & idiomatis vetuſtas prohibent, ut credamus. II. Quæ de *rumore* ac *fama* in ultimis verbis adduntur, facti veritatem minime tollere: Non enim auctor iſte in Alſatia (cui collectionem illam hiſtoricam natales ſuos debere ut credamus, multa ſuadent, & dialectus etiam Germanica confirmat) vivens, de iis, quæ apud Italos geſta fuerant, certior à Patre Avoque aut Cognatis fieri poterat, niſi famâ ac rumore. Relatum id quidem mox fuiſſe in literas, faſtos & Annales, jamjam ex ſcriptoribus Henrico æqualibus oſtendimus, tamen quid alii ſcripſerint, tam incertus Alſatus iſte fuerat ob Typographicæ artis defectum, quam alii, quid & quòd ipſe ſcriberet, ignorabant. Tum & locum hîc habet, quod Cicero lib. II. ad Herenn. c. 8. dixit *Famam temere naſci non ſolere, quin ſubſit aliquid*; maximè quæ conſtans eſt ac conſentiens: ἣν ἅπαντες ᾄδουσι, quemadmodum ait *Ariſtides* in defenſione Periclis, vid. *Eraſmum* in Adagiis Variorum p. 594. *Fama conſentiens*, (ut *Calliſtratus* JC. ex reſcripto Adriani ad Valerium inquit *Digeſt.* lib. 22. tit. 5. §. 3.) *confirmat rei de qua quæritur fidem.* Aliâs incertis falſisque rumoribus, & famæ nullo auctore idoneo confirmatæ tam fidem non habemus, quam non habuit acutiſſimus * *Blondellus*, cum adverſus *Turriani* nugas diſputaret, in prolegom. ad *Pſeudo-Iſidorum* c. XV. p. 77. III. Vocabulum **gemein Lümelung** talem notare rumorem, qui tectè & non niſi ſub fide

F silentii

* Maimburgiano nuper Stylo impensè & velut unus, qui inter Proteſtantes ſapiat, commendatus. Vid. *Maimburgii* Traité hiſtorique de l' Egliſe de Rome c. 2. p. 20. & c. 5. p. 51. Diligentiam ejus in libro iſto adhibitam commendat quoq; *Labbeus*, ſed cum aculeo, ut eſt iniquiſſimus & mordaciſſimus Proteſtantium Cenſor, Tom I. *de ſcriptor. Eccleſ.* p. 649. Utrumque ſuperat elogium, quod *Hermannus Conringius* in præfat. libri *de Pace Civili perpetuo ſervanda* ei impertitus eſt: *David Blondellus*, ſcribens, *omnis antiquitatis peritiâ admirandus.* vide eundem de *orig. Iur. Germ.* c. 16. p. 77.

ſilentii ex ore in os volabat. Quod tum temporis maximè in remotis à loco perpetrati ſceleris regionibus, ita eveniſſe veritati eo convenientius eſt, quo ſimilius vero videtur, & Papas ſui prædeceſſoris Clementis, & Monachos Dominicanos ſui ſodalis honorem, omni qua potuerunt, vi ac arte tuitos fuiſſe, operamque navâſſe ſtrenuam, ut diuturno ac longiore ſilentio factum ex hominum memoria pelleretur, traderetur que perpetuæ oblivioni. IV. Obſervari tandem meretur, quod Papam *Clementem* V. in partem ſceleris veniſſe expreſſis hîc tradatur verbis ; Id quod alios metu Pontificiæ tyrannidis non niſi obſcurè ac generatim tradidiſſe legimus. Cauſa etiam, quæ *Clementem* ad ſcelus illud promovendum impulerit, voce Gittigkeit indicatur, ad quam meritiſſimo jure accommodes, quod *Maro* cecinit lib. III. Æneid. v. 56.

- - - *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames?

Et quod *Iuvenalis* lib. V. Satyr. XIV. ei conſonum habet:

Inde fere ſcelerum cauſæ, nec plura venena
Miſcuit aut ferro graſſatur ſæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam ſæva cupido
Immodici cenſus. Nam dives qui fieri vult,
Et citò vult fieri: ſed quæ reverentia legum?
Quis metus aut pudor eſt unquam properantis avari?

ῥίζα γὰρ πάντων τῶν κακῶν ἐστιν ἡ φιλαργυρία, verba ſunt Apoſtoli 1. Tim. VI, 10. hîc vel inprimis commemoranda: quibus junge illud *Phocylidis* τὴν φιλοχρημοσύνην, dicentis, μητέρα κακότητος ἁπάσης. Vide *Victorem* ad Plutarchum p. 549. Speravit, credo, *Clemens* ſublato è vivis *Henrico* generoſi animi & dignitatis ſuæ tenace principe, eum iri creatum Imperatorem, qui jura ſua Epiſcopalia negligendo, inſatiabili Pontificiæ cupiditati imperium in Italorum ac Germanorum animos, corpora & bona conceſſurus eſſet. Ita enim Germanicam vocem Gittigkeit cenſeo eſſe interpretandam, perinde uti & in *Regiovillani*, ſive germanico idiomate Königshoffens / MS. Chronico Germanico, (cujus quatuor exempla conferre mihi licuit, ut poſt dicetur) p. 109. b. (al. fol. CXI. pag. 2. a.) de *Marſilii Patavini* Defenſore

fensore pacis dicitur, reprehendi in eo Cardinalium avaritiam, superbiam & Simoniam, der Cardinalen Guit und Hochvart und Simonie. Et memini me in porta quadam Argentoratensi, quam *turris albæ* nomine cives insigniunt, hos Germanicos rhythmos lapidi incisos legisse:

Gottes Barmhertzigkeit/
Der Pfaffen Gytikeit/
Und der Baurin Boßheit
Durchgrindt niemand bey meinm Eydt.

quorum forte explicationem aliqua ex parte hinc quis hauriet. Avaritiam verò præ aliis vitiis in *Clementis* V. corde dominium habuisse *Antonini* Archi-Episcopi Florentini testimonio probo, Chronic. part. III. Tit. 21. c. III. §. 3. p. 287. a. *Hic* (Clemens V.) *ut Chronicæ referunt, fuit nimis cupiditatibus deditus, propter quod scelus Simoniæ* (*maximè à Canonibus detestatæ & punitæ*) *multum viguit in curia sua circa beneficia*; & paulo post causam istius φιλαργυρίας idem aperit scribendo: * *Nepotibus quoque suis & aliis attinentibus magnum thesaurum reliquit*. Adde P. *Langium* in Chronic. Citizens. p. 826. ad Antoninum nos ablegantem. Audire non minus volumus, quid *Regiovillanus*, cujus jam mentio à nobis facta est, loc. cit. fol. CLXII. pag. 2. b. scribat: Dirre Bobest und Künig Ludewig von Francke-reich hüllent gar in ein sin/ worent bede guitig/ devon schuffent sie das der ** Tempeler Orden vertilget wart und abegeten/

 das

* Alia longè mens fuit papæ ejusdem nominis Clementi IV. qui *non esse dignum*, dixit, *Petri successorem, qui plus cognationi quam pietati largiretur*, quæque dixit exemplo confirmavit, si vera sunt, quæ ex Panvinio *Lipsius* narrat in Monitis & Exempl. Polit. c. XIV. §. VII. p 176. Paria referuntur de Pontifice *Innocentio* XI. hoc tempore vivente. vid *Heidegger*. Histor. Papat. n. 322. p. 527.

** Quam atrociter *Clemens* V. Papa & *Philippus Pulcher* Franciæ Rex in *Templarios*, licet neque à Christianæ Reipublicæ obsequio defecerint, neque talis defectionis convinci potuerint, solummodo ad amplificandum ærarium, ipsorumque facultates & possessiones consequendas sævierint, ex Historia illius temporis satis atque abundè liquet. Pluribus id perquirerem, nisi instituta *Schurzfleischio*, Viro doctrinæ singularis, rei hujus demonstratio similem nobis operam eximeret. Vide eum *de Vitriciis Ecclesiæ* §. XI. ubi catalogum Magistrorum equestris

das der Bobeſt und der Künig ſich woltent deſſelben Orden Gutes underziehen/ alſo ſie auch totent/ do es in gelegen was. Suſpicor annon damnum, quod tempore coronationis ſuæ in Papali diademate paſſus eſt *Clemens*, multum hîc effecerit, quò videlicet ſuâ πλεονεξίᾳ illud reſarciret. Recenſet rem præter alios *Collector magni Chronici Belgici* à Piſtorio editus p. 283. ſequentem in modum: *Cumque de loco coronationis, ut Pontifex procederet coronatus, cum comitatu Papali pariter & Regali concurrentibus & comprimentibus ſe turbis, ut viderent tanquam Regem Salomonem in ſuo diademate coronatum, materia non parvi muri corruit prope Papam, ceciditque corona de capite ejus, & in caſu avulſus fuit carbunculus precioſus, qui ad valorem ſex millium florenorum æſtimabatur.* Diſcrepat nonnihil recenſio *Platinæ* de vitis Pontif. p. 248. & ex eo *Ioannis Balei* Scriptor. Brytann. part. I. Centur. IV. p. 333. In extremo obſervo, quod Fratres *Wellingi* in appendice ſua ad Steronis annales Tom. I. ſcriptor. Freher. p. 405. referant, *plurimos inde admiratos varia vaticinatos fuiſſe.*

§. XV.

Claudent Seculum XIV. tria alia Germanica Chronica ἀνέκδοτα. De primo itidem producimus *Dn. D. Zvvingerum*, in cujus divite Bibliotheca illud extat ſub titulo: *Chronica* der Teutſchen/ in eim kurtzen Summarien begriffen/ mit einem Zuſatze etlicher Geſchichten usque ad An. 1370. (in quo præcedens quoque MS. Germanicum Chronicon finiit.) Verba, quæ ibi habentur, & à *D. Zvvingero* in eruditiſſimo tractatu, *De feſto corporis Chriſti*, Part. II. c. 1. p. 38. allegantur, ſunt hæc: Hernach zeucht er (Henricus VII. Imp.) in Apuliam gar mechtig. Do verſchuff der Babſt/ das ihm

equeſtris Templariorum ordinis contexuit, quem dubio procul accuratiorem longè edidiſſet, ſi per temporis rationem videre potuiſſet, quæ poſt *Carolus du Freſne* in Gloſſar. part. III. p. 1084. ſeqq. eam in rem literis mandavit. Adde *D. Zvvinger.* de Feſt. Corp. Diſſert. II. p. 36. & innumeros auctores apud *Arnold. Buchelium* in notis ad *Gulielmi Hedæ* Chronicon p. 216. & 217. item *Rudolph. Hoſpinian* de Origin. Monach. lib. V. c. 18. p. 192. ſeqq. Taceo Baronii Continuatores *Bzovium*, *Raynaldum*, & *Spondanum*; ſicut nec vacat examinare, quæ nuper *Cabaſſutius* in Notit. Eccleſ. p. 489. contra Templariorum defenſores pronunciavit. Conſulat, qui volet, apologiam, quam pro iis *Drexelius* non infimum in Romana communione locum occupans texuit, lib. II. Trib. Chriſti cap. 3. §. 2. Tom. I. Opp. p. 178. b.

im ein Prediger Mönch im Sacrament vergab An. 1313. Die Aertzet woltens von im getrieben haben/der Keiser wolt aber dem Sacrament nit die Schmach anthun. Secundum debemus citationi D. *Dorschei* in Mysar. Miss. c. V. §. 71. p. 161. *Chronicon Saxonicum vetustissimum MSS. in pergameno hæc habet:* Hinrik de sevede/ Greve to Lutzelenburch/wort ghecronet to Keysere von dem ghebode deß Paves Clementis deß Jesten. Diseme wort vorgheven an deme Sacramento deß Altaris na vele Guten Wercken / so man sede. Optarem accuratissimus Vir nobis significâsset, ubi istud Chronicō lateret, quoq; tempore exaratum esset, & quemnam crederetur habere auctorem; de quibus cur intermiserit Celeberrimus Theologus eruditum orbem certiorem reddere, causa vix esse alia videtur, quam quòd pluribus & magis seriis negociis occupatus de minutiis istis Criticis non cogitavit. Tertii Chronici indicandus ante Auctor est & tempus scriptionis, quam illius verba audiamus. Conscripsit illud *Iacobus à Konigshoffen*, aut ut Latinè quidam efferunt, *Regio villanus* sive *de Regiscuria*; circa cujus cum nomen tum ætatem variè sentiunt [illegible]ii auctores. *Vlricus Obrechtus* Vir ut doctissimus, ita vaga sacrorum professione in nominis sui Celebritatem non parum injurius, in *Prodom. rer. Alsatic.* c. X. p. 207. nomen ei tribuit *Iacobi Tvvingeri, dicti vulgò à patria Regiovillani sive Königshoffen. Vossius* de Historicis Latinis lib. III. c. IV. p. 544. eum appellat *Iacobum Kongelshovium* imitatus, ut videtur, *Vrstisium*, qui in præfat. in *Alberti Argentin. Chronic.* Tom. II. scriptor. p. 96. scripsit: *Iabus Kongelshofius.* Mendum mendo auxit *Georgius Matthias* König in Biblioth. p. 448. & nomen ei imposuit *Ioannis Kongelshovii.* Non minor error est, qui in *Bibliographia Historico-Politico-Philologica Curiosa* tit. *de Alsaticis*, reperitur, quando ibi inter rerum Alsaticarum Annales numeratur *Chronicon Argentoratense MS.* zu Kengelshofen. Pari animadversione notandus est *Hallervordius*, duos in *spicileg. de Histor. Latin.* p. 98. & 111. ex uno efficiens auctores, quorum alteri nomen fuerit *Iacobus de Königshofen*, alteri *Ioannes de Kuningshofen.* Similiter dissentiunt autores circa illius ætatem definiendam. *Vrstisius* loc. cit. dicit eum *res Argentinensium ab urbis origine usque*

que ad principium seculi à nato Christo decimi quarti collegisse, pro quo scribere eum *decimi quinti* voluisse, inde confirmari posse videtur, quod in præfat. Tomi I. *Scriptorum Germaniæ Illustrium*, & in fine Tomi II. sententiam, qua exauctoratus fuit *Wenceslaus* Imp. ex eo Latinè translatam commemorat, quam seculum decimum quartum antecessisse, doctissimo Viro vix in mentem unquam venit credere vel asserere. *Vossius* in loco, quem notavimus, *res eum suas Argentinensium perduxisse*, opinatur, *ad exitum usq; seculi à nato Christo decimi quarti, hoc est Annum* CIↃCCCC, quem corrigens *Sandius* in notis ad illius librum de Histor. Latin. p. 205. scribit, *Konigshofium Chronicon suum perduxisse usq; ad Annum* 1456. Ego *Iacobum à Königshofen* hoc nomine Chronicon Argentoratense, antequam decimum & quartum seculum integrè finiretur, composuisse ex ejus præfatione mihi videor probare posse. In ea primò scribit: Ich Jocob von Künigeshofen ein * Priester zu Stroßburg / ꝛc. post Chronicon se suum in sex ait divisisse capita, quorum *primum* agat de rebus gestis à condito mundo ad usque Julium Cæsarem, *secundum* de Imperatoribus & Regibus Romanorum, finiens in Wenceslao Caroli IV. filio, *tertium* de Pontificibus Romanis à Christo, quem primum Papam facit, usq; ad Urbanum VI. *quartum* de Episcopis Argentoratensibus, *quintum* de rebus apud Argentoratenses gestis, *Sextum* denique absolvatur indice materias capitum addita statim Chronologia indicante. Ex his intelligere fere in proclivi est, quid dicendum sit, quando in quibusdam Manuscriptis tempus nonnihil longius extenditur, quemadmodum fieri in aliquibus collatio quatuor codicum me docuit, quorum unus laudati *Zvvingeri* beneficio in Bibliotheca Basileensi Academica, cui is sapientissimo Procerum urbis consilio præfectus tunc erat, mihi oculis digitisque usur-

* *Iacobus Wimphelingius* in Dedicat. Episcop. Argentinens. & eum secutus *Sandius* loc. cit. p. 106. *Argentinensis Chori prebendarium* fuisse referunt, id est, explicante *Bernhardo Herzog* in Chronico Alsatiæ Germanico (quo c. 37 p. 58. nostram quoque sententiam tuetur,) lib. VIII. c. 3. p. 43. *Canonicum Capituli Thomani*; Sic enim verba illius habent: Jacobus von Königshofen ein Canonicus zu S. Thoman zu Straßburg. Vid. de voce *Prebendarii* Glossarium *Caroli du Fresne* Part. III. p. 375 & de *Prebendis*, *Caspar Ziegler*. Jur. Canon. lib. I. p. 189. *M. Antonium de Dominis* de Republ. Eccl. part. III. lib IX. c VII. p. 78. seqq *Brunnem.* Jus Eccl. lib. II c IV. p. 359. seqq. *Strauch.* Amœnit. Jur. Canon. Eclog. II. cap. 10. p. 48.

usurpandus aliquando concedebatur, alter in instructissima Argentoratensium Bibliotheca servatur, tertium cancelli Jungianæ Bibliothecæ custodiunt, & quartum ex Alsatia noster *Spenerus*, Vir mihi inter magnos magnus & ut nostri ævi decus, ita exemplum futuri, cum (Deo urbi nostræ favente) inde ad nos migraret secum huc apportavit. In ultimo, cujus usum summa Maximi piissimique Viri erga me benevolentia mihi largita est, *caput secundum* de Cæsaribus ad Annum 1452. quo Fridericus III. Imp. Romæ coronatus fuit, & *caput tertium* de Pontificibus ad An. 1460. quo Paulus II. Papali dignitate potitus est, producuntur, *caput quartum* finit in *Ruperto* Bavaro Episcopo Argentinensi An. 1440. vivente, *caput* denique *quintum* desinit in An. 1466. sed diversa manus, diversusque quibi comparet, scribendi character non obscurè arguit fuisse, qui post dictum in præfatione tempus Chronicon illud ad *Regiovillani* præscriptum continuârit. Sed videamus tandem, quid in recessu habeat narratio istius auctoris, quæ *Chronici* capite II. fol. CIIX. p. 2. b. sub rubrica: **Dem Keyser wart vergeben** extat: **Do wolte er an unser Frowen Uffarttag sich beware mit Gotis Licham / wanne er was ein gerechter Man / und hette Gotis Dienste liep und die Pfaffheit. Do er sich desselben Tages beswarte / do vergap im der Priester mit Getis Licham in dem Kelche. * Etlich sprechent / das dirre Priester wer ein Münch Bre-**

* Vid. D *Zuvinger* de Festo Corpor. Christ. *Part. II. c. I. p. 38.* Oblivisci hac occasione nequeo, Celeberrimum hunc Virum inter alia literaria *κειμήλια* possidere *αὐτόγραφον* Historiæ Mantuanæ à *Baptista Sacco Platina* olim conscriptæ, & *Gaudentio Merula* relictæ, qui, pro sua cum *Iohanne Oporino* doctissimo Basileensium typographo consuetudine, huic typis illam exscribendam transmisit, vid. *Iosia Simleri* Epitomen Biblioth. Gesner. p. 85. a. (quo de *Merula* ad *Oporinum* exaratas literas *Zuvingerus* pariter possidet,) qui verò morte præventus commissum negocium expedire nequivit; unde inter Zuvingerianos liberos, quos Patris loco *Oporinus* tuebatur, Senior *Theodorus Zuvingerus* Manuscriptum accepit, & ab hoc nepos modo laudatus *D. Zuvingerus*. Publici eam juris An. 1674. fecisse dicitur *Petrus Lambecius* Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensi præfectus magno cum literarium detrimento nuper mortuus, vid. *Hallervord.* in Biblioth. Curios. p. 29. a. & p. 321. b. nec non *Konig* in Biblioth. Veter. & Nov. p. 647. a. Neque enim ipse videre eam vel nancisci potui, quantum etiam operæ in eo posuerim & diligentiæ, quod idem tamen video contigisse diligentissimo *Sandio* scribenti An. 1677. (quo suas in Vossium notas & animadversiones edidit) p. 220. *Baptistæ Sacchi Platinæ Historiam urbis Mantuæ & familiæ Gonzageæ libris sex distinctam speramus brevi lucem visuram beneficio Lambecii.* Nun igitur.

Brediger Ordens und ime der bobest und die stette groß Gut darumb gabent. Do der Keyser von sim Alter ging an sin andacht / und die vergifft empfant / do ging er zu dem Münch und hies in / das er sich abewege machte / ee das sin Gesinde empfinde. Do noch seite der Keiser den Herren / das im vergeben were. Do hub sich under in grosse Jomer und Clage / und bottent in die Herren und die Artzete / das er im liesse helffen / sie getruwetent wol die vergifft zu eime Ougen herauß zu bringen / also dovor eime Kunige Obrecht ist geschriben. Do antwurte der Keiser und sprach: ich wil den nit von mir triben / den ich mir zu troste und zu helffe han empfangen. Also starp der Keiser do noch über zehen tage / und wart zu Pise mit grosser Clage begraben noch Gotis Geburte CIↃ CCCXIII. Jor. Addenda sunt ex præcedente folio 107. pag. 2. a. quæ ibi de *Alberto* Austrio alterutro oculo privato *Regiovillanus* scripsit, quoniam illius exemplum dicit Medicos Henrico VII. in memoriam revocasse. Dirre Künig richsete zehen jor one sechs Wuchen. Er was ein Geburslihen man und hatte nuwent ein Ougen / und das kam also. Im wort eines moles vergeben. Do hingent in die Artzete an die beine / unde stochent im ein Ouge us / und brochtent mit Artzenie zu / daß die vergifft alle gieng zu den Ougen us / und das er genas. Haud vanè scilicet *Vegetius* de re milit. lib. *III.* cap. X. dixit: *Unum illud in hoc opere prædicendum est, ut nemo desperet fieri posse, quæ facta sunt.* Atque hæc ex quarto atque decimo seculo testimonia adduxisse sufficiat.

Ex seculo XV, XVI, & XVII.

§. XVI.

Sequitur ut, quid insecuti temporis Scriptores tradiderint, exponamus, etiamsi illi tantò minus nobis necessarii videantur, quantò pluribus & validioribus testimoniis, ex ipso, quo factum contigit, seculo thesin nostram corroboratam jam esse confidimus. Veruntamen nec illi nobis prætereundi sunt, ut Lectori abundè satisfiat. Tanta verò asserentium ex illis copia est, ut vix unus

atque

tur *Lambecius* αὐτόγραφον fideliter expresserit, omnium optimè à *Zwingero* discere possemus, nisi eadem ipsum libri penuria affligeret, quemadmodum ante biennium carere se Lambeciana editione ipse *Zwingerus* coram affirmabat.

atque alter, cui vitas Cæsarum & res toto orbe gestas scribere animus fuit, siluerit hac de re, vel etiam contrarium docuerit. Doleo solummodo, urbem nostram bonorum librorum cæteroqui feracissimam, nimis sæpe inopem esse rariorum atque antiquiorum monumentorum, vel quod huc non apportentur, vel quod apportata à nemine hîc asserventur. Quin & sæpissime recentiorum Auctorum editos libros in Bibliopolarum officinis frustra quæsiveris, hincquippe alio missos & avectos. Unde veniam, spero, apud benevolum Lectorem impetrabo, quòd non rarò solis aliorum citationibus contentum eum esse jubeam. Sic primi statim, quo in seculo XV. teste utimur, mentionem facere cogimur, ut tamen verba ejus sileamus. Est is *Monachus quidam ex Fratribus Mineribus*, seu Franciscanus, qui Anno DN. CIↃ CCCCX. *Lubeccensem Chronicam* scripsit, cujus num Franciscanorum Panegyrista & Encomiastes *Lucas Waddingus* in Bibliotheca sua scriptorum Ordinis Minorum, quam An. 16<50. Romæ publicavit, (vid. *Hallervord* Biblioth. Curios. p. 244. a.) meminerit, nescio: conferre enim vel videre saltem Waddingum, dum hæc scribebam, non potui. Innotuit autem mihi præter *Bzovii* allegationem Tom. XIV. Annal. ad An. 1313. n. VI. p. 209. (ubi verò affectuum suorum impotens immane quantum in eum debacchatur) ex * *Chronologica Compilatione de Generalibus & Illustribus Viris Ordinis Prædicatorum* Venetiis apud Lazarum de Soardis excusa Anno 1504. In illa dum p. 151. compilator anilia admodum pro facinore diluendo argumenta adfert, simul respondere conatur isti Franciscano Monacho, qui *ob flagitium in Henricum VII. commissum in pœnam datum esse*, scripserat, *ordini Prædicatorum, ut omnes fratres Prædicatores communicarent sinistra manu*, id quod infra §. 39. pluribus illustrabitur, vide interim *D. Dorscheum* in Mysar. Miss. c. V. §. 76. p. 163.

§ XVII.

Efficiunt, quæ apud *Iohannem* Nussiensem Monachum, *Chronici*

* Forte hujus auctor est *Iohannes Carolus* Florentinus Ord. Prædicat. qui vitas Illustrium aliquot sui ordinis Virorum signavit, & Anno 1505. in urbe patria decessit. Vid *Vossium* de Histor. Latin. lib. III. c. II. p. 662. Recensere eum omisit *Labbe*, cum in *Bibliotheca Bibl.* indice tertio, catalogum texeret auctorum religiones & Sodalitates suas enumerantium, p. 224.

nici Magni Belgici auctorem in Chronico, quod *Pistorius* An. 1607. Francofurti cum aliis illustribus scriptoribus edidit, p. 287. & 288. invenimus, ut memoriam ejus hîc recolamus; Inquit autem ille: *Anno sequenti (MCCCXIII.) Imperator Henricus facta pace cum Romanis, mense Iunio de civitate Pisana recessit, ut iret Romam: & communiter dicebatur iturus Neapolim, sed veniens in villam, quæ Bonusconventus vulgariter appellatur, ibidem per aliquot dies emansit, & in die Assumptionis Beatæ Mariæ, dum Eucharistiam sumpsisset, eodem loco à Confessario suo fratre Bernhardo Ordinis Prædicatorum ad procurationem, (ut ferebatur) supradicti Regis Roberti & Principis Tarentini venenum sumpsisse dicitur: obiens mortem in die S. Bartholomæi Apostoli. Cujus Corpus portatum fuit Pisas, ibique tantus luctus fertur ab hominibus in commune fuisse, quantus in ulla civitate auditus unquam fuit. Imò quod plus est, omnes ejus quasi suam mortem propriam deflere videbantur.* De ista intoxicatione sic habetur in * alio Chronico: *Relicta Roma, dirigit iter suum versus Florentiam, quam cum obsedisset quinque mensibus, decessit ab ea quatuor milliaria, & in quodam loco jussit figi tentoria, ubi cuidam Iacobitæ Confessario suo, quem Religiosissimum putabat, peccata sua confessus, quia communicare volebat, audita missa Eucharistiam de manu ejusdem recepit. Atqui Belial omni belua cruenta crudelior in calicem miscens vino venenum corruptus pecunia mitissimum Virum nefandissimo commercio toxicavit. Rex verò dissolutis membris in lectum decidit, & prædicatorem clam jussit abire, subitoque migravit ad Christum, Anno Domini MCCCXIII. Cujus corpus aromatibus involutum Papienses inclusum æneæ aquilæ desuper inauratæ in medio Ecclesiæ suspendisse dicuntur.* Hæc in dicto *Magno Chronico Belgico*; cujus posteriora verba, ut *Ioannis Hoxsemii* esse non sine causa su-

* *Ioannis*, ut ex præcedente § 6. apparet *Honsemii*. Non ita videtur Doctissimo Viro *Ioanni Schiltero*, qui in Libertat. Eccles. Germ. lib. VI. c. I. §. 4. p. 742 ex *Emundo de Dynter* Brabanticæ Historiæ scriptore sub seculi XV. principium vivente, & in Bibliothecis adhuc latente, (vid. *Swertii* Athen. Belgic. p. 229.) desumta hæc fuisse arbitratur. Sed qui integrum verborum *Monachi Nussiensis* contextum evolverit, non hæc, sed quæ ibi de *Clementis* V. constitutionibus proximè & αὐτίσως sequuntur, ex Emundo esse deprehendet, quem & in finem post illa recensita auctor consuetum suum, *Hæc Emundus*, inseruit, nunquam quippe eum nisi expresso nomine citans, ut rectè observat *Vossius* de Histor. Latin. Lib. III. c. 5. p. 553.

ſaſuſpicamur, ita cui initium & priora ſuæ narrationis verba *Collector* debeat, planum non eſt. Solet, ſcimus, *Bernhardi Guidonis* * Chronicon, quod is ad ſua tempora, annum nempe MCCCXXI perduxit, (vid. *Magn. Chron. Belgic.* p. 293.) quandoque ſequi & exſcribere, quod num & hîc fecerit, quis vel affirmabit temere, vel præfractè inficiabitur. Conſule in reliquis de *Nuſſienſis* iſtius *Monachi* ætate *Voſſium* de Hiſtoric. Latin. lib. III, c. VI. p. 569. & de ejus Chronico *Spondanum*, cujus hæc ſunt verba Tom. II. Continuat. Annal. Baron. ad an. 1474. n. III. p. 143. a. *apud auctorem Magni Chronici Belgici, Canonicum Regularem Ordinis S. Auguſtini prope Nuſſiam, quod non parvo labore & fructu ex variis antiquioribus Chronicis collectum ab auctore fuit, qui pro modeſtia nomen ſuum reticuit.*

§. XVIII.

Operæ pretium erit, audire etiam quid *Blondus Flavius* Forlivienſis, (quem perperam plurimi inverſo ordine *Flavium Blondum* citant, ſicut & præter alios *Georgius Matthias Konig* in Bibl. Vet. & Nov. p. 115. a. ſub hoc eum nomine adduxit,) in *Hiſtoriarum ab Inclin. Roman. Decad.* II. lib. IX. p. 347. hac de re tradiderit. Poſtquam is de balneis Maceratenſibus, quas Henricus ad amiſſam valetudinem recuperandam adierit, itemque de ſubſecuta ejusdem morte locutus fuerat, addidit ſequentia: *Signa veneni in cadavere apparuiſſe multi ſcripſere. Ptolemæus verò Lucenſis affirmat, veneno eum periiſſe, à Prædicatorum Ordinis fratre in Euchariſtia dato. Aliusque addidit, id Florentinorum induſtria factum eſſe. Quicquid ejus rei veritas habeat, &c.* Ex qua *Flavii* narratione certi reddimur, non ſolùm Ptolomæum Lucenſem, ſed, quod probè notandum, plures adhuc alios ſeculi XIV. ſcriptores facinus ſceleſtum in literas retuliſſe. Qua occaſione non immeritò lectorem perpendere jubemus, an temeritatis nomine jure ſuſpecti eſſe queamus, ſi *Blondum Flavium*, cæteroſque ſecuturis paragraphis citandos Hiſtoricos,

* Nondum illud lucem aſpexit, ſed adhuc cum tenebris colluctatur. Vid. *Labbe* Biblioth. MSS. libr. ſpecim. IV. p 205. *Sandius* in notis ad Voſſium p. 185. *Franciſcus Bosquetus* in Hiſtoria Romanorum Pontificum, qui è Gallia oriundi in ea ſederunt p. 9. ſeqq ex *Bernhardi Guidonis* manu exarato Chronico *Clementis* V. vitam exhibuit, parum vero & prope nihil de litibus eum inter & Henricum VII. agitatis commemoravit.

ricos, dicamus fuisse sæpe secutos illorum ex decimo & quarto seculo auctorum monumenta, qui vel deperditi pòst fuere, vel lucem publicam nondum visi adhuc in Bibliothecis & Monachorum claustris detinentur; quo testium συγχρόνων numerus non parum augeretur: Id quod semel hîc monuisse sufficiat. Quando porrò verbis: *quicquid ejus rei veritas habeat*, certi quid asserere noluisse *Flavius* videri posset, observandum erit, fecisse in hoc eum, quod boni Historici munus requirebat: *Periti* namque *Historici*, ut rectè *Huetius* monet in Demonstr. Evang. propos. III. p.m. 49. *officium est, res uti gestæ sunt suis licet partibus adversas, candidè referre, uni veritati studere, suum verò ipsius judicium neutiquam interponere.* Et hoc præclarè à *Blondo Flavio* præstitum est. Alioqui non fugit me, esse qui de ejus fide in narrationibus historicis litigent, quos inter *Spondanus* Tom. I. Contin. Annal. Baron. ad An. 1274. n. 1. p. 249. b. satis audacter scribit: *Hæc ex illis ipsius est assertionibus, quas nimis quam imprudenter suis sæpe scriptis inserit, & totidem foveas sequacibus suis præparat incidendi in eosdem errores*; habet tamen à quibus defendatur, vid. *Martin. Hanck.* de script. Rer. Rom. lib. I. part. 1. c. 46. p. 202. & lib. II. part. 2. c. 46. p. 342. Cumprimis autem ad ejus honorem atque existimationem pertinet, quod *Eugenio* IV. & quibusdam aliis Pontificibus à secretis, tantæque apud *Pium* II. auctoritatis fuerit, ut hic scripta illius in epitomen contrahere dignaretur. Vid. *Vossium* de Histor. Latin. lib. III. c. 7. p. 585. Ex amore nominis Henriciani nequaquam *Blondum Flavium* hæc scripsisse, inde satis puto patere, quod Henrico nunc avaritiam, nunc fastum, nunc stultitiam in Historia sua objiciat: Unde & odium ejus erga Germanos hoc in capite *Cuspinianus* asperioribus verbis perstringit *de Cæsar.* p. 362. & post eum *Henricus Meibomius* in Apolog. pro Otton. IV. Imp. inter *Opuscul. Histor. Poet.* p. 331. Cur autem Italus iste de purgatione homicidæ apud Aretinos coram Henrici comitibus & amicis facta, item de datis illi literis apologeticis, aliisque suspectis documentis, quibus οἱ ἐξ ἐναντίας veritatem nostram vano nisu profligare audent, siluerit, dolemus ab adversariis nos nostris nondum fuisse doctos.

§. XIX.

§. XIX.

Æneas Sylvius Piccolominæus, qui poſtea mutato nomine Pontifex factus vocatus eſt *Pius* II. fuit præcedentibus coætaneus, obiitque A. D. * 1464. vid. *Philipp. Labbe* Tom. II. Differt: de ſcript. Eccl. p. 225. Duobus is in locis noſtræ opinioni aſſentitur, adeoque vel incogitantia, vel feſtinatione tale quid ſcripſiſſe dici nequit. Prior locus eſt in *Hiſtor. Bohemic.* c. XXXI. *Opp.* p. 100. *Hic eſt ille Henricus, qui Romæ coronatus, renitente Roberto Rege Neapolitano Florentiam obſidione arctiſſima cinxit, Piſas Senasque in poteſtate habuit, & apud* ** *Bohemicum conventum in agro Senenſi hoſtili fraude veneno extinctus fertur.* Poſterior extat *in Epitome Decad. Blondi* lib. IX. p. 259. *Cum autem* (Henricus VII.) *ægrotare cœpiſſet, ad balnea Maceratenſia ſe tranſtulit, rediitque malè ſanus ad Bonumconventum, ibique mortuus eſt: quem ferunt Florentinorum dolis à Monacho Prædicatore in Euchariſtia intoxicatum.* Non video quid dicere ad hæc illi poſſint, quibus Paparum nomen in ore mel eſt, & in aure melos; niſi quod forte eum, antequam Papale faſtigium aſcenderet, & ſic non *** *ex cathedra* hæc locutum fuiſſe, aut ſcripſiſſe nugabuntur, qua aliâs phraſi ridiculum dogma de *Pontificis Romani infallibilitate*, multi ex Lojolitica cohorte mitigare ſtudent atque interpretari, quam bene, loci hîc non eſt disquirere, & aliâs factum id à pluribus eſt. Vid. *M. Antonium de Dominis* de Republ. Eccl. part. III. lib. VII. c. V. n. 25. p. 85. ſeqq. *Iohannem Gerhardum* in Confeſſ. Cathol.

* Non An. CIↃ CCCCLIV. ut per typographi errorem in *Voſſii* libro de Hiſtor. Latin. p. 594. habetur. Ipſi enim Voſſio, quo minus iſtud mendum tribuam, vetant quæ apud eum loc cit, præcedunt, & quæ habet lib. III. c. 10, p, 808. Unde & *Sandius* in notis nil monuit, ſed p. 333. inter errata typographica numeravit.

** Lege *Bonconventum*, ut rectè obſervat *Marquardus Freherus*, in ſcriptor. Rer. Bohemic. p. 138. ubi hanc Æneæ Sylvii hiſtoriam etiam ſeparatim exhibuit.

*** Pro quo dicere nonnulli malunt, *non ut Pontifex ſed ut privatus Doctor*, vid. *Vedelii* Exercit. in Ignatii Epiſtol. lib. I. p. 109. *Chamier.* Panſtrat Cathol. Tom. I. de Canon. lib. III. c. 3. p. 26. Efferunt id alii, quod Papa fallere neſciat, *ſi Concilio præſideat*, ſed latet anguis in herba. vid. *Dannhauer.* Vale Triumphale Cornæo miſſum p. 273. Quo primum tempore loquendi modus *ex cathedra* in uſu eſſe cœperit, & quidnam apud Theologos ſignificet, egregiè enucleat *Launojus* Epiſtol: Tom. III Epiſtol V. & ex illo *Reiſerus* in Launojo Veritatis teſte p. 212. ſeqq. Quid reſponderi *Maimburgio* debeat, quum ex his diſtinctionibus *Petrum Suavem Polanum* inſcitiæ alicujus accuſare conatur, *Hiſtoire du Luther.* lib. V. p. 134 diſcere eſt ex *Critique Generale de l' hiſtoire du Calviniſme* p. 242.

lib.I. part.II. cap.2. p.222. *Antonium Reiserum* in Augustino Vindicato lib.IV. cap.3.& 7. p.133. *D.Dannhauerum* in Hodomor. Spirit. Pap.Tom.I. p.274.seqq. *Iacobum Heilbrunnerum* in Papatu acatholico Artic. XIV.c.1. p.281. seqq. Repugnabunt autem alii, qui indistinctè id asserunt, & ἀναμαρτησίαν etiam extra Concilium ac cathedram * Pontificibus tribuunt, sicut hoc prolixè probat *Antoninus Diana*, Resolut. Moral. Tom IX. tract.5. tot. ubi in resolut.2. multos consentientes citat, & resol. 4. n.3. contrarium sentientes hæreticos vocat. Vid. *Brunneman.* Jus Eccles.lib.I. c.2.p.19. *Definitio Pontificis*, inquit *Suarez* in 3.Thom. 1. q.2.a.2. disp.42.sect.1. *omnino vera est, etsi dictis omnium sanctorum esset contraria, illis esset præferenda.* Suarezio non cedit impudentiâ *Bellarminus*, scribens lib.IV. de Pontif.c.2.Tom.I.Controv.p.956. *Ipsa infallibilitas non est in cætu Consiliariorum* (i. e. Cardinalium) *vel in concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice.* Utrumque vincit Canariensis Episcopus *Canus*, cujus hæc sunt verba *LL.lib.6.cap.8.p.331. Papæ conclusiones sunt veræ & necessariæ, etsi præmissæ nec veræ nec certæ sint.* Simile ex *Stapletono* producit *Dannhauerus* Hodomor. *Pap.* Tom.I. p.278. ἀθεόλογον καὶ ἀφιλόσοφον! Quid verò reliquum nunc, nisi ut exclamet Melicerta, periisse frontem de rebus? Conf. D. *Caspar Ziegler*, de Jur.Majest. lib.1. c.13. p.252. Neque juvatur res distinctione occasione Janseniani certaminis reperta, *inter juris quæstiones & facti*, quantum etiam illa Jansenianis sudorem expresserit. Vid. *D.Osiandri* Specim.Jansen.p.48. *Heidegger.* Histor. Papat. n.276. p.439. & præ aliis *l' Esprit de Mons. Arnaud* part. I. p.296. ubi arcana quædam neque ubivis obvia revelantur,

* Pontificii Galli infallibilitatem istam & non errandi privilegium non Pontifici, sed Ecclesiæ vendicant, quemadmodum videre est ex iis, quæ *Bossuetus* olim Cadomensis nunc Meldensis Episcopus, scriptis suis eristicis adversus Calvinianos novissimus, *dans son Exposition de la Doctrine de l' Eglise Catholique* c.19 & in libello, cui titulum fecit: *Conference avec Monf. Claude sur la matiere de l' Eglise*, hanc in rem disputavit, quocum conferendus *Maimburgius, de la Vraye Eglise*, & in novissimo libello *de l' etablissement & des prerogatives de l' Eglise de Rome* c.6.p m.52. seqq. sed nec hoc Sancto Spiritui placere nostrates abundè docuerunt. Vid *D.Gerhardum* Tom.V.LL. de Eccles. §.108 seqq.p.300. *D.Dannhauer.* Hodomor. Spirit. *Pap.* Tom.I. p.256. *D. Hutterum.* in LL. Theol. Art. XVI controv. II. p. 548. *D. Heilbrunner.* Papat. A. Cathol. Art. XV. c.12. p 515. *D Calov.* Exegem. Aug. Confess. Art. VII c.II. §.2. seqq. *D Meisner.* Prælect. de Eccles. c.7. p.615. seqq. ad quos lector benignus amandari se ægrè ne ferat.

lantur. Ipſa certè hæc noſtra hiſtoria, quando *Clementis* V. cædis in Henrico VII. commiſſæ ſocii atque auctoris ſcelera manifeſtat, Romani Jovis labi neſciam naturam ridet ſatis & refutat, nî forte pallio *bonæ intentionis* Jeſuitico tegere ea velis atque excuſare. Tum & idem *Clemens* V. falli Papam & fallere poſſe exemplo oſtendit, quando *Bonifacii VIII.* extravagantem conſtitutionem, contraria in gratiam Galliarum Regis ſui in extirpando Templariorum ordine ſocii, adverſus quem poſita illa fuerat, edita correxit & abrogavit, apud *Fratres Wellingos* in Continuat. Annal. Steron. Tom. I. ſcript. Freher. p. 405. Vide qui eam exhibet *P. de Marca* de Concord. Sacerd. & Imp. lib. II. c. 3. n. 8. & adde *Libertat. Eccleſ. Gallican.* Tom. II. cap. 7. n. 21. p. 139. itemque *Maimburgium* Traité hiſtorique de l'Egliſe de Rome c. 13. p. 124. Contrario procedendi modo idem egit *Clemens*, quando, quæ prædeceſſor ſuus *Benedictus* XI. in *Bonifacii* IIX. decreto, *quod exempti ac Mendicantes Regulares prædicare non debeant, aut externorum confeſſiones audire citra ordinariorum licentiam*, abrogavit, ipſe * revocando antiquavit, ſanctionemque Bonifacii in priſtinam auctoritatem reſtituit. Vid. *Paulus Langius* in Chronic. Citiz. p. 822. & ex recentioribus *Caballutius*, in Notit. Eccl. ſec. XIV. p. 492. b. Egregia infallibilitas, quam niſi ipſimet Pontifices hoc modo oppugnarent, pluribus aliis refutari poſſet exemplis atque argumentis, ſi præſens id pateretur inſtitutum! Nobis alia longe mens eſt, qui ſola hac norma delectamur, ad quam nos Eſaias IIX. 20. ablegavit לתורה ולתעודה *ad Legem & teſtimonium.* Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας Luc. XVI. 29. *Moſen & Prophetas.* Hîc adeſt θεοπνευστία illa infallibilis, quam à ſuo capite fruſtra expectant Eccleſiæ Romanæ membra, & quò magis fugiunt hanc fallere neſciam regulam, eò clarius produnt, quam ipſimet cauſæ ſuæ diffidant. Sed revertimur ad *Sylvium*, quem aliâ elabendi viâ excogitatâ *Bellarminus* de ſcriptor. Eccl. Tom. VII. Opp. p. 185. ac poſt illum *Moguntini Jeſuitæ* Animadv. in Anti-Becan.

* Contra ineptas P. *Ottonis* exceptiones vid. *Reiſer.* Roma non glorios. ſecul. XIV. p. 548. Plura exempla contradictionum ejusmodi Pontificiarum pete à *D. Dorſcheo* Anticriſ. Theol. ſect. IV. q. 9. p. 184. & *Chamiero* Panſtrat. Cathol. Tom. I. de Canon. lib. III. c. 14 p. 42. & 43.

can. Crocii controv. IV. sect.II.p.157. dicunt, *multa audaciori prius calamo scripsisse, quæ Pontifex factus retractaverit*; quo si quis in refellendo testimonio, quod ex ejus Operibus adduximus, uti voluerit, ad probationem retractationis à nobis, qui nullibi vestigia illius in *Pio II.* invenimus, adigetur. Pleniorem responsionem ad hanc objectionem suppeditat *Crocius* Tom.I. Vindic. Anti-Becani sui p.470. Usu veniret cæteroquin hîc, quod *Maimburgius* dans son Histoire de la Decadence de l' Empire lib.I. p.94. de Abbate Gerberto & pòst *Sylvestro II.* observavit, *qu'il avoit ecru d'une maniere tres aigre contre l'autorité du Pape des choses lesquelles, quand il fut parvenu au Pontificat, il eut voulu sans doute n'avoir pas ecrites*: Ut eodem modo *Æneas Sylvius* scripsisset, quæ pòst *Pius II.* non scripta cuperet. *Sæpe feci*, inquit Lena Melænis apud *Plautum* Cistellar. Act.II. scen.I. v.28. & 30. *quod factum queror* : *Quod dedi, datum non vellem : quod reliquom est non dabo.* Quod votum & *Æneæ Sylvio* fuit in quæstione illa famosa: *An Papa supra concilium sit ?* quam ut olim inficiatus fuerat, ita postquam sedi Papali admotus esset, affirmare non erubuit, non parum indignante *Maimburgio*, Traite historique de l' Eglise de Rome c.XXV. p.245. & ante hunc *Pilato* jam improbante, cujus celebre dictum ὃ γέγραφα γέγραφα *Iohannes* Apostolus posteritati conservavit c.XIX. v.22. *Quod semel placuit*, regula est Juris Canonici lib.VI. Decretal. *displicere amplius nequit*, cujus vel inprimis memor hîc *Æneas Sylvius* esse debuisset. Confer illam expositam à *Brunnemanno* Prælect. Publ. ad Regul. Jur. Canon. p.79. *Retractationem* ejus *scriptorum à se pro Concilio Basileensi contra Eugenium IV. Romæ An.* 1463. *VI. Kalend. Maji editam*, exhibet *Bullarium Magnum Romanum* à *Cherubinis* recensitum, Tom.I. p.392. seqq. in qua præter alia ita *Sylvius* inquit: *Pudet erroris, pœnitet male dictorum scriptorumque, vehementer pœnitet: plus scripto, quam facto nocuimus. Sed quid agamus? Scriptum & semel emissum volat irrevocabile verbum. Non sunt in potestate nostra scripta, quæ in multas inciderunt manus, & vulgò leguntur. Utinam latuissent, quæ sunt edita!* Pudeat ipsum inconstantiæ alio nullo, nisi exaltationis ad Pontificalem dignitatem, ruinoso fundamento nixæ, quicquid

etiam

etiam in sequentibus contra obtestetur. Tantæ efficaciæ sunt honores Papales, ut mores statim atque animos hominum immutent, in melius an deterius? Pro posteriori pronunciat *Marcellus* II. ipse Pontifex, adeoque hujus controversiæ optimus * judex: Ita enim de eo *Iacobus Augustus Thuanus* lib.XV. Histor.ad An.1555. Tom.I. p.462. *Vir rara eruditione, prudentia & sanctitate vitæ antiquis comparandus, & sub quo certa spes emendandæ Ecclesiæ affulserat, nisi ipsum, quod multò ante non dissimulaverat severeri, Pontificii fastigii altitudo, quæ plerosque alios mersit, forte fuisset depravatura. Nam cum, anagnoste de more sacros libros aut Patrum Veterum scripta, dum cibum sumeret, recitante, post longum silentium in memoriam revocâsset* ** *Hadriani IV. verba, quibus miseram Pontificum Rom. conditionem deplorabat, mensa manu percussa subjecit, non videre se quomodo, qui fastigium hoc altissimum tenerent, saluti suæ consulere possent.* Idem testatur *Onuphrius Panvinius* in vita ejus. Congruit quod *Pium* V. statim, ut Papa factus erat, dixisse referunt ipsi Papistæ, & allegat *Cornelius à Lapide* in Ecclesiast: c. XXXII. 2. p.182.a & Apocal. c. III. 1. p.57.a. *Ego quamdiu fui Religiosus, bene speravi de mea salute, factus Cardinalis cœpi timere, jam creatus Pontifex pene de ea despero.* Et *Henricus Albi* inter elogia Cardinalium (apud *Hoornbeck* in Exam. Bull. Papal. p.7.) de *Bellarmino* adducit, quod postea quam præteritus in electione fuisset, deinceps Litaniis suis hoc sigillatim addiderit, *quòd Deus ipsum à Papatu liberâsset.* De eodem refert *Cornelius à Lapide* Comment.in Act.Apostol.c.II. v.46. p.89. quòd, cum quidam simplicitatem ejus causam fuisse, quò minus Pontificatum adipisceretur, libero ore objiceret, liberiore lingua responderit: *Felix simplicitas,*

* Est enim confessio propria efficacior probatio cæteris, ut Juris Consultorum placita ostendunt apud D. *Dorscheum* in Prodrom. Anti-Cris. p.6.

** *Spinosam*, dixit is, *sedem Pontificiam esse, & iter undique obsitum sentibus.* vid. *Cornel. à Lapide* in Ecclesiastic. part. II. p.182. Idem ut nomen sic animus *Hadriano* VI. fuit, qui *miseram Paparum esse conditionem* dixit, ut *P. Suavis Polanus* refert in Histor. Concil. Trid. lib. I. p.26. *ut quibus rectè faciendi facultas desit, etiam cum maximè velint, & [illegible] id operam ac diligentiam impendant.* Unde intelligere est, cur *Pallavicinus* in Histor. Concil. Trid. & *Iacobus Masenius* in Anima Historiarum hujus temporis, de Hadriano minus æquè sentiant, quos meritò castigat *Launoius* part IV. Epp. Epistol.7. vid. *Heidegger.* Histor. Papat. n.158. p.212 *Refert* Launojus Confess. p.238.

citas, quæ me tanto onere liberavit. Factum hinc, ut *Erasmus* de *Leone* X. (utut hic eum *suum dilectum filium* vocaverat, in Epistola Tom. VI. Operum Erasmi præfixa,) scriberet, in Commentar. ad Psalm. II. Tom. V. Opp. p. 196. *Sic Leonem decimum, quum omnia Romæ perstreperent triumphis & gratulationibus, subito mors exemit rebus humanis; quo transtulerit* INCERTUM. Eodem planè modò, quo *Wernerus Rolevinck* in Fascic. Temp. p. 83. b. de Johanne XXII. ait: *An autem salvatus sit, annon, Dominus etiam suis devotissimis revelare noluit.* Atq; hæc occasione *Æneæ Sylvii*, alio nomine *Pii* II. Non abs re erit, si lateri ejus statim adjungamus *Iohannem Gobelinum* Vicarium Bonnensem, ac dicto *Pio* II. Pontifici olim à secretis. Is in *Commentariis Pii secundi Pontificis Max.* quibus notatu & memoriâ digna omnia complexus est, quæcunque temporibus ejus Papæ, (sedit autem ille ab Anno CIↃ CCCCLVIII. usque ad Annum CIↃ CCCC LXIV.) toto terrarum orbe contigerunt, lib. II. p. 44. hæc pauca obiter, & velut in transitu inseruit: *Cumq; Bonconventum introissent, ubi quondam Henricus septimus Romanorum Imperator ex hostia consecrata, ut fama est, venenum hausit, &c.* Sunt, qui & horum commentariorum auctorem ipsummet *Sylvium* esse opinantur, vid. *Spondanum* Tom. I. Continuat. Annal. Baron. ad An. 1431. n. XVII. p. 808. b. Rationem *Bellarminus* de scriptor. Eccl. Tom. VII. Opp. p. 185. suppeditat: *Extant enim manuscripta commentaria eodem sub nomine Pii secundi, & stylus videtur esse idem in hoc opere & in aliis ejusdem auctoris.* Res, fatente *Bellarmino*, magni momenti non est, ideoque missam eam facimus: Conferri tamen jubemus *Cabassutium*, Notit. Eccl. secul. XV. §. 44. p. 519.

§. XX.

Converto curam ad *Gobelinum de Persona* Decanum * Bilefeldensem & Officialem Paderbornensem, qui sub *Sigismundo* Impera-

* *David Blondellus* de Johanna Papissa p. 26. eum *Halberstadiensis Ecclesiæ Præpositum* vocat, quod unde is habeat, non liquet, sicut nec manifestum est, quinam sint, qui *Gobelini Persona* opus suppositum ei ab auctore *Pio* II. fuisse notârint, quorum tamen non unum esse scribit *Raynaudus* Jesuita, *Erotem. de Bon. & Mal. libr.* partit. I. Erotem. X. §. 1. Tom XI. Opp. p. 265. Credo ambos memoriæ nimis fuisse fisos, maximè Raynaudum *Gobelinum Personam* & *Johannem Gobelinum* ab invicem forte non accuratè distinguentem.

peratore adeoque primis seculi XV. annis vixit. In Historia ejus, quam *Cosmodromium* inscripsit, & ad annum usque 1418. pertexuit, *Ætat. VI. c.* 68. *p.* 239. sequentia, quæ huc faciunt, legimus: *Obsidione durante Henricus febre correptus moritur : sed veneno ipsum fuisse intoxicatum à quodam fratre de Ordine Prædicatorum, dum ablutionem communionis recipit, fama perhibuit.* Experientia ipsum quoque Gobelinum docuit, quæ fides pietasque viris sit, qui claustra inhabitant, Monachorumque castra sequuntur. Testatur enim de eo *Henricus Meibomius*, (qui *Cosmodromium* illius notis auctum An. 1599. apud *Wecheli* hæredes vulgavit,) *in vita ipsius*, ut & *Melchior Adami* in Vitis Theologorum p. 2. quòd Paderbornæ ob studium suum reformandi Monachos in simile ferme cum Henrico nostro discrimen venerit: *Cucullati enim*, verba sunt Meibomii, *cum apertè homini nocere non possent, ad artes flagitiosis usitatas decurrerunt, & veneno cibis insperso eum è medio tollere conati sunt; sed ille re detecta abiit Bileveldiam.* Quod autem *Gobelinus* nonnisi famæ, quæ id perhibuerit, meminit, causæ bonitati detrimento non est. Significare namque voluit *Gobelinus*, se non tantùm ea referre, quæ apud fide dignos Historicos legerit, atque ex aliorum monumentis descripserit, sed etiam, quæ ex Parentium Majorumque sermonibus audiverit, ne quis omnino suspicioni locus esset, acsi ficta aut ambigua recenseret. Unde & ista loquendi formula alibi in re planè certissima usus est, quando videlicet *cap. LXIX. p.* 240. de dissidiis Caroli IV. & Guntheri Comitis Schvvarzburgici, & quomodo hic illius fraudibus atque insidiis à quodam medico petitus veneno fuerit agit, ubi simili planè modo scribit aitque: *Et cum vidit*, (Carolus) *se non posse regnum viribus obtinere, ordinavit, prout fama vulgaris volaverat, à quodam medico veneno intoxicari Guntherum, qui ibidem extinctus est*: quemadmodum & loquitur *auctor vitæ Balduini* à *Baluzio* editus lib. III. c. 9. p. 156. item *Cuspinianus* de Cæsaribus p. 387. Quod verò alii gravissimi auctores, ut *Henricus Rebdorffiensis*, *Albertus Argentinensis*, *Iacobus à Konigshoffen*, *Historia Erphesfordensis de Landgraviis Thuringiæ* (Tom. I. Script. Germ. *Pistor.*) *Christophorus Lehmannus* aliiq; absq; omni dubitatione vel circumscriptio-

ne factum esse tradiderunt, ut non *nuda simplexque suspicio sit*, quemadmodum visum est *Maimburgio* Histoire de la Decad. de l'Empire lib. VI. p. 631. Confer quæ *Iohannes Latomus* ædis in hac urbe S. Bartholomæi Decanus in *Actis aliquot Vetustioribus*, quæ habentur in * Chronico urbis Francofordiensis p. 252. hac de re disseruit. Estque hujus loci recordari illius, quod *Hottingerus* Histor. Eccles. part. I. secul. IX. sect. I. p. 616. de scriptoribus Orientalibus monuit, nihil in illorum historiis usitatius esse, quam certissimos rerum eventus, aliunde, ab oculatis etiam & auritis testibus petitos, his similibusque formulis *fama fert, dicunt, tradunt, ajunt, referunt*, indicare.

§. XXI.

Inserit se his testibus & *Antoninus* Archi-Episcopus Florentinus, *Historial. part. III. tit. 21. c. 2. f. 95.* quemadmodum quidem eum citavit D. *Dorscheus* noster in Mysar. Miss. c. 5. §. 72. p. 161. Qui quo Antonini codice usus sit nescio. Nam in Argentoratensi editione An. 1496. loc. cit. nihil habetur, sicut nec in editione Lugdunensi An. 1586. à *Petro Maturo* Societatis Jesu presbytero procurata, part. III. Tit. XXI. c. 2. §. VIII. p. 283. b. (ubi de Henrici ex hac vita excessu agitur,) quicquam, quod huc faciat, invenio, nisi quod dictus *Maturus* sequentia in subjectis notis addiderit: *Signa veneni in cadavere apparuisse, multi scripsére Ptolomæus verò Lucensis affirmat veneno eum periisse, à Prædicatorum Ordinis fratre in Eucharistia dato; aliusque addidit id Florentinorum industria factum. Blond. dec. 2. lib. 9. dicitur tamen ordo Prædicatorum habere literas, testantes prædictum fratrem fuisse innocentem & totum esse confictum. Nauel. Gen. 44. Obiit igitur Imperator Henricus apud Bonconventum Senensis agri oppidum 9. Cal. Sept. A. C. 1313. Onuphr.* Editionem Basileensem An. 1491. curâ ac notis *Ioannis de Gradibus* publicatam, cujus *Hallervord* in Biblioth. Curios. p. 15. a. mentionem facit, videre non licuit, ideoque nec evolvere

* In dicti Chronici Continuatione p. 148. ex Manuscripto quodam refertur, monachum Dominicanum, nomine Jacobum, venenatam istam portionem præparâsse, quam & Imperator & illius Medicus, uterque inscius etsi non innoxius, biberit; quod, quam cavere Imperatores a Monachis, maximè Dominicanis, debeant, cum infausto Henrici nostri exemplo abundè satis ostendit. *Brouverus* Jesuita in Annal. Trevir. Tom. II. lib. XVII. p. 220. b. agnoscit etiam, Guntherum non absque veneni suspicione mortuum fuisse. *Theodoricus Engelhusius* in Chronico suo p. 270. *edit. Mader.* ut alias, ita & hic *Gobelinum Personam* sequitur.

vere. Multis aliâs nominibus *Antonini* ſuffragium acceptum nobis eſſet. Nam non ſolum ipſe è Dominicanorum familia fuit, & *F. Vincentium Mainardum* Geminianenſem procuratorem Ord. Prædicatorum * vitæ ſuæ Hiſtoricum habuit, (quem Tomo III. de vitis Sanctorum *Surius* evulgavit,) ſed & ortus eſt ex ipſa illa urbe, Florentia nempe, cui Imperator necem ſuam acceptam fert: Præterea variis ſuis legationibus atque officiis ſedem ſibi Romanam adeo devinxit, ut dignus haberetur, qui in ſanctorum numerum ab *Adriano VI.* Pontifice An. 1523. Maj. 31. die S. Trinitatis referretur. vide Bullam *Clementis VII.* ſententiam *Hadriani* omnibus ſignificantem, in *Cherubinorum* Patris & Filii *Magno Bullario Romano* Tom. I. p. 636. & adde *Ricciolium* Chronolog. Reform. Tom. III. p. 155. b. (quemadmodum plures adhuc alii ex Dominicana familia numerum * * divorum auxére, apud *Renatum Choppinum* Monaſtic. lib. I. p. 120.) Statuunt autem, qui Romæ favent, Papam in Sanctorum ἀποθεώσει &, ut loquimur, Canoniſatione eſſe infallibilem. vid. M. *Anton. de Dominis* de Republ. Eccleſ. lib. VII. c. 5. n. 55. p. 93. b. *Hoornbeck* in Exam. Bull. Papal. Urbani VIII. de Feſtis p. 270. quamvis id multi ex Romana Communione nobiſcum impugnent apud *Voëtium* in Diſpp. ſelect. part. III. p. 406. & rectè quidem, verboque divino convenienter: Quid enim homo purus, isque ſæpe ſceleſtiſſimus, notitiam ſibi arroget rerum ſecretiſſimarum, quales mentis animique ſenſa ſunt, & fidei conſonæ ac devotæ actiones, quæ hominem ſanctum Deoque charum reddunt? *Deus ὁ καρδιογνώςης, qui ſui ſunt novit* 2. Tim. II. 21. Plura pete à *Gerhardo* noſtro LL. Theol. Tom. IIX. de morte §. 480. p. m. 330. b. *Mareſio* Anti-Tirin. Tom. I. controv. VI. p. 261. atque *Hoſpiniano* de Origin. Feſtor. c. 6. p. 19. ſeqq. Non igitur talis tantique Viri,

* Prolixius multò atque accuratius id executus eſt *Daniel Papebrochius* Jeſuita in Actis Sanctorum Maji An. 1680. tribus Tomis editis, Tom. I. ad diem II. Maji. vid. *Act. Erudit. Lipſiens.* An. 1683. p. 11.

** Diſplicet *Divi* nomen *Bellarmino* in Recognit. libror. ſuor. ad lib. I. de verb Dei cap. 3. non vero *Lipſio* puræ atque emendatæ Latinitatis ſtudioſo. vid *Dallæum* de Cultus religioſi objecto lib III. c. 30. p. 523. ſeqq. Quid alii ſentiant dicantve legere eſt apud *Fileſacum* ſelect. lib. I c. 4. p. 50. *Voetium* Diſpp. ſelect. part. 3 p. 286. & 434 *Dietericum* in Antiqq. Bib. Vet. Teſt. prolegom. p. 31. a. *Derſchcum* in Indic. Iniquit. Port. 1 & 3. p. 5 ſeqq.

qualis *Antoninus* fuisse dicitur, testimonium parvi erit faciendum, quam nihili cæteroquin illud in aliis valeat apud *Canum, Possevinum*, & hos secutum *Launojum* de vera causa secessus Brunonis in eremum p.m. 80. & 81.

§. XXII.

Seculo eodem, quo *Antoninus*, floruit *Ioannes Geerbrandus à Leidis* Carmelitani Conventus in Harlemensi Cœnobio Prior, Chroniconque scripsit Comitum Hollandiæ & Episcoporum Ultrajectensium à nato Christo ad Annum usque CIↃ CCCCXVIII. quod Tomo I. Annal. Belgic. *Franciscus Svveertius* edidit. In illo uti *Iohannem de Beka* (cujus testimonium hac de re supra §. 4. adductum est) passim sequitur, & sæpe etiam *Vossio* de Histor. Latin. lib. III. c.X. p. 642. & *Bernhardo Furmerio* in Epistol. Dedicat. ad Bekæ Historiam testibus, ad verbum exscribit, ita non minus lib. XXVII. c.IIX. quod *de intoxicatione Cæsaris Henrici VII.* inscripsit, p.247. id testatur & confirmat: Audiamus modò sequentia narrationis ejus verba, nam omnia quid attinet ut huc transcribam? *Quodam alio tempore Cæsar devotissimus ad Eucharistiæ sacramentum procedens, à fratre quodam Iacobita veneno calici mixto inficitur. Qui statim corde confunditur, & membris omnibus aggravatur. Unde ambulando deficiens, & Domino Henrico de Flandria regimen curiæ committens, cameram intravit, & lecto se junxit, ac omnes nobiles nimium dolentes exire postulat. Quibus exeuntibus, solus Frater Bernardus Cæsari assistit, quem mitissimus intuens ore piissimo sic affatur: Manus tuæ infecerunt me & destruxerunt me totum in circuitu, unde breviter moriens, & omne facinus vobis indulgens, humiliter postulo, ut inde discutere dignemini, quid in me vestræ displiceat paternitati, & qua de causa tam grande malum in me vobis semper piissimum mens ingratitudinis operatur. Traditor, dimisso capite præ confusione malæ conscientiæ, stabat anxius corde. Qui tandem ab alto ducens suspiria in hæc prorupit verba: Pie Domine, quoad personam meam sola obedientia datur causa, sed fratres nostri ordinis pro vestra destructione quadraginta millia florenorum à quatuor maledictis Principibus, Rege Franciæ scilicet, Navarræ & Tarentorum Principe, susceperunt. Sunt autem in nostro exercitu*

ercitu plusquam viginti fratres nostri ordinis, qui omnes mecum eodem stadio cucurrerunt. Sed heu me miserum, cujus manus pessimæ ad bravium pervenerunt. pag. sequente 248. postquam Cæsaris responsionem vindictam hujus sceleris recusantem adduxisset, his conclusit: *Igitur posthac Imperator Christianissimus suis valedicens & manus devotissimè erigens in Domino feliciter obdormivit.*

XXIII.

Circa idem tempus *Wernerus Rolevinck* [illegible] *Laër* Carthusianus, Fasciculo temporum ab initio mundi ad sua usque tempora Annum nempe 1480. collecto inclaruit, in eodemq; *ætate sexta* p. 83. & 84. *editore Pistorio* nobis sequentibus verbis assensus est: *Tandem intoxicatus fuit* (Henricus) *sumendo Eucharistiam. Hæc leguntur in libris & fama feruntur per quendam de Ordine Prædicatorum facta, scilicet F. Bernardinum de Monte Politiano, &c. Sed tamen ordo excusatur de his per quasdam literas testimoniales, quas apud se habet. Cui placet, requirat hujusmodi apud professos ejusdem Ordinis, & plenè informabitur de his ad omnem copiam.* Cur ordo Dominicanorum ab aliquibus, ut *Wernerus* aliique referunt, excusetur, & quamobrem accepisse literas apologeticas credatur, infra in secunda sectione exponetur, unde, cui placet, ea petat. Nos hîc adhuc addimus ὁμόψηφα verba auctoris *Chronologicæ Compilationis*, (ab initio mundi orsæ, & in A. D. 1474. desinentis, editæque à *Pistorio* Tom. I. Scriptor. German.) quæ p. 746. ita se habent: *Anno Domini MCCCXIII. Henricus Imp. ab uno fratre Prædicatorum veneno interiit.* Conjungimus illis, quum spacium super adhuc sit, suffragium *Theodorici Engelhusii* Ord. Prædicatorum Monachi, plurimique adeo faciendi. In hujus *Chronico*, quod *Ioachimus Iohannes Maderus* Vir longè Clarissimus ac varia egregiè doctus, An. 1671. Helmestadi primùm edidit, p. 266. verba quidem admodum pauca invenimus, (quia, ut non vanè suspicari licet, plura addere sodalis honor non permiserat) quæ verò invenimus, satis sunt ad ornandam historiæ nostræ fidem. *Verùm Hinricus veneno necatus obiit in Pisis:* hæc verba illa sunt; quæ ut quodammodo augeamus, lubet ex laudati *Maderi* Antiquitatibus Brunsvicensibus n. X. p. 172. mutuari adhuc, quæ producta illîc vetusta *Collegiatæ*

Ecclesiæ

Ecclesiæ S. Basilii in Brunsvvik membrana, mox post Henrici Imperatoris obitum a quodam anonymo confecta (ut Illustris *Schvvarzkopffius* ejus promus condus citato loco confirmat,) nobis commodavit: *A. D.* 1313. *Obiit Dux Henricus gloriosus Cæsar VI. & Imp. Romanorum. Occisus per venenum in ablutione, postquam communicaverat, dicitur à quodam fratre de Ordine Prædicatorum, suo Confessore.* Justo serius, fateor, posterius hoc testimonium in conspectum se dat, ad seculum decimum quartum cum pertineat, sed quod variis laboribus interrupta lectio citius non dedit, reddere citius penna non valuit: Quamvis & satis opportunum locum nactum hìc illud esse confidam, memor sciti illius veterisque dicti: *Citò persuadebis, si dicas bene.*

§. XXIV.

Quemadmodum in præcedente §. plures sociavimus testes, ita & in hoc non unius producetur testimonium, sed duorum, addito alterius nomine, alterius non item. *Hartmannus Schedelius* Patavii Medicinæ Doctor, (ut quidem *Blondellus* de Johan. Papiss. p. 6. cum fuisse scribit, nihil enim apud alios ea de re invenio,) prior est & is, cujus significare & transcribere nomen possumus. Descripsit breviter, & velut in tabella ob oculos posuit seriem Pontificum, Cæsarum, Regum & aliarum memoratu dignarum rerum, ab origine Mundi usque ad Annum CIↃ CCCCXCII. quo nempe vivebat. Opus id vulgò *Norimbergense Chronicon* appellatur, partim quia auctor ejus *Schedelius* Norimbergâ oriundus fuit, partim ac inprimis, quia Norimbergæ An. 1493. *Antonii Kobergeri* curâ prodiit. Hæc autem in eo fol. CCXXII. habentur: *Itum est bonconventum, quod oppidum duodecimo à Senis miliario distans, dum obsidione incipit premere, diem obiit. Signa veneni in cadavere apparuisse multi scripsere. Ptolomæus verò Lucensis affirmat, veneno eum periisse à Prædicatorum Ordinis Fratre in Eucharistia dato. Aliusque addidit id Florentinorum industria factum esse. Quicquid ei rei veritas habeat, satis supraque certum est, non magis Florentino & Lucensi, ac cæteris ejus sectæ Etruscis, quam Roberto Regi salutem in ea morte quæsitam.* Posterius testimonium ex antiquo Chronico Moguntiæ An. 1492. à *Petro*

Schoffero von Gernsheimb edito, & inscripto: Cronecken der Sassen depromitur, in quo ad An. MCCCVIII. ita ejus auctor nobis ignotus * loquitur: In der sulven tyt wart gekoren Greve Hinrick van Lützelborch to eynem Konigh vnde to Keyser gewiget und was to Franckvort. und was de ander und hunderste van Augusto. He reigerde ses Jare. öm wart nach vorgeven in dem sacramente so gy hyr na lesen mogen. & ad An. MCCCXIII. In dussem selven jare do lyt de Pauwes den guden Keyser Hinrick van Lützeborch vorgheven dat dede eyn monick der Prediger orden / vnde vorgaff ome yn der spoling alse he dat sacramente hadde entfanghen. vnde dem Monicke / deme sülden aff de vinger so dat he so vule stangk / dat man ome dat brot moste vor warppen gelick eynem Hunde. Antequam hinc pedem moveam, grato animo significandum, quod utriusque modo citati Chronici copia ex instructissima & prædivite *Iungiana* Bibliotheca mihi facta fuerit, absque qua plura adhuc alia me latuissent.

* Sæpius aliâs à *Meibomio* de Irmensula Saxonica citatur. Integrum An. 1589. prodire rursum è typographeo Wittenbergensi jussit M. *Iohannes Pomarius* ad D. Petri Magdeburg. Pastor, atque ad sua usque tempora auctum hodierno Germanicæ linguæ genio accommodavit, sub titulo: *Chronica* der Sachsen und Nieder-Sachsen / vide ibi p. 364. & de morte Henrici VII. similia doceberis.

§. XXV.

Quid verò dicit, qui seculo eodem labente vixit B. *Platina?* Quid σύγχρονος huic *Iacobus Wimphelingius* apud Nemetenses Ecclesiæ presbyter? Audi utrumque: illum ex opere *de vitis Pontificum*, quod Xysto seu Sixto IV. dedicavit p. 251. in Clemente V. *Cum ægrotare cœpisset* (Henricus) *ad Macerati balnea se contulit, unde multò imbecillior quam antea ad Bonconventum rediit, ubi post aliquot dies moritur, non sine suspicione dati à Florentinis veneni, subornato pollicitationibus & præmiis monacho quodam, qui ei Eucharistiam veneno illitam dederat, ut * nonnulli scribunt;* Hunc ex

 ejus

* Nobis, ut dubium mihi non est, maximam partem invisi, & forte in Bibliotheca Vaticana, cui *Platina* à Sixto IV. præfectus fuerat, adhuc cum tineis & blattis bellum gerentes: Operæ precium fecisset *Onuphrius Panvinius*, si in doctissimis suis annotationibus aliquid hac de re monuisset.

ejus Epitome Imperatorum ac rerum per Germaniam gestarum, (quam *Simon Schardius* Volumini I. scriptorum Germ. intulit) c. 43. p. 380. *Veneno intoxicatus* (Henricus) *moritur, novo inaudito ac vix credibili ausu, quod nisi à * Florentinis factum esset, nemo crederet: misso equidem veneno in Eucharistia, dum sacra communione perfruitur optimus Princeps, animæ pabulum vitæ verò exitium sumpsit, subornato ad tam crudele veneficium pollicitationibus & præmiis prædicatorum Ordinis fratre quodam, ut Ptolomæus Lucensis scribit.* His adde auctorem anonymum *Chronicæ Sclavicæ*, qui itidem sub finem decimi quincti seculi vixit, editus inter Scriptores rerum Germanicarum septentrionalium ab *Erpoldo Lindenbrogio* Francofurti An. 1630. ubi p. 225. ita infit: *Non longè post Imperator Henricus assumptionis Mariæ per Confessorem suum Ordine Prædicatorem, communicans in hostia intoxicatur, nomine Bernardum, & Bartholomæi moritur, & in Pisa sepelitur, cum maximo populi planctu, quidam tamen dicebant Papam non doluisse mortem ejus, quamvis facto sermone per Papam eum commendavit.* Conjunge si libet, quæ auctor *Coloniensis Chronici*, quod ab initio mundi orditur, & usque ad Annum 1494. perducit, voluit, ut sciremus. Titulus libri est: Die Cronica van der hilliger Stat Coellen. In illo *fol. CCXLVIII.* b. sub rubrica: Wye Keyser Henrich vurß vergeven wart und starff / hæc reperimus: Dairnae heiff sich der Keyser up mit syme Here ind woulde varen gen Pulle. Want Konynck Ropert zo Pulle was affgeesatzt umb etzlich missedait der he bedreuen hadde. und koren Keyser Henrich vur eyn Heren. Also quam he in die Stat Piise do woulde he sych an unser liever Vrauwen dach upfart mit Godes Lycham verwaren. Want he was eyn rechtferdich man. ind hadde Gotzdienst lieff ind die Paffheit. Do he desselven dages vurß dat hillige sacrament intfangen hadde / do vergaff eme der Priester / dat syn bichtvader was / myt Godeslychain in dem Kelch. Der Priester was eyn Predigermoenich Bernar-

* Assuetis nimirum detestandis hujusmodi artibus, quemadmodum etiam *Ladislaum* Regem Neapolitanum pessima fraude interfecerunt, cujus plenam historiam habet *Pandulphus Collenutius* Histor. Neap. lib. V. & ex *Michaele Montano* lib 2. c. 33. *Lansius* in Orat. contra Italiam p. 768. ubi utriusque facti immanitatem satis graviter depingit.

Bernardus genoempt. Etzliche sagen dat der Pays ind eyn deyl Stede als die Florentiner / die von Luca / und die van der hohen synnen / ꝛc. groiss Goit dairumb gaven den vurß moenich dat he dem Keyser vergeve. Do der Keyser vurß dat hillige sacrament intfangen hadde. van stund an wart he kranck. ind eme duchte dat eme wat upstege ind durchlieff all syn inwendige Gelider als eyn kalt yss Ind syn Lycham wart schwartz. ind hier vyss beziehen vill deß Keysers Vychtvader. Dat he mit dem Sacrament dem Keyser vergeven hedde Ind als he van dem Altair ginck an syne andacht ind innichheit ind he dat venyn entfant. Do ginck he zo dem Priester in die Geirkamer. ind riet eme dat he sych vyss dem wege mechte ee idt syn Ritterschafft ind syn Gesynde die Duytschen vernemen. Do nu der moenich entwech was. sachte der Keyser den Heren dat eme vergeven were. do hoiff sich under yn groiss jamer ind clage. Die Heren ind artzeder baeden yn. dat he eme liess helpen sy hoffden an Got sy woelden eme dat veniin zo eyme Ougen her vyss bringen als ouch vur geschreven is van Konynck Albrecht van Oesterych do antwerde der Keyser / Ich will den niet van myr verdriven den ich myr zo troist ind zo hulpe hain intfangen. Also starff der Keyser over X. dage dairnae. Ind ward zo Pyse begraven mit groisser clage up sent Bartholomeus dach In dem Jair uns Heren MCCCXIII. Im dem V. Jair syns rychs ind des anderen syns Keyserdoms. Hactenus ille anonymus, cui num nomen *Hermanno Hardenradt* sit, quemadmodum in amici codice, quo usus ego sum, adscriptum inveni, num verò possessor aliquis istius libri hoc nomine appellatus fuerit, qui signo isthoc librum suum notaverit, incertum. De diligentia tam auctoris, quam typothetæ libri finis fol. CCCI. his verbis testatur: mit groisser Arbeit ind Vlyss vyssvyl boichern van den bewertsten ind sichersten Historienschryveren dae van berorende. Ind hait gedruckt mit groissem ernst ind vlyss Johan Koelhoff Burger in Coellen ind vollendet vp sent Bartholomeus Avent des hilligen Apostels Anno vurß 1499. *Her-*

 mannus

mannus Conringius, dum in *Animadverſ. in Bullam Innocent.* cap. X. p. 348. quædam ex iſto Chronico allegat, auctorem illius *non vulgaris judicii hominem appellat.* Citatum etiam illud in hiſtoria *Iohannæ Papiſſæ* invenio à *Georgio Calixto*, de Conjug. Cleric. p. 489.

§ XXVI.

Aſſidet iſtis *Iohannes Nauclerus* Præpoſitus Tubingenſis, & Academiæ ibidem primus Rector. Legimus enim in *Chronico* illius ad An. MCCCXIII. fol. 246. a. (edit. *Tubing.* 1516.) ſive p. 372. b. (edit. *Colon.* 1564.) ſequentia: *Cæſar iter arripiens verſus Apuliam, venit ad caſtrum, quod dicitur Bonconventum, in vigilia Aſſumtionis Mariæ Virginis, ubi propter feſti ſolemnitatem illa die quievit. Diſpoſuerat autem ſe per aliquot dies jejunio ac bonis operibus intendens, ſacramentum Chriſti corporis ac ſanguinis in feſto ſumere: qua die Tridentinus Epiſcopus Confeſſor ſuus & Vice-Cancellarius aberat, miſſus ad Clementem V. Vnde quidam Iacobinus de Ordine B. Dominici ſubornatus, ut ajunt, præmiis & pollicitationibus nec ſine ſuſpicione Florentinorum, qui tum coram Imperatore celebrabat, venenum ſub ſacramenti ſpecie dedit, vertens calicem vitæ in calicem mortis. Senſit mox Imperator mortem adeſſe: fertur tamen dixiſſe completa miſſa: O Domine recedatis: Nam ſi percipiunt noſtri devoti malum, quod nobis feciſtis, morte miſerabili moriemini: Deus vobis ignoſcat. Superante autem morbo hoc in loco è vita migravit, in medio curſu rerum.* Non diſſimulat tamen etiam *Nauclerus*, quid in contrarium à non paucis objiciatur, quando addit: *Dicitur tamen ordo Prædicatorum habere literas, teſtantes Fratrem prædictum fuiſſe innocentem & totum eſſe confictum*; quibus quid velit, latius infra exponetur, quando ipſas literas cum obſervationibus noſtris afferemus. Confer interim *Ioh. Baleum* in ſcriptor. Brytann. Tom. I. Centur. IV. p. 334. & 368. qui ex Nauclero ſuam narrationem depromſit. *Marcum Antonium Sabellicum* copioſiorem, & puriorem, & diligentiorem, adde etiam doctiorem *Nauclero* dicit eſſe *Ludovicus Vives*, lib. V. de tradendis diſciplinis, Tom. I. Opp. p. 507. unde ſimul hujus huc referemus ſuffragium, quod his Tom. II. Opp. Ennead. IX. lib. VIII. p. 794. conceptum eſt verbis: *Cæterùm quia* (Henricus) *Florentiam aliter oppugnare*

gnare non potuit, Bonitium, nunc Contium corrupta voce dicunt, ex his captum præsidio firmat, bellum mox in Senenses vertit, quia malignè suis commeatum ministrarent, sed morbo peropportunè implicitus Macereti petiit balnea, hic morbo ingravescente digressus Bonconventum delatus paucis diebus mortem obiit, nec sine suspicione veneni in eucharistiæ sacramento dati, monachi cujusdam operâ, quem Florentini ad id facinus magnis pollicitationibus impulissent.

§. XXVII.

Eodem, quo præcedentes duo, vixit tempore *Paulus Langius* Monachus Bozavviensis juxta Zizam, eodemque cum illis hac in re stetit veritatis tramite, ut vel ob hoc laudes jure mereatur, quibus editor ejus *Pistorius* in Epistol. dedicat. eum decoravit, *scriptorem eum non ineptum* appellans, *& omninò dignum, qui nonnullo cum Germanicæ historiæ damno à luce tamdiu videatur absuisse publica, ut à se evulgetur*, & in vitæ ejus descriptione, *scriptorem*, vocat, *aliâs purum & diligentem*, * *liberiorem quidem interdum in narrationibus, satis tamen cautum dexteritatisque non vulgaris.* Ita autem *Langius* Tom. I. Historic. German. Pistor. p. 826. de morte nostri Henrici differit: *Eodem Anno* (MCCCXIII.) *Henricus Imperator quoque, dum Bonconventum oppidum Italiæ obsidione premeret, diem obiit. Signa veneni in cadavere apparuisse multi scripsere. Ptolomæus verò Lucensis affirmat, veneno eum periisse à Prædicatorum Ordinis fratre in Eucharistia dato: aliusque addidit, id Florentinorum dolo & instinctu factum esse. Idipsum Platina magnus auctor asserit, & in fasciculo temporum legitur, & cunctis pene Chronicis. Ordo tamen ipse per bullas papales excusatur, prout in præfato fasciculo temporum continetur.* Ad quod illustre testimonium cum *Bzovius* in Continuat. Annal. Baron. Tom. XIV. ad An. 1313. n. XII. p. 211. & 212. aliud nil regerere posset, *falsum dicere*, scripsit, *Langium, quod Platina id afferat, siquidem ipse id non asseveret, sed in alios scriptores rejiciat*; quasi qui historiam aliquam alterius testimonio confirmat, non simul eam asseruisse dici posset: Evolvantur Platinæ paulò ante adducta verba, & apparebit

* Scilicet taxat non rarò & reprehendit vitia & scelera Clericorum, unde & *Wolfius* in Lection. memorab. Tom II. p. 169. & 173. *Lutheranum* eum ausus est appellare, quod tamen eum non fuisse præter alia testantur, quæ ad annum 1073. p. 775. literis mandavit.

non *Langium* mentiri, sed *Bzovium* mendaciis assuetum. Melius longè ac rectius fecisset, si ad voces: *cunctis pene Chronicis* mentem animumque diligentius advertisset, quas nos non immeritò laudamus, & adversus *Bzovium* similesque nostræ sententiæ hostes urgemus, qui scimus *Langium* diligentissime collegisse, quæ in itinere suo An. CIↃ IↃXV. jussu *Iohannis Trithemii* suscepto, in Germaniæ Monasteriis undecunque conquirere potuit & describere. Vid. *Vossium* de Histor. Latin. lib. III. c. X. p. 644.

§. XXVIII.

Tum quoque claruit *Albertus Crantzius*, vel ipsius *Bellarmini* judicio *de scriptor. Eccles.* Tom. VII. Opp. p. 193. *Vir admodum diligens in historiis conscribendis.* Præclarè etiam de eo judicat *Gerardus Geldenhaurius* Noviomagus præfatione in Germaniæ Illustratæ scriptores edit. Marpurg. An. 1542. *Vnus fere Albertus Crantzius semper mihi visus est præ aliis historici nomine dignus, quem sui temporis res gestas verè, liberè, & ad posteritatis utilitatem scripsisse adparet.* Elogia *Pontani* & *Oldendorpii* exhibet *Ioh. Gottfrid Olearius* in Abaco Patrologico p. 15. Duobus verò in locis *Albertus Cranzius* nobiscum facit, primò in *Chronico Saxon.* lib. IX. c. VII. p. 234. ubi, postquam Henricum Bonconventi obiisse narrârat, addidit: *Signa veneni in cadavere apparuisse multi scribunt: Ptolomæus verò Lucensis affirmat, veneno eum periisse, à Prædicatorum Ordinis Fratre in Eucharistia dato: Aliusque addit id Florentinorum procuratione factum: Ipsi fratres multa in purgationem sui fratris congesserunt.* Deinde in *Metropol.* lib. IX. c. VI. p. 240. *Tum verò* (Florentini) *ad arma quæ pugnant in tenebris, veneno aggressi hominem interemerunt, ut fertur, de manu ejus, unde minimè debuit formidare. Quum enim animæ saluti prospiceret, cibum pro Christiana Religione capiens animæ salutarem, fertur pariter sumpsisse noxium ac lethale corpori venenum.* Mirum est, quòd flammæ Pontificiorum expurgatoriæ verba hæc nec accenderint, nec consumserint, quas alioqui *Cranzius* in aliis librorum suorum locis subterfugere non potuit. Vid. *Danielem Francum* de Indicibus Papistarum librorum prohibitorum & expurgandorum c. X. §. 148. p. 167. hæc & similia diligenter disquirentem. Plagii de cætero accusari

cusari *Cranzius* solet, quod sua ex *Gobelini Persona* Cosmodromio non rarò mutuetur: Ita *Henricus Meibomius* in præfat. ad Lectorem suæ *Cosmodromii* editioni præfixa, nec non *Georgius Matthias König* in Biblioth. Vet. & Nov. p.350.b. & 449.a. aliique sentiunt. Ast *Vossium* si audiamus, *Histor. Latin.* lib. III. c. VII. p. 802. culpa omni *Cranzius* vacabit: Fidem enim is facit, *Gobelinum Personam* exscribi quidem à *Cranzio*, sed tamen ita, ut nominetur; hoc verò si fit, *plagio literario* locum non esse, *Iacobus Thomasius* ostendit, qui omnium optimè in * *exasciata* Dissertatione de *plagio literario* hanc rem excussit. vid. *theor.* VII. §. 244. p. 104. seqq. (cujus plagiariorum Catalogus innumeris, mortuorum pariter & viventium, nominibus augeri ab eo posset, qui iram metumq; aliorum procul haberet, *Vivorum enim ut magna admiratio, ita censura difficilis est*, dicente *Vellejo Paterculo* lib. II. Histor. c. XXXVI.) Certè hoc in loco *Cranzius* sua non tam *Gobelino Personæ* debet, quam *Blondo Flavio*, sicut ex utriusque supra citatis testimoniis videre est. Neque tamen negarem omninò, *Cranzium* nonnunquam aliorum plumis se tegere, & res in aprico posita est, quam plura passim ex *Helmoldo* repetat, quò vide quæ ex *Vbbone Emmio* monet *Schurzfleischius* de rebus Slavicis §. 4. lit. f. De ipso etiam *Helmoldo* constat, quod non immunis sit ab hoc vitii genere. Vid. *Meibomii* Vindicias Billingianas in *Opuscul. Histor.* p. 307. & *Conringium* de antiquo statu Helmstad. p. 108. Litem denique de patria *Cranzii* non tam decido, quam foveo, dum nonnisi quid aliis videatur significo. *Bellarminus* de scriptor. Eccl. loc. cit. *Bambergensem* cum vocat, quamobrem *Konigius* in Biblioth. Vet. & Nov. p. 449.a. illi succenset, *ineptum* eum vocans, *qui Cranzium Bambergensem faciat, cum Hamburgensis fuerit*; sed & *David Blondellus*, Vir, si quisquam acutus atque eruditus, *de Iohan. Papiss.* p. 6. scribit: *Albertus Kranzius Bambergâ oriundus, Decanus Hamburgensis*, cui verò repugnat *Wolffius* in præfatione præfixa *Cranzii* Chronicis Daniæ, Sueciæ & Norvagiæ, ubi ait

* Ut Bosio audit *de Periocha Iosephi* c. II. §. 50. p. 74. cujus argumentum de insigni doctorumque contentionibus celebri testimonio Iosephi, in quo Christi Iesu virtutem, prodigia, interitum & reditum in vitam luculenter deprædicat, præclarè nuper illustravit *Petrus Daniel Huetius* in Demonstrat. Evang. proposit. III. §. XI. p. 46. seqq.

ait eum *Hamburgæ esse natum.* Huic adstipulatur *Iohannes Andreas Quenstedt* in Dialogo de Patriis Illustrium p. 202. *Nobile hoc Emporium*, de Hamburgo loquens, *edidit Albertum Cranzium Theologiæ & Decretorum Doctorem*, &c. Sed examinare ulterius istam controversiam, vel componere etiam nec ratio mei instituti fert, nec loci opportunitas permittit.

§. XXIX.

Quapropter properamus adducendo testem, cujus ante firmanda à nobis fides est atque auctoritas, quam illius testimonium proferatur: *Ratam* enim, quod *Ovidius* habet lib. III. Trist. Eleg. *X.* vers. 36. *testis debet habere fidem.* Nomen est illi *Iohannes Aventinus*, scriptor Annalium Bojorum in tantum laudandus ac æstimandus, in quantum fides, candor ac eruditio suo ævo accommoda in censum veniunt. Habet autem vir de gente sua Bajoarica, quin & tota Germania meritissimus plurimos hostes, quos tamen nequaquam fuisset habiturus, si veritatem obsequio, & fidem cœcæ erga Pontificiam sedem obedientiæ postposuisset, neque *Paparum Anti-Christianismum* adeò apertè prodidisset. Conjecturis hinc nequaquam opus est, ut indagemus, cur tam iniquè de *Aventino* sentiat Cardinalis * *Baronius* Tom. IX. Annal. Eccles. ad an. IↃCCLXXII. n. 22. p. 396. & Tom. X. ad an. IↃCCCCXCVI. n. 54. p. 1052. curque tam petulanter *Bellarminus* in *Appendice* ad libros de summo Pontifice c. X. Tom. VII. Opp. fol. 539. scribat: *Iohannem Aventinum auctorem esse parum probatæ fidei, qui non sine causa multa in odium Pontificum vel finxisse vel amplificâsse credatur*; cujus hyperaspistes *Jacobus Gretserus* in Examin. Myster. Plesf. p. 430. & 474. impudentius adhuc asserit: *Aventini fidem & auctoritatem apud Iesuitas, omnes-*

* Quem suum Ducem pari passu sequuntur Continuatores pedissequi *Bzovius* & *Spondanus*, ille Tom. XIV. Contin. Annal. Baron. ad an. 1338. n. XXII. p. 815. *Quibus mendaciorum Architectus Aventinus suos Annales deformavit: homo omnium ut petulantissimus in conviciis, sic mendacissimus in narrationibus, adeoque inconstantissimus in iisdem male scribendis, dum ex eodem calidum & frigidum efflat*, hic dum Tom. I. Continuat. Annal. Baron. ad an. 1328. n. IV p. 424. *Aventinum impudentissimum styloque usum fuisse virulentissimo* pariter scripsit. Ast rectè *Heruvartus* in Appendic. ad Bzovii XIV. Annal. Tomum p. 151. a judicat, *laudes quibus Bzovius Aventinum prosequatur, ei cum illo fermè communes esse.* Idem de Spondano dictum esto.

omnesque, quibus cor quam palatum plus sapit, vacillare. Nam quæ ipse corde suo circumtulerit, ea in chartas relata ipsum aliis attribuisse, aliorumque pectora candida ex suo livore æstimasse. Nihilo melius est judicium *Jacobi Kelleri* Tom. I. Papat. Cathol. Art. I. c. 8. §. 37. p. 315. a. wir halten Aventinum gar nicht für einen bewährten Historicum oder Zeugen/ nam testimonium inimici jure repellitur. Aventinus ist dem Pabst so abhold gewesen/ als du: dem Luther schier so wol gewogen als du; nec non *Tanneri* Jesuitæ, *infidum & malæ notæ Historicum* eum in *Anti-Christo præscripto* præscr. V. p. 89. vocitantis. Cecinerat eodem tenore *Iacobus Reihing* Jesuita adhuc existens, mente linguaque post suam ex Jesuitico corvo in Evangelicam acredulam salutarem μεταμόρφωσιν correctis, vid. ejus *Retractat.* pag. 899. ubi ita loquitur: Ich habe ihn (Aventinum) als einen gar zu jungen/ partheyischen/ uncatholischen und zimlich bekanten Fabelschreiber p. 1155. zu einem Zeugen nicht zulassen wollen/ warumb? weilen er wieder den Pabst die Warheit gesagt hat. Also seynd die Jesuiten beschaffen/ daß wer wider den Pabst im geringsten ist/ oder redet/ der muß ihnen gar zu jung/ uncatholisch/ ein Fabelhans seyn. Quæ ingenua *Reihingi* confessio malè habuit impudentissimum ejus adversarium *Henricum Lamparterum* in der Goldwage p. 844. dem ist also/ er (Aventinus) ist weder ein guter Christ/ noch ein guter Geschichtschreiber gewesen. Nicht wegen der Warheit/ welche er geschrieben/ werffen wir ihn weg/ wie Reihing sagt/ sondern wegen der Lügen/ und weil er auch in weltlichen Geschichten nit Zeugnuß gnug ist * De *Aventino* ita etiam loquitur Index *Sandovallii* expurgatorius p. 495. *Memineris, Lector, Aventinum plus nimio faventem schismaticis, parum integra fide res Romanorum Pontificum prodere, ut difficile fuerit omnia in hoc genere expunxisse, proinde cautè legendum;* & speciatim ex libro VII. Annalium *Aventini* deleri jubet *expurgans ignis*, historiam *de sublato*

* Dormitavit nuper Jesuita *Schœnmannus*, cum nescio quam fabulam de Reihingiana dictorum factorumve iterata pœnitentia & morte non Evangelica somniavit, expergefactus ex somno ac somnio à D. *Mayero* de morte Caroli V. p. 13. cui ὁ Θεόφιλος *Spizelius* in Templo honoris p. 93. addi potest.

per infectam veneno hostiam Henrico VII. Adde Indicem *Sotomajoris* p. 562. ubi is crassissimâ ignorantiâ ex Aventino *Historicum Philologum Lutheranum* facit, quòd meritò perstringit *Daniel Francus* de Papistar. Indic. Librор. prohibit. c. X. §. 147. p. 167. Similiter continetur etiam Aventinus in *Indice auctorum & librorum prohibitorum*, qui Antverpiæ ex officia *Plantiniana* A. 1570. prodiit p. m. 31. Præterea plura aliorum mendacia ac convicia, exhibiturus cum D. *Gerhardo*, nostro Confess. Cathol. Procem. lib. I. p. 23. seqq. et D. *Christiani* in Anti-Forero Disp. X. p. 403. quid in Aventini defensionem dici possit & debeat. Ubi non leve initio est, quod observamus, nullam ob causam aliam tam exiguam ejus apud recentiores Papistas esse existimationem, quam quod ea non scripsit, quæ illorum causæ servire possent. Num verò prævidere *Aventinus* poterat, fore qui sectæ Hildebrandinæ obnoxii, Pontifices Romano ante plures annos fœdissimè extinctos, ἀποθεώσει quadam gentili veneraturi essent, atque à criminibus undiquaque purgaturi? An scire, quæ & quomodo in horum gratiam scribenda? Scilicet mentitus tunc fuisset *Daniel* Propheta c. II. 27. seqq. *solum Deum futurorum præscium* asserens: nec verum dixisset *Iuvenalis* lib. II. Satyr. VI.

Et genus humanum damnat caligo futuri,

itemque *Statius* Theb. III.

- - - *Quid crastina volveret ætas,*
Scire nefas homini.

Mentiti fuissent & alii, qui uni Deo futurorum cognitionem adjudicârunt apud *Huetium* * in Demonst. Evangel. Axiom. IV. p. m. 22. & 23. Deinde *Hieronymus Zieglerus*, qui Aventini vitam descripsit, & cujus de eo commentatio *Aventini Annalibus* præmittitur, ea de ipso commemorat, quæ plane non permittunt, ut verum putemus, quod persuadere nobis hostes *Aventini* conantur. Numne credamus, illustrem Bavaricam domum pro suo erga sacra Romano-Catholica Zelo ac studio passuram fuisse, ut *tam perfidus homo & non Christianus* Celsissimorum Bavariæ Ducum *Ludovici* & *Ernesti* Præceptor (*Zieglero* l. c. refe-

* Virum *ob raram eruditionem* jam olim à Doctissimo *Bocharto* commendatum part. I. Hierozoici lib. III. c. 27. p. 956. Simile judicium de illo tulit *Ezechiel Spanhemius* de Præstant. Numism. p. 853.

referente) Monaci constitueretur, & cum horum altero in Italiam proficisceretur? Num *Catholici* Principes tantum Annalium opus suis auspiciis ac sumptibus conscribendum *acatholico & fabularum studioso* commissuri fuissent: Quis in faciem Dominorum suorum mentiri potuisse suspicetur *Aventinum*, cum sic in Epistola Dedicatoria illos alloquitur: *Tertius jam agitur annus, Principes Illustrissimi, dum mandatis vestris pareo, dumque tam religioso, tam memorabili vestræ pietatis desiderio atque proposito satisfacere & respondere, summa ope studeo atque nitor. Cum enim ego potissimum delectus & ob hoc liberali perpetuoque stipendio condonatus fuerim, ut Bojorum clarissima quæque facinora literarum æternitati commendarem; non committendum putavi, quò aut expectationem mei fallerem, aut sumtus impensæve perderentur, &c.* ubi pluribus studium suum commemorat. Unde & laudem veritatis ei tribuunt *Matthæus Marschalck & Conradus Adelmann ab Adelmansfelden* Canonici Augustani, qui literis honorificentissimis A. 1526. D. X. Decembr. ad *Aventinum* scriptis ejusque Annalibus optimæ Ingolstadiensis editionis *A.* 1554. cum aliorum epistolis præfixis, hæc habent: *Intelligimus, quam religiosè Historiæ legem i. e. veritatem in scribendo servaveris.* Tribuit quoque *Hungerus* in præfatione ad Lectorem Operis *Cuspiniani* de Cæsaribus: *Quorum in numero*, (qui scilicet ex fide & sine animi aliquo morbo commentarios suos ediderunt,) *haud immerito Iohannes Aventinus rerum cognitione celebris vir, & diligentissimus Scriptor, illustre nomen promeretur.* Et ipse *Cuspinianus* in sua Austria p. 23. ait: *Aventinus noster, vir doctus, & diligens antiquitatis indagator*, & p. 57. *Iohannes Aventinus vir doctissimus, Bajoariæ scriptor eruditissimus, & mihi amicitia junctus, olim meus auditor & discipulus.* Quis *Onuphrio Panvinio* de Aventino sensus sit apud *Conringium* videre est, harum rerum callentissimum, in *Resp. ad Nibusij objectiones*, quæ habetur in fine doctissimi libri *de origine Iuris Germanici* p. 265. qui & ipse *de Finibus Imp. Germ.* lib. I. c. XVII. p. 274. *accuratissimum Bajoaricarum rerum scriptorem* eum appellavit. Nec facile quis erit doctiorum, (ut elogia *Aventini* in compendio exhibeam) quin nobilissi-

bilissimum hunc scriptorem ab insigni eruditione, magno judicio & incomparabili diligentia commendet, neque à rerum Germanicarum studioso negligi debere existimet. Postquam igitur fidem *Aventini* ab hostium criminationibus liberavimus, percipiamus age paucis, quid de mortis genere, ex quo Henricus obiit, senserit scripseritque, *Annal. Bojor.* lib. VII. p. 746. ubi non dubitat, quò minus veritati historicæ aliquid decedat, ad omnia pene Chronica, fastos, annales atque acta provocare: *Inter hæc in Italia Imperator Hainricus septimus Cæsar Augustus duodevicesimo Calendas septembris celeberrimo Christianorum die festo, in sacra æde à Bernardo Dominicano, (qui auro malè ab inimicis Cæsaris conciliatus fuerat) cælesti victima toxico oblita, atque polline Adamantina, (quam præsens venenum esse ajunt) sacræ optimi Principis potioni indito, novo & inaudito exemplo extinguitur. Ita non solùm in fastos, annales, acta relatum est, sed & epigramma in ejusdem ceremoniæ consecraneos extat, & antiquis more majorum celebratum est carminibus. Quamvis Romani flamines, ægritudine animi, quòd homo vindictæ avidus de hostibus, ut vellet, supplicium sumere non posset, animam ipsam efflâsse credi sibi postulant.* Illustre eximiumque hoc *Aventini* testimonium tam placuit *Matthiæ Flacio* at quanto viro! ut verbotenus suo *Catalogo testium veritatis* id insereret p. 259. Omitti quoque non debet, *Genebrardum*, & qui eum sequitur, * *Gaulterium tradere Aventinum* claruisse A. CIↃ CCCLXVI. quorum relatio acceptissima nobis esset, magnum quippe pondus ad *Aventini* ætatem allatura, si quidem cum veritate conveniret, ut non convenire nemo est, qui nesciat. Vide *Vossium* de Histor. Latin. lib. III. c. 10. p. 655. Satis & forte ad nauseam de Aventino.

§. XXX.

Audivimus modò Aventinum à *Iohanne Cuspiniano* (olim

* Spies-

* Probè distinguendum à *Iohanne Gualterio*, vero nomine *Iano Grutero* dicto. (vid. *Placcii* Pseudonym. num. 439. p. 240. *Conring.* de Biblioth. Aug. p. 42.) In hujus enim Chronico Eccles. Politico, *in Elencho dierum emortualium Virorum Clarorum, in Iohanne Aventino* contrarium luculenter continetur. Quod monere volui, & etiam necessarium duxi, ut mendum typographicum in Francofurtana Vossiani libri editione A. 1677. quo *Gualterus* legitur, ex Lugdunensi vetere A. 1627. corrigatur, ubi rectè p. 587. textus habet *Gaulterii*.

* *Spieshamero* dicto) insigni elogio decoratum commendatumque fuisse, age igitur dispiciamus, numne ipsum quoque in auxilium subsidiumque causæ vocare queamus. Faciendo istud invenimus, duobus in locis nobis ipsum patrocinari, altero, in quo ex instituto id agit, altero in quo nonnisi obliquè atque ex occasione. Ille est, quem ejus liber *de Cæsaribus* suppeditat, in quo p.366.367. pluribus Henrici ex hac vita decedentis verba, actiones aliasque περιστάσεις describens inter alia his verbis utitur: *Instabat beatissimæ Virginis dies, quo in cœlum ab angelis assumta est, quo solitus erat Cæsar omnibus intermissis negociis, rebus divinis vacare. Ea erat enim religione, ut sæpe totas noctes ante imaginem crucifixi, (quam semper secum circumferebat) oraverit quam devotissime, & peccata defleverit quam amarissimè. Solitus sacram Eucharistiam aliquando summis festis accipere, ob quam rem festinam mortem incurrebat. Mane itaque post peracta solemnia, cum de more sacrosanctam Eucharistiam in mystico pane acciperet à fratre Ordinis Prædicatorum Bernhardo nomine, ilico incepit ægrotare. Ferebatur enim maledictus iste Monachus sub unguibus venenum habuisse, quo & hostiam & calicem infecerat, moxque dehinc abiit. Invalescente morbo Cæsari consulunt proceres, ut Pisas reducatur, quibus respondit, se in servitio DEI esse nec aliò profecturum. Ita-*

* Quæ mutandi nomina consuetudo & nunc & olim eruditis per fuit familiaris. Ita *Philippus Melanchthon*, cujus familia à *nigro solo* Schwartz-Erd vocabatur, Græcum *Melanchthonis* nomen à *Reuchlino* accepit retinuitque, qui ipse quoque à *fumo* per deminutivum Germanicè Räuchlin dictus ab *Hermolao Barbaro* Græco nomine *Capnion* appellatus pòst est; quemadmodum & Reuchlini Præceptor *Iohannes Nauclerus*, quod filius *Iohannis Verga* erat, *Vergehans* (nautam id notat) ante dicebatur, quam Græcum *Naucleri* nomen sibi ascisceret. Simile memini de Celeberrimorum *Osiandrorum* nomine audivisse, quòd *Andreas Osiander* apud Norimbergenses dehinc Regiomontanos Ecclesiastes, (qui medio superioris seculi floruit) primis ætatis annis Andreas Hosen dictus fuerit, & cum cives ejus inverso ordine Hosen Andres juxta patrium morem id pronunciarent, non erubuerit sibi suæque genti nomen istud in perpetuum tribuere. Quomodo *Erasmus*, cum diceretur *Gerardus Gerardi*, nomen *Desiderii Erasmi* assumserit, vel in vulgus notum est. Rationem denominationis suppeditat *Vossius* Theolog. Gentil. lib. III. c.85. p.1192. Plura exempla, ubi ejusmodi nomioum mutatio in Græcam Latinamque linguam observari posset, commemorare supersedeo, nisi quod observem adhuc, *H. Grotium* in notis ad Genes. XI.1. & cum eo *Petrum Danielem Huetium* in Demonstr. Evang. propos. IV. c.13. §.IV. p. m. 246. seq. antiquiora, quæ omisimus, rei hujus exempla annotasse, quo autem fine Dn. D. *Calovius* Bibl. Illustr. V. Test. Tom. I. p. 270. explicat, simulque solidè refutat.

que Beneventum defertur, ubi animam DEO reddidit, &c. Plurima hîc paucissimis notare volumus, quin indicare tantùm. Verbis *festinam mortem incurrebat*, & quæ illa insequuntur *Cuspinianus* pereleganter, quomodo alii scriptores intelligendi explicandique sint, interpretatur, quando *statim, subitò, repente* & similibus dictionibus Henricum obiisse narrârunt. Ipse enim dum initio rem per compendium (ut alios etiam fecisse jam §.6. à nobis observatum est) recenset, utitur hoc loquendi modo, neque tamen negat, cum pòst speciatim & per partes historiam describit, supervixisse adhuc aliquandiu Imperatorem post haustum venenatum potum. Porro *& hostiam & calicem veneno infecisse Monachum* dum narrat, dissensum inter cæteros scriptores tollit, qui vel in hostia vel in calice Imperatorem venenum accepisse verè omnes commemorârunt, quo de in subsequente sectione plura monebuntur. Denique cum voce *ferebatur*, Cuspinianus in recensione sua utitur, & in sequentibus susque deque eam habens, veritatem historiæ adversus τὰς ἐξ ἐναντίας testimonio *ephemeridum Henrici VII. & communis Annalium assertionis, Ptolomæi Lucensis inprimis* propugnat, manifestum evadit, non dubitâsse semper de historia nostra auctores, qui hujusmodi voces in illa referenda adhibuerunt. Nullatenus etiam dubium *Cuspiniano* factum fuisse, tetrastichon confirmat, quod pro more in fine suæ relationis subjecit:

Italicas penetrans Henricus Septimus Oras,
Guelphis infestus tolleret ut Latio,
Concidit à Monacho, qui mystica liba ministrans
Pro vita mortem, toxica sæva dedit.

Idem docet locus alter, quem ex Cuspiniani scriptis adducere promisimus, qui in ejus *Austria* p.49. extat, ubi absque omni ambiguitate, *Dominicanos fratres veneno Henricum in sacra hostiâ intoxicâsse* asserit. Opus de cætero non est, ut *Cuspiniani*, Imperatoris Maximiliani I. Consiliarii atque Historio-graphi, Anno 1529. vita defuncti (vid. *Lambecium* Tom. I. de Bibl. Vindob. p.32.) fides & auctoritas multùm à nobis asseratur, quum factum id ab aliis sit abundè simul atque accuratè. Vide, qui perplura collegit, *Martinum Hanckium* de scriptoribus Rer. Roman. lib. II. part. I. c.16. p.130.

§. XXXI.

§. XXXI.

Venio ad *Iacobum Philippum Forestum* à patria urbe Bergomo *Bergomatem* dictum, qui in Chronico, quod *Supplementum Supplementi* inscripsit, & ad Annum suum natalem sexagesimum nonum * CIƆ IƆIII. perduxit, p.290. edit. Brixiens. An.1485. (quo se ad Annum ætatis quinquagesimum primum pervenisse tum scripsit) & p. 208. edit. Venet. An. 1503. hæc in nostri gratiam reliquit: *Ubi* (Bonconventi) *post aliquot dies non sine suspicione dati veneni* (Henricus) *mortuus est. Subornaverant enim, ut fertur, Florentini ab eo gravissimè infensi, pollicitationibus & præmiis quendam Monachum, qui Eucharistiam veneno illitam ei dedit.* Post *Bergomatem* ad se me vocat *Guiliemus Heda* ** scriptor *Historiæ Episcoporum Trajectensium* à *Bernhardo Furmerio* An.1612. Franequeræ editus, (melior est & longè præstantior editio, quam post *Buchelius* An.1643. Ultrajecti curavit,) in qua p.394. (apud Buchel. p.231.) hæc reperias: *Henricus Imp. Anno MCCCXIII. porrecta per Bernardum quendam Professorem Ordinis Divi Dominici Eucharistia veneno intincta sublatus est. Et successit Ludovicus Bavarus. Fuit crebro ab aliis tentatum, ipsum Imperatorem aqua venenata, caliceque aureo toxicato sustollere. Sed Magistri præcipui Ordinis Prædicatorum ultimi mali auctores fuere, acceptis à Regibus Franciæ, Siciliæ & Navarræ, ac præcipuè Tarentino XL. millibus aureorum, qui hunc jusserant tradere venenum. Præcessere præsagia mortis Cæsaris, quæ ille tanquam somnia contempserat.* Fa cientia huc supra §. 4. allata sunt, unde repetenda erunt.

§. XXXII.

Raphael Volaterranus ex Commentariorum Urbanorum lib. XXIII. p. 558. commemorandus quoque venit: *Postremò*, ita is inquit, *profectus* (Henricus) *contra Senenses, & apud Bonconventum discedens morbo interiit, manifesto veneno opera Roberti Regis dato* *Anno*

* Nescio cur *Iohannes Hallervord* in spicileg. de Histor. Latin. p.99. *Bergomatis supplementum Chronicorum* in Anno Domini 1436. terminare scribat, quum errorem istum jam in Possevino notârit *Vossius* (ad quem supplementa isthoc libro addere voluit *Hallervord*) de Histor. Latin. lib. III. c. XI. p.662.

** *Accuratissima diligentia*, quo nomine *Hedam* laudat *Ianus Duza* Annalium Batavicorum præfatione posteriore, quæ est de Poeticæ & Historiæ societate.

Anno Imperii V. Salutis MCCCXXIV. Credo in ultimo numero vitium typothetæ irrepsisse, pro MCCCXIII, siquidem ipsius *Volaterrani* * παράζαμα non est: *Possevinus* enim in Apparatu suo p.313. *Virum doctum*, eum vocat *ac diligentem.* Nec *Vossius* de Histor. Latin. lib. III. c. 12. p.672. *multa* ipsum *doctrina & industria fuisse* negat, utut exiguam ejus Græcæ linguæ notitiam ibidem arguat. Ipse quoque *Volaterranus* in dedicatione ad *Iulium II.* Pontificem Romanum ait, *se ex mille amplius Græcæ & Latinæ Linguæ auctoribus Commentarios istos studiosè congessisse*, quod si verum est, non parum industriam ejus prodit ac ingenuitatem. Quis scit quoque, annon narrationem istam suam ex Veteri aliquo monumento desumserit, cujus nos notitia nunc fugit? Addimus hîc statim, utut aliquanto post vixerit, *Iohannem Ravisium Textorem*, quem ex *Raphaele Volaterrano* pleraque sua desumsisse, sicque rivos magis quàm fontes sectatum fuisse *Vossius* loc. cit. ait: quod certè de *Textore* nemo præsumsisset, quandoquidem is in præfatione ad *Officinam* suam, (ex qua mox eum citabimus) vehementer admodum adversus id genus homines calamum strinxerit, *ardeliones*, eos appellans, *qui quum studio laudis immoriantur, neque tamen aliquid dignum laude parturire valeant, instar Horatianæ corniculæ plumas suffurentur alienas.* Locus, in quo habet, quæ ad nos spectant, est in dicta *Officina* sive *Theatro Historico & Poetic.* lib. II. c. 97. quod de iis, qui veneno extincti sunt, agit, p. 200. *Henricus ex Luzelburgo Imperator post Albertum à Clemente Pontifice designatus, dum superata Hetruria, Florentinis salutem jam desperantibus immineret, veneno Eucharistiâ & pretioso Christi sanguine dato periit, anno Imperii quarto. Illud autem venenum datum est opera Roberti Siciliæ Regis. Egnatius.*

§. XXXIII.

Deberem nunc citati à Textore *Iohannis Baptistæ Egnatii*, reliquorumque nobiscum facientium testium verba pari cura & solicitudine

* Quod quid sit, *Gerardus Iohannes Vossius* de Idololatriæ ortu & progressu lib. III. c. 83 p.m. 1178. describit: *alucinatio non tam ex inscitia est, quam inde quod aliud agatur, nec attendatur satis.*

citudine atque hactenus feci, adſcribere, ſed cum auctoritas eorum minor ſit ac præcedentium, cumque hos ſequantur ut plurimum atque exſcribant, facileque à quovis obtineri & evolvi queant, ne Diſſertatio ſpiſſa nimis evadat, nuda auctorum nomina cum librorum titulis ac numeris poſthac recenſebo. Videantur igitur modo nominatus *Egnatius Hiſtor. Cæſar.* lib. III. p. 261. *Pandulphus Collenutius* Piſaurenſis Juriſconſultus, Ducisque Ferrarienſium ad Imp. Maximilianum Legatus *Hiſtor. Neapolit.* lib. V. p. 212. *Iacobus Meyerus* Baliolanus, ſacerdos Brugenſis, in *Annalibus Flandriæ* lib. XI. pagina inter *Annales Rerum Belgicarum* Francofurti An. 1580. editos, 136. (corrigendum hinc vitium quod §. 1. p. 2. in citatione *Meyeri* à typographo commiſſum eſſe relegendo hæc deprehendi.) *A Meyero* citatur etiam loco modo allegato *Valerius Anſelinus Ryd*, quem verò neſcio an parti Romano-Papiſticæ faviſſe credere debeā atq; aliis perſuadere: Videatur interim ejus *Catalogus Annorū & Principum* p. 54. b. edit. Bern. 1540. *Paulus Æmilius* Hiſtor. Franc. lib. VIII. pag. 420. *Petrus Bizarus* Sentinas *Annal. Genuens*, lib. V. p. 99. *Iohannes Dubravius* Epiſcopus Olomuzenſis in ſua Hiſtoria Bohemica lib. XX. p. 164. editore Marquardo Frehero. *Guilielmus Eiſengreinius* in Chronol. ad An. 1308. p. 249. *Bohuslaus Haſſenſtenius* in libro de miſeria humana, & *Iohannes Fontanus* in Johanne XXII. (qui à *Ruperto* citantur in Obſervat. ad Beſoldi Synopſ. p. 699.) *Hubertus Golzius* in Iconibus viris, atque elogiis Impp. Roman. edente *Gaſperio Gevartio* Antverpiæ A. 1645. p. 328. * *Hugvvaldus Mutius* Chronic. German. lib. XXIII. Tom. II. ſcriptor. German. Piſtor. p. 219. *Gilbertus Genebrardus* in Chronogr. lib. IV. p. 1011. *Michael Ritius* de regibus Siciliæ lib. III. p. 624. (Habetur inter *Scriptores rerum Sicularum* A. 1579. Francofurti excuſos.) *Marcus Guazzus* in Chronico Italico idiomate conſcripto, p. 258. *Levinus Hulſius* Numiſm. Imperat. p. 287. *Iacobus de Strada* in epitome theſauri Antiquitatum A. 1553. typis *Lugduni* exſcripta p. 321. *Martinus Cromerus* de rebus Polon. lib. XI. Tomo II. ſcriptor. Rer. Polonicarum à *Piſtorio* An. 1582.

 Baſi-

* Variè à variis *Mutius* quoad prænomen appellatur, dum nunc *Huldricus* nunc *Henricus* audit. Sed veram appellationem, quam appoſuimus, nos docuit Mutii civis *Melchior Goldaſtus*, cujus de hac re videndus *Commentarius de regno Bohem.* lib. I. c. 2. p. 14.

Basileæ editorum p.585. *Iohann Conrad Mecker à Balgheim* in Chron. p.319. *Horatius Turfellinus* Epitom. Histor. lib. IX. p.208. *Octavius de Strada à Rosberg* Civis Romanus & Rudolphi II. Antiquarius Ordinarius *de Vitis Cæsarum*, quas à *Iulio* Cæsare usq; ad *Ferdinandum II.* descripsit p.455. (ubi iisdem, queis prior *Strada*, verbis utitur, nisi quòd quædam adhuc de loco adjiciat, ubi Henricus sepultus fuerit.) In *Historia antiquitatum Britannicæ Ecclesiæ & inprimis Cantuariensis* Londini primùm, & post Francofurti An. 1605. excusa p.210. citatur in margine *Memoriale Historiarum*, cujus auctorem nobiscum sentire ac loqui ibi ostenditur. *Helias Caurianus* Histor. Brixian. lib. VII. & *Christianus Massæus* in Chronico citantur à *Buchelio* in notis ad *Guilielmum Hedam* p.238. lit. dd. *Ioh. Georgius Hervvart ab Hohenburg* in Ludovico Bavaro defenso, sive Appendice ad Tom. XIV. Continuat. Bzovii ad An. 1338. n.28. p.137.a. *Iacobus Gordonus* Lesmoreus Scotus Societ. Jesu sodalis in Opere Chronologico p.389. *P. Boistuau* cognomine *Launay* dictus, in theatro mundi Gallicè sub titulo: *Theatre du Monde* conscripto, * Annoque 1607. edito, lib. III. p.143. *Petrus Opmeerius* in Chronograph. lib. VI. p.668. *Gabriel Bucelinus* in Germania Topo-Chrono-Stemmato-Graphica part. I. p.105. *Felix Osius* in notis ad Albertinum Mussatum p.64. 65.68. & 91. *Dionysius Petavius* in Rationar. Tempor. part. I. lib. IX. c.5. p.582. *Iohannes Baptista Ricciolius* Chronolog. Reformat. Tom. I. lib. IV. p.217. a. &, ubi clarius mentem exprimit, Tom. II. p.174. b. *Philippus Labbe* part. I. Chronolog. Technic. ad An. MCCCXIII. (quem verò hac in parte immeritò deserit, qui laborem illius ad finem perducere suscepit *Philippus Brietius* in Continuat. Chronolog. part. III. p.157.) *Iohannes Palatius* in Monarch. Occidental. lib. XXXII. c.2. n.27. in Aquila Vaga p.106. & 118. *Carolus du Fresne* ex Glossario suo suprà §.9. adductus. *Iohannes de Bussieres* Jesuita in Flosculis Histor. p. 362. *Dn. de Prade* in Historia Germaniæ Antiquæ & Novæ, sive ut Gallicè inscripsit: *Histoire d'Allemagne ancien-*

ne

* Libellum istum cum ob styli, (qui tamen recentioris Gallicæ suavitatis amantibus vix arridebit) tum rerum elegantiam impensè commendat *Henricus Doergang*, apud Colonienses Gallicæ Ital. & Hispan. Linguarum Professor, *Institut. Ling. Gallic.* p.23.

ne & Nouvelle part. 2. p.356. & tandem *Iohannes Launojus* nemini ſuperiorum acumine ingenii atque eruditionis copia ſecundus part.VI.Epp. Epiſtol. XIV. ad *Ludovicum Maraſium* p. 418. ſeqq. adverſus quem, quum *Natalis Alexander* Doctor Sorbonicus & Dominicanorum familiæ addictus, in *ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus*(in quibus occaſiones *Launojum* refutandi nunquam prætermittit,ob quod à *Dn.D.Reiſero* in Launojo Confeſſore meritiſſimo jure non uno in loco notatur,) Tomo IIX. & IX. queis ſeculorum XIII. & XIV. res nuper exhibuit, nihil afferre auſus eſt, haud dubiè inde venit, quod vidit & in corde ſuo agnovit, inſiſtendum eſſe nec adverſandum veritati, QUÆ TOT ANTIQUIS ET RECENTIORIBUS, NEC SUSPECTIS AUCTORIBUS UNO ET CONSTANTI TENORE CONTINETUR. *

§. XXXIV.

Atque hi ſunt præcipui auctores, quorum fide ſtatque caditque noſtra aſſertio. Eorum quidam eo ipſo claruerunt tempore, quo perpetratum eſt ſcelus, quidam paulò poſt veritatem à Parentibus & Majoribus acceptam ad poſteros propagârunt; nonnulli inſecuta ſecula ſcriptis ſuis illuſtrârunt, quorũ tantò apud nos major extitit auctoritas, quantò diligentiores illi fuerunt in legendis Veterum veſtigiis; tandem aliqui noſtris viciniores fuerunt temporibus, quorum producta teſtimonia ornant certè fidem hac in re, ſi non augent: Omnes verò, quos adduxi membra fuerunt Romanæ Eccleſiæ, (viſi mihi minimùm eſſe) hiſtoriographi partim, partim Monachi aut alioqui Pontificibus jurati atque obligati, qui ſuſpicione omni alicujus in Monachos Pontificesque odii vacantes, quidque hiſto-

* Ægrè ne ferat Lector, quòd κατόπιν ἑορτῆς hic veniat auctor vetuſti Chronici, quod *Rudimentum Novitiorum* inſcribitur, quodque A. 1475 in *Imperiali Nobili urbe Lubicana* (quemadmodum in ejus fine dicitur) typis expreſſum eſt, ubi de morte *Henrici* fol. 399 b. ita diſſeritur: *Obiit* (Henricus) *ſexta feria correptus ardentiſſima febre: Cujus corpus totum denigratum fuit: Ideo multi volebant, quod ſuus Confeſſor Ordine prædicator nomine Barnardus eum communicando intoxicaſſet hoſtia, & Bartholomei obiit. Hoc Henricus Comes Flandriæ certiſſime affirmabat.* Qui enim nihil quicquam, quando etiam & ubi invenero, prætermittere debui, nec hoc præclarum teſtimonium, quod fortuitò admodum mihi in celebri quadam Bibliotheca perluſtranda occupato ſe ſe obtulit, ſilentio tranſire volui. Tarditatem meam accuſantibus reſpondeat illud ut tritum ſic verum: *Sat citò, qui ſat benè.*

hiſtoricos deceat memores, in ſua ſcripta citra perſonarum reſpectum retulerunt, quicquid vel ipſi viderunt, vel ex majoribus audiverunt, vel denique ex Veterum libris notatu poſteriſque cognitu digna exiſtimârunt. Multi quoque natione Itali fuere, qui vel hinc fide omninò digni ſunt, quod rem in Italia geſtam cum ex ſeniorum relatione, tum ex paternis Bibliothecis cognitam magis quam exteri habere potuerunt. Facile autem eſt conjicere, præter hoſce teſtes plurimos adhuc alios veritatis noſtræ fautores fuiſſe, quos verò vel temporum injuria rerumque edax vetuſtas conſumſit, vel adverſariorum noſtrorum fraus ac libraria tyrannis in Bibliothecarum cuſtodia conſtrictos captivoſque tenet. Cur ſolos Pontificios Doctores, nec noſtra ac Reformatorum ſacra profeſſos teſtes etiam introduxerim, ex modò dictis ſufficientiſſime conſtare poterit. Scilicet noſtri ſordent apud Pontificios, qui ſibi ſolis principatum in his ſtudiis arrogant, & ſcribendæ eruendæque antiquitatis artem à ſe unis peti debere contendunt, reliquos omnes palam infantes, bardos, rudes & omnis omninò eruditionis expertes atque ignaros prædicant, peſſimeque proſcindunt. *Ego*, vox eſt *Georgii Stengelii* loquentis in Indice & Duce Hæretic. c.II. *ſi omnes hæreticos ſtultos & inſanos eſſe dixero, nihil ut arbitror* παράδοξον, *nihil admirabile & præter opinionem communemque hominum notionem dixero. Plerique Lutheranorum*, inquit Jeſuita *Clarus Bonarſcius*, ſive quem is mentitur, * *Carolus Scribanius* in Amphithea-

* Jeſuita *Cotonius* negabat quondam, idque Rege *Henrico* IV. præſente atque audiente, libri iſtius auctorem ſocium eſſe ſui ordinis, ſed fuit mendacii egregiè convictus ab adſtante quodam Viro principalis dignitatis. Hiſtoriam refert *Petrus Aurelius* Tom III. Opp. p 332. *Pater Cotonius Ieſuita, cum negâret coram Rege Henrico IV. librum in Reges impium, inſcriptum Amphitheatrum honoris à quoquam è ſua ſocietate manâſſe. Vir illuſtris, qui aderat, ipſum mendacii coram tanto Principe redarguit, aſſerens libellum ſibi ab eo ipſo traditum commendatumque ut à ſocietate ſua manantem, & filio ſuo erudiendo utilem, quod puro ſermone conſcriptus eſſet. Quod quidem manifeſtè poſtea comprobatum eſt, cum Ribadeneyra in Catalogo ſcriptorum ſocietatis Amphitheatrum illud honoris Carolo Scribanio attribuerit, qui è nomine ſuo Carolus Scribanius anagramma fecerat, Clarus Bonarſcius.* Adde argumentum operum quod *Petri Aurelii* Operibus juſſu atque impenſis Gallicani Cleri editis præfixum eſt: Patet hinc, quam verè ſcribat *Philippus Alegambe*, Biblioth. Scriptor. Societ. Ieſu p. 70. b. *Henricum* IV. *diplomate regio ad Scribanium miſſo hunc ejus librum laudaſſe.* Simili modo Jeſuitæ *Fererus* in Anatom. Jeſuit. ſect. 7. p. 50. & *Laymannus* in juſta defen-

theatro Honoris lib.II. c.XIII. p. 196. *ut corporibus ita sensu ac mente indolatiles rigidique sunt*, & ad *Chamierum* scribit Jesuita *Armandus* Epistol.p.8. *Nihil acuminis, nihil ingenii, nihil solertiæ vastis adversariorum codicibus reperiri affirmo.* Similiter persuasum suis vult *Valerianus Magnus* Mediolanensis Capucinus, in Judicio de Acatholicorum regula Credendi c.IV.p.20. *Lutheranos destitutos esse ingenio, eruditione, otio, libris necessariis*; & *Possevinus* nugatur lib.I. Bibl.Sanct. p. 126. *non esse inter Prædicantes Lutheranos, qui solida imbuti sint artium & Scientiarum doctrina.* Qualia plura & adhuc longè atrociora ex *Scioppio*, *Gregorio de Valentia*, *Gretsero*, *Bellarmino* atque aliis colligi possent, si institutum id nostrum ferret. Non aliter verò hîc se Pontificii erga nos gerunt, quam se gesserunt olim pagani erga Christianos, quibus præter alias criminationes *stupiditatem etiam & ruditatem* plerumque objecerunt: *Nos hebetes, stolidi, fatui, obtusi pronunciamur & bruti*, inquit *Arnobius* libr.I. adv. Gentes, & *Tertullianus* Apologet. c.49. *Illi prudentes, nos inepti, illi honorandi nos irridendi.* *Lactantius* lib.IV. Instit. c. XIII. *Vulgo pro stultis, & vanis, & ineptis habemur.* Plura loca congessit *D. Kortholt* de Calumn. Pagan. c. XII. p. 95. Quanto rectius multorum Pontificum Romanorum, Episcoporum ac Monachorum in Romana Ecclesia inscitiam arguere possemus, cujus rei testimonia & querelas ex ipsis Papæis scriptoribus collegere D. *Christiani* in Jesuita Pseudo-Iren. p.64. seqq. *D. Hulseman.* in Manuali Aug. Confess. Disp. XIX. p.1221. & 1285. *D. Gerhard.* LL. Theol. de Eccles. §. 198. p.m. 385.a. (ut *Maimburgius* abstinere omninò potuisset à censura, qua *Hermannum* Coloniensem Archi-Episcopum ob ejus in latinis inscitiam notavit, *Histoir. du Luth.* lib. III. p.265.) Metuendum igitur erat, ne si nostrates vel Calvinianos etiam allegaremus, nobis, ut vulgò à Jesuitis solet, objiceretur, esse *eos ut idiotas & illiteratos, ita hæreticos, Pontificiæque dignitatis adversarios, quorum in hoc negocio testimonium suspectum sit ac rejiciendum.* Facili tamen

fensione p. 531. libellum *de regimine Societatis Iesu*, nomen *Iohannis Marianæ* præ se ferentem, illius esse negârunt, sed invita veritate, ut *D. Dannhauerus* ostendit in *Gamaliele Hebræo Teut.* p. 33.

negocio catalogus illorum hinc inde ex allegationibus, quando unde profecerimus non omiſimus ſignificare, à ſciendi cupido confici poterit.

§. XXXV.

Obſervandum autem eſt ſtudioſè de allegatis à nobis Teſtibus, (I) quòd, ut dictum, omnes fuerint Papiſtæ, vel ſaltem nulli hæretici, quo nomine *Waldenſes*, *Albigenſes*, *Huſſitas*, *Lutheranos*, *Calviniſtas*, *Zvvinglianos &c.* traducere atque inſignire alias ſolent Romanæ communionis Doctores. Effictum igitur id in odium vel Papæ, vel Monachorum ab hæreticis fuiſſe dicere non ita poterunt, quemadmodum haud una vice de ſimilibus factis dicere ſunt ſoliti. Valeatque hîc illud *Deuteron.* XXXII. 31. *Non eſt DEUS noſter, ut Dii eorum* (ſive ut in Hebræo eſt: *Non ut Petra noſtra ſic Petra eorum*) *& inimici noſtri ſunt judices.* Lutherus: **des ſind unſere Feinde ſelbſt Richter.** Quem locum Cardinalis *Bellarminus* lib. IV. de Eccles. c. 16. Tom. I. Controv. part. poſt. p. 280. cumprimis urget, quando notam Eccleſiæ decimam tertiam, *Confeſſionem adverſariorum* eſſe probare nititur, quæ uti nec hîc nec alibi nobis deeſt, quemadmodnm luculenter &, quod dicitur, ad oculum oſtenſum eſt à Doctore *Gerhardo* noſtro integro *Confeſſionis Catholicæ* * præclaro commentario, ita veræ notæ nomine venire non poſſe ab eodem probatum eſt, *LL. Theolog.* Tom. V. de Eccleſ. §. 293. p. m. 504. adde D. *Dannhauerum* Hodomor. Spirit. Pap. Phantaſm. II. p. 517. (II) Quod omnes fuerint viri docti, & in bonis literis apprime verſati, quos quis cœco impetu, & ſine accurato examine, non ſua ſed aliena dicet ſecutos conſilia? (III) Quod plurimi ipſorum Clerici fuerint atque ex ſacro ordine homines, Abbates, Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, tandemque Pontifex factus *Æneas Sylvius*, qui Papæ ſedique Romanæ peculiariter devincti ſcelus non omiſſuri fuiſſent reticere, niſi veritatis amor principem apud eos locum obtinuiſſet.

* Quam nemo hactenus ex adverſæ partis ſcriptoribus impugnare aut falſitatis convincere eſt conatus, *non ſine plurimo*, ut acutè judicat *Reiſerus* in Vindicato ſuo Auguſtino p. 223 *adprobatæ veritatis teſtimonio.* Similes aliorum ex noſtris & Reformatorum cœtus Theologis labores ſileo, quum in hoc uno Pontificii abundè reperiant, quod agant.

isset. (IV) Quod quidam illos inter Dominicanorum familiæ fratres fuerint, adeoque illius sectæ, quæ præ aliis in necem Imperatoris conspiravit. Quidam quoque ex Minoritarum sodalitio fuerunt, queis illi responsuri sine dubio, & ut malitiosas calumnias exprobraturi fuissent, siquidem à scelere se suosque immunes novissent credidissentque. (V) Quod non pauci eorum Italinatione, imò patriâ Florentini fuerint, & Romæ atque in aliis Italiæ urbibus præsente integra Pontificia cohorte, sua scripta concinnaverint: Ubi ex communi & constante per civium manus, ac tenacem Patrum Avorumque memoriam fideli traditione, adhæc ex vetustis chartis, libris, aliisque sinceræ antiquitatis monumentis, cum in aliis, tum vel maximè in permagna & mirifica *Vaticana* Bibliotheca delitescentibus, tantum constare ipsis de facto hocce poterat, ut non negare illud, sed nec absque insigni legis historicæ offensione silentio præterire fuerint ausi. *Nam quis nescit*, dicit *Cicero* lib. II. de Oratore, *primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere quis audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis.* (V) Quod plerique ejus aliâs apud Pontificios auctoritatis sint, ut ubi nobis nostrisque assertis adversari videntur, nec pares in fide habeant, nec superiores diligentiâ. Cur igitur hic non audiuntur, vel adeo malè audiunt? Quis collum adeo patienter Pontificio jugo submittet, ut testes illos admittat, quando miraculorum historia, certa Episcoporum series, & non interrupta Pontificum successio aliaque id genus ex illis probanda sunt; repudiet autem & rejiciat, cum Monachorum scelera & flagitia, Paparum tyrannis, simonia, hæresis & similia illorum fide astrui confirmarique possunt? Nequaquam vetitum hic est uti jure *repressaliarum*, licet cæteroqui Clerici inter privilegiatas personas referantur, quæ à *Repressaliis* eximuntur. Vid. D. *Casparem Zieglerum*, Virum Pontificii pariter ac Cæsarei juris peritissimum lib. I. de Jurib. Majest. c. XXXIV. n. 20. p. 613. & 614. (7) Denique observandum, quòd tota testium corona nequaquam absolvatur adductorum Historicorum numero, (absit enim ut loculos me omnes veterum

terum & recentiorum Auctorum excussisse præsumam) sed quòd horum auctoritas ad fulciendam facti veritatem jam sufficiat, neque plurium testimonio opus sit, nisi cui ex varia aliorum lectione catalogum testium augere placuerit, sicque ornatum libuerit addere magnificentiorem.

§. XXXVI.

Postquam quæ de allegatis auctoribus monenda putaremus, significavimus, sumamus nunc Illustris Gallorum *Huetii* regulam, quam is in *Veritatis Christianæ Demonstratione* obtinere contendit, & ad nostrum accommodemus institutum, quod pari certè, si non majori, jure nobis licebit, apparebitque, spero, fabulam non esse, pro qua pugnamus, historiam. Illa in laudati nec unquam laudandi satis viri doctissimo opere *Demonstrationis Evangelicæ* Axiom. II. p. m. 20. ita se habet: *Omnis historia est verax, quæ res gestas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximis, qua res gestæ sunt.* Addenda sunt, quæ Nobilissimus vir explicationis causâ adjecit; *Testium eò major est fides, quo à re gesta propius absfuerunt; adeo ut coætaneorum certior sit, quam recentiorum; præsentium quam absentium, certissima verò sit eorum, qui rem oculis ipsi suis inspexerunt. Quoniam autem coævos & præsentes & oculatos testes rebus gestis diu superesse non patitur brevitas vitæ; inde fit, ut res à nostra vel Patrum aut avorum memoria remotas non nisi ex aliorum relatione noscere vel credere possimus.* Age experiamur, num propositio ista *major* sua luce ac laude abundè radians neque ulteriori confirmatione indigens locum hic inveniat, & pedissequam habeat ex nostra narratione *minorem*: Ubi haud ambigo, quemvis non planè cœcum clarissimè visurum *Ephemeridum Henrici scriptores* testes præsentes atque oculatos, nec non coætaneos *Ptolomæum Lucensem*, *Iohannem Bekam*, *Iohannem Vitoduranum*, *Iohannem Honsemium*, *Henricum Rebdorffiensem*, *Fratres Wellingos*, supparesque reliquos magnâ copiâ supra adductos, qui neque *Lutheri* neque *Calvini* nomen audiverunt, & propterea *novatores*, ut ridiculè antiquitatis studiosos Pontificii novatorum omnium maximi appellare,

pellare ſolent, non fuerunt, omne id largiſſimè præſtare, quod Huetianum *ἀξίωμα* jure meritiſſimo poſtulat. Quin fuimus largiores atque erat neceſſe, qui & coætaneos, præſentes atque oculatos adduximus, nec omiſimus allegare recentiores, abſentes, quique non niſi aliis referentibus id cognoverunt: Concludimus eapropter cum Huetio, *noſtram de Henrici* VII. *violenta morte hiſtoriam eſſe veracem* ὅπερ ἔδει δεῖξαι, ut vulgari hæc Mathematicorum formula conſignem.

§. XXXVIII.

Sed quia non incommodè delapſi jam ſumus in eruditiſſimum illud, & Doctorum elogiis paſſim commendatum Huetianum *Demonſtrationis Evangelicæ* opus, quid impedit, quo minus proxime ſubjungam moneamque, varia variorum de illo eſſe judicia, his optima quæque de illius efficacia apud Atheos & non Chriſtianos homines ſperantibus, illis neſcio quid ſiniſtri quemque contrarium eventum inde ſuſpicantibus. Peſſimè omnium *Chateletius* * auctor notiſſimi libelli *de la Politique du Clergé de France*, Politicæ Cleri Gallicani part. I. p. m. 74. de illo exiſtimavit, ſcribens: *confirmari potius ex ejus lectione Atheos in ſua impietate, quam emendari*; id quod *Arnaldus* (is enim auctor eſt) in libello Gallico: *Apologie pour les Catholiques contre la Politique du Clergé* part. 2. c. 3. p. 19. absque cenſura dimittere nec potuit nec voluit, qui ipſe tamen, dum l. c. & p. 29. *Scripturæ S. divinitatem atque auctoritatem ſine Eccleſiæ teſtimonio oſtendi Ethnico probarique non poſſe*, Bibliomaſtygas Eccleſiæ ſuæ ſecutus aſſeruit, altera manu deſtruxit, quod altera ædificaverat. Vide Antagoniſtam ejus ſcriptorem libri: *l'Eſprit de Monſieur Arnaud* part. I. p. 162. ſeqq. & part. 2. p. 97. (ubi tamen part. I. p. 183. & part. 2. p. 99. *Huetius* abſolvitur, & ſic *Chateletii* accuſatio non obſcurè ab ipſo ejus Patrono iniquitatis arguitur.) Certiſſimum aliâs eſt, teſtimonium hominum tum extra Chriſtianorum cœtum, tum

* Qui, quod non immeritò miretis, ab ipſo *Maimburgio* laudatur, in fine *Hiſtoriæ ſuæ Calviniſmi* lib. VI. p. 501. Eſſe autem Chateletium auctorem *Monſ. du Rou* nos docuit in notis ſuis ad Hiſtoriam Maimburgii Calvinianam, ſive *Remarques ſur l' hiſtoire du Calviniſme de Monſieur. Maimbourg*. p. 188.

intra eum celebrium, de religionis Christianæ veritate sacrorumque librorum auctoritate testantium, quale *Huetius* in libro illo produxit, ad fidem humanam generandam sufficere, (quamvis non semper) nequaquam verò ad divinam omni exceptione majorem. Fides enim divina, qua fiducialiter adhæremus veritati revelanti & in S. scripturis revelatæ, non oritur ex hominum testimonio, sed suam habet originem ἀμέσως atque immediatè à vi & illuminatione Spiritus S. juxta Matth. XVI. 17. *Caro & sanguis tibi non revelavit, sed Pater meus, qui in cælis est.* & in V. T. Ierem. XXXI. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*, confer Esai. XLIV. 3. Ioel II. 28. & adde solidissimi Theologi *D. Dorschei* Theologiam Zacharianam part. 2. Disp. 1. §. 28. p. 38. seqq. Nimis igitur lubrico fundamento res Christiana niteretur, si solo hominum testimonio contenti esse deberemus. *Titubabit fides*, ait rectissimè excellentissimus veteris Ecclesiæ Doctor *Aurelius Augustinus* libro I. de Doctrin. Christ. c. 37. Tom. III. Opp. p. 13. *si divinarum scripturarum vacillet auctoritas.* Vacillat autem, si cum Papistis, (quorum mitissimus interpres * *Huetius* hac in re esse videtur,) à solo Ecclesiæ Testimonio, non

* Videtur *Huetius* in libri istius compositione consuetam communemque hodie apud Gallos disputandi methodum præcipuè intendisse, qua inter omnes controversias palmam penes illos fert contentio *de Ecclesia*. Eam *Armandus Richelius* Cardinalis, penes quem Gallicanæ administrationis summa olim fuit, præ reliquis amavit multum serioque inculcavit, unde & ab ejus nomine *Richeliana methodus* appellatur. vid. *Spanhemii* Strictur. in Condom. p. 13. & *Heidegger.* Histor. Papat. n. 218. p. 318. Sicut & jam olim reformationis tempore *Georgius Cassander* ad Art VII. Aug. Confess. qui est *de Ecclesia* scripsit: *Ex hoc articulo omnis hæc distractio, quæ hodie est in Rep. Christiana originem ducit*, adde quæ Iesuita *Becanus* mox sub *Manualis* sui principium p. I. literis mandavit. Subdolum sanè consilium, quando nimirum id agunt, ut evitata de articulis fidei disceptatione, in qua Protestantes sacrarum literarum testimonio instructos esse norunt, auctoritatem Ecclesiæ opponant, omniumque quæstionum finem & decisionem ab ea expectandam esse adstruant. Vid. *Hutteri LL.* Theol. Artic. XVI. p. 505. Aliter atque *Sociniani* statuunt, qui quæstionem de Ecclesia, ubi & apud quos ea sit, vel inutilem propemodum, vel tamen non necessariam esse asserunt. vid. *Ostorodum* Instit. German. c. 42. p. 402. & *Socinum* tract. de Eccles. & missione ministr. A. 1611. Racoviæ edito, annoque 1612. & 1614. a *Theophilo Nicolaide* adversus Miedzibozium & Borkovium defenso, quorum fraudem D. *Calovius* detexit in *Socinismo profligato* Sect. IIX. p. m. 936. Mirantur eapropter eruditi, D. *Brevingium* maluisse doctiorum Ecclesiæ suæ methodum in libellis suis eristicis negligere, & litium suarum cumplissimo nostro

non quoad nos tantum atque explicationem, ſed & quoad dogmatum firmitatem pendere Scripturam jubeas, ſique cum Gallo illo, de quo *Sleidanus* id refert Commentar. lib. XXV. ad Ann. 1553. p. m. 805. *absque Eccleſiæ Doctorum teſtante auctoritate Paulinis Epiſtolis minus tribuendum eſſe quàm Æſopi fabulis* aſſeras, aut cum *Vito Mileto* in Diſcuſs. 600. Error. Heshus. p. 21. atque *Hoſio* Cardinali lib. III. de auctor. S. Script. fol. 169. a. dicas, *Scripturam S. nec tantum quidem valituram ſine auctoritate Eccleſiæ, quantum Æſopi valeant fabulæ*; Itemque cum blaſphemo *Charronæo*, cujus Tom. I. Panſtrat. Cathol. lib. VI. de *Canone* c. 2. n. 9. p. 72. *Chamierus* hoc citat execrandum dictum: *Si quid ipſemet Spiritus S. in propria perſona diceret, referendum eſſe ad Eccleſiam, ut ab ea approbaretur & ſumeret auctoritatem. Sic enim Spiritum S. ſubjici Eccleſiæ, ut apud Paulum Spiritum Prophetarum Prophetis. Similis erga* τοὺς ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένους τοὺς ἁγίους θεοῦ ἀνθρώπους 2. Petr. I. 21. religio eſt *Bozii* lib. VI. de ſignis Eccles. c. 10. Tom. II. p. 1. p. 365. ſcribentis: *Quicquid habet boni & perficit ſcriptura, quicquid pleni ac ſolidi, id habet ab Eccleſia, quæ implet eum, qui implet omnia. Prætcrea conſiderandum maximè, quicquid divina ſcriptura auctoritatis habet, id totum fuit atque eſt ab Eccleſia: Nam ſinguli ejus libri confecti ſunt à filiis Eccleſiæ.* Bella ratio & digna quacum jungatur arguta *Bailii* argumentatio, in Catech. Controv. quæſt. 8. *Eccleſiam ipſa Scriptura eſſe nobiliorem ac ſuperiorem, quia ſcriptura facta ſit, ut inſerviat Eccleſiæ, & quia Chriſtus Servator ſanguinem pro Eccleſia ſponſa ſua fuderit, non pro Scriptura.* En quomodo peſſimus quilibet homo dignior nobiliorque eſt quovis angelo, etiam Gabriele ac Michaele! Pro illo enim mortuus Chriſtus eſt & λύτρον ſolvit 2. Petr. II. 1. Hebr. X. 29. non item pro hoc Hebr. II. 16. 17. Sed ſudes in oculis Pontificiorum eſt Scriptura, quomodocunque etiam obteſtentur. Placet interim candor Cardinalis *Cajetani* in Opuſcul. Tom. II. tract. I. de concept. B. Virg.

noſtro *Spenero* initium ab articulo de *Juſtificatione* facere, quemadmodum & victor ejus nominatus modo *Spenerus* non abs re miratus eſt in Appendice doctiſſimi libri *de juſtitia fidei* p. 4.

B. Virg. c. 1. *Fidei Christianæ certitudo non humano more certa esse debet, sed infallibile omnino debet habere testimonium, quale nullus homo, sed solus DEUS præstare potest.* Et ipsius etiam *Huetii* in præfat. Demonstr. §. 4. p. 7. *Cui fidem largitus est Deus probationes non requirit, qui fide caret, nulla illi sufficit demonstratio.* Quomodo igitur, respondebis eidem, Turcæ fide carenti *veritas Evangelica* sola hominum errandi non expertium asseveratione *demonstrabitur*? Equidem *Bellarminus* lib. III. de verbo DEI. c. 10. Tom. I. Controv. p. 197. vitare vult charybdim scribitque: *Verbum Ecclesiæ, id est, Concilii vel Pontificis docentis ex cathedra, non esse omninò verbum hominis, id est verbum errori obnoxium, sed aliquo modo verbum Dei.* Eodem modo Bellarmini fidus etsi infelix parastata *Jacobus Gretserus*, tractat. Unde scis c. 7. *non esse testimonium purè humanum, sed humanum divinitus inspiratum;* ast uterque in scyllam incidit: Sicut enim per multiplicationem argenti non fit aurum, ferri non stannum, metalla cum sint diversæ speciei atque ordinis, ita copia & numerus immutare homines non potest, neque meliores reddere. *In multis*, inquit Jacobus Epistol. III. 2. *offendimus omnes.* Quemadmodum unius hominis testimonium humanum est, atque adeo in rebus salutem animarum concernentibus infirmum, ita etiam plurium atque ipsius Ecclesiæ alio non gaudet privilegio, nisi *quasi divinos* homines, & minores quosdam Deos credere illos velis, ex quibus Ecclesiæ corpus constat; aut nisi * Ecclesiæ nomine Papam Roma-

* Ita *Gregor. de Valentia* in Thomam Tom. III. Disp. 1. q. 1. punct. 1. n. 6. p. 208. *Nomine Ecclesiæ intelligimus ejus caput, id est, Romanum Pontificem per se vel una cum Concilio*, & in Anal. fid Cathol. p. 8. *Ecclesia & Pontifex sunt synonyma & æquipollentia.* Nec aliter *Gretserus* Tom. I. Defens. Bellarm. p. 1450. *Quando Ecclesiam dicimus esse omnium controversiarum judicem intelligimus Pontificem Romanum*; & Gretseri idolum *Bellarminus* verba Matth. XVIII. 17. *dic Ecclesiæ*, hoc modo lib. II. de Concil. auctorit. c. XIX Tom. 1 controv. part. II. p. 137. explicat: *Papa, debet dicere Ecclesiæ, id est, sibi ipsi ut Præsidi.* Et aliàs Scholasticis in ore semper est commune dictum: *Papa est Ecclesia virtualiter.* conf. *Petr. Suav. Polan.* in Histor. Concil. Trid. lib. VII. p. 688. D. *Chemnit.* Exam. Concil. Trid. Part. IV. p. 710. Sed quam absurda & ἄλογος hæc vocabuli *Ecclesiæ* acceptio sit, ut nemo non agnoscit, ita ipsum nudum vocabulum, quod aggregatum aliquod significat, satis superque ostendit. Taceo, quod & naturæ Ecclesiæ, & instituto

sco-

Romanum cum quibusdam intelligere velis, eundemque *Dominum DEUM nostrum* appellare, sicut fecit *Zenzelinus* in Gloss. ad extravagant. Ioh. XXII. Tit. 14. cap. 4. p. 168. edit. Lugdun. & p. 107. edit. Venet. 1595. cum scribit; *Credere Dominum Deum nostrum Papam conditorem dictæ decret. & istius sic non potuisse statuere, prout statuit, hæreticum censeretur.* (Quid *Moguntinorum* exceptioni in Judicio æquitatis p. 67. respondendum sit, apud *Dorscheum* vide, in *Scrupulis Religionis* præfat. poster.) Quemadmodum etiam *Ludovicus Gomesius* in Panegyr. *Papam visibile quoddam Numen, & quasi visibilem quendam Deum vocavit*; & *Isidorus Mosconius* Perusinus lib. I. de Majest. milit. Eccles. part. 1. c. 1. p. 22. *Papam non Deum esse*, scribit, *nec hominem sed * utrumque.* Similis assentator *Augustinus Steuchus Eugubinus* fuit, qui *de Donat. Constant.* p. 141. edit. Lugdun. A. 1547. *C. Satis evidenter. 7. dist.* 96. *Audis*, ait, *summum Pontificem à Constantino Deum appellatum & habitum pro Deo? Hoc videlicet factum est, cum præclaro illo edicto decoravit, adoravit ut Deum, uti Christi & Petri successorem divinos ei honores, quoad ejus potuit, contulit, velut*

scopoque Christi adversetur. vid. D. *Ziegler* de Dote Eccles. cap. 1. n. IV. p. 3. Nescio autem, cur *Gretserus* & *Bellarminus* ll. cc. non recordati fuerint eorum, quæ in contrarium alibi scripserant, ille quidem *in tract. de legit. princ. sent. c. 5.* quærens: *Quis vel fando accepit, Ecclesiam significare Mosen?* hic autem lib. III. *de Eccles.* c. 17. Tom. I. Controv. part. poster. p. 210. *Una persona non potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit populus & regnum DEI.* Bella harmonia!

* Hermaphroditum igitur & naturæ monstrum: Collocat enim Hermaphroditos inter monstra *Augustinus* de Civit. Dei lib. XVI. c. 8. Opp. Tom. IX. p. 486. & *Clemens Alexandrinus* lib. II. Pædagog. c. 10. Opp. p. 189. edit. Paris 1641. quod de Hermaphroditis dicitur, *τερατολογίαν* vocat. conf. Schenck. observ. medic. lib. IV. obs. 3. p. 3. Sicut & apud veteres prodigiorum loco habebantur. Vid. *Casp. Schott.* Physic. Curios. lib. III. c. X. p. 396. Unde quondam *Albertus* Archi-Episcopus Bremensis, cum ab Ecclesiæ suæ Decano, quasi androgynus atque in utramque venerem pronus esset, traduceretur, plusquam sexcentis hominibus Bremæ atque Hamburgi, ut infamiam deleret, conspiciendum se præbuit. Vide lepidam Historiam apud *Albertum Kranzium* Metropol. Saxon. lib. X. c. 28. pag 281. Simul hinc impietas quorundam Papistarum, ut *Genebrardi*, *Maldonati* &c. patescit, qui *Deum* Patrem *Hermaphroditum* appellare non erubescunt. Vid. D. *Dorscheum* in Anti-Cotnæo c. 21. p. 191. & 200. *Sixtin. Amam.* Anti-Barb. Bibl. lib. 3 p. 550. Ad Papam autem, quem nec Deum nec hominem, sed inter utrumque medium etiam *Michael Vulcurius* dixit, de Regim. Mundi n. 69. fol. 273. illud Poetæ applica;

Nec Deus es, nec homo; quia neuter es inter utrumque.

lut vivam Christi imaginem veneratus est. Plura qui cupit, adeat *Georgium Dounamum* Anglum de Anti-Christo lib. IV. cap. 9. num. 7. & seqq. & ex eo D. *Dorscheum* Detect. mal. fidei Papal. class. V. sect. III. §. 1. p. 738. seqq. & in Hodegetico Catholico, inprimis Differt. prælimin. p. 120. Non pœnitebit etiam evolvisse D. *Kortholtum* in Anti-Frommio cap. XI. p. 135. seqq. & ex Jurisconsultis *Strauchium* Amœnit. Jur. Canon. Semestr. I. c. 17. p. 30. *Banckium* de Tyrannid. Pap. cap. II. p. 15. cap. XI. p. 319. & cap. XVIII. p. 481. seqq. Afferri tamen in Huetii excusationem potest & à nonnullis solet, quod contra Judæos inprimis disputet, maxime R. *Menasse Ben Israel*, (quippe qui ex multorum opinione est * *peritissimus ille ac totius Iudaicæ disciplinæ consultissimus*, quem Amstelodami occasionem scriptioni suæ dedisse *Huetius* ait in præfat. §. 2.) & adversus eos non tam ex hominum testimonio & consensu, quam vaticiniorum complemento veritatem Evangelicam demonstrare laboret. Quod argumenti genus in scholis omninò magnæ virtutis esse asseritur, ut nesciam, annon asseri possit, conclusionem certò & infallibiliter veram esse, (habito ad eum respectu, adversus quem disputo,) cujus altera præmissarum propositione nitur utrinque concessa, altera evidenter & ad oculum ostenditur ac probatur. Nolim verò cum *Huetio* de libri titulo, & num *apodicticâ ac gemetricâ*, ἀποδεικτικῇ καὶ ἐπιστημονικῇ ut ipse putat, demonstratione religio Christiana, absque interno sancti cordaque nostra convincentis Spiritus testimonio, *demonstrari* possit, λογομαχεῖν, observare tamen licebit cum *Iohanne Filesaco*, Celebri quondam in eadem,

* *Homo Iudæus, sed integræ vitæ & perdoctus*, ita *Isaacus Vossius* eum describit in præfat. ad fratris sui Dionysii versionem *R. Mosis Maimonidæ* de Idololatria. Augent alii encomia, alii minuunt: Nimia nominis ejus veneratio adeo præcipites quosdam reddidit è Christianis, ut fratris Christianissimi titulo eum dignarentur, quemadmodum Assessor Parlamenti Anglici *Middelsex* in literis ad eum datis scripsit: *To my deare brother Manasse ben Israel the Hebrevv Philosopher* &c. Causam ejus aperit *Spizelius* sacr. Biblioth. Arcan. p. 381 Ne quid dicam de *Casparis Barlæi* Carmine Encomiastico R. *Menasse* labores commendante, & tantum non regni cœlorum hæredem eum & participem olim faciente, quod ut nostri Theologi *Hulsemannus* Calixtin. Verm p 749. *Calov.* System. Theol. Tom. I. p. 179. detestati jure fuerunt, ita non minus exosum istud carmen fuit Doctoribus Reformatis, ex quibus *Nicolaus Vedelius* erudito tractatu, *de DEO Synagoga*, edito injuriam atque iniquitatem ejus suis coloribus depinxit; cui addi postulo *Voetium* Dispp. select. part 2. p. 116.

dem, qua *Huetius* vivit, urbe Theologo, *fidem Christianam nequaquam esse earum rerum, quæ cadunt sub demonstrationem*: Vide ipsius eruditum ac rarò obvium *Selectorum* librum lib. I. c. VII. p. 101. Quæ supernaturalia sunt, ut veritas Evangelica hujus generis capita maximam partem complectitur, sciri non possunt, neque humanis demonstrationibus probari; Vim enim humani ingenii effugiunt, neq; naturæ lumen ad ea penetrat, sola fide credi debent, & divina specialique revelatione hominibus ex gratia manifestantur. Confer *M. Antonium de Dominis* de Republ Eccl. lib. VII. in procem. pag. 1. Insignis est locus, qui apud *S. Basilium* in Psalm. CXV. p. 127. edit. *Froben.* extat, qui silentio præteriri non debet; Πίςις ἡγείσθω τῶν παρὰ θεοῦ λόγων, πίςις καὶ μὴ ἀπόδειξις. πίςις, ἡ ὑπὲρ τὰς λογικὰς μεθόδους τὴν ψυχὴν εἰς συγκατάθεσιν ἕλκουσα. Πίςις, οὐχ ἡ γεωμετρικαῖς ἀνάγκαις, ἀλλ' ἡ ταῖς τοῦ πνεύματος ἐνεργείαις ἐγγινομένη. *Fides imperet verbo Dei, fides non demonstratio, fides quæ excedens artificium Logicum animum trahit ad assensum, fides non necessariis geometrarum demonstrationibus sed Spiritus vi generata.* Quo ipso tamen absit, ut demonstrationem omnem, quomodocunque tandem eam nominaveris, tollamus. Tametsi enim Theologia nostra non sit è scientiis humanis, quarum propria est ἀπόδειξις, ea nimirum, quæ ab *Aristotele* in lib. poster. *Analyticorum* traditur; peculiarem tamen longeque sublimiorem ac solidiorem possidet *demonstrandi* vim, eam verò non nisi ex unico illo sibique proprio atque universali principio: Αὐτὸς ἔφα. נְאֻם־יְהוָה Ex hoc nascitur fides divina, omni scientiæ etsi certissimæ non æquiparanda modo, sed & quam longissimè anteferenda, quò *D. Calovium* Theologum & Senio & immortalibus laboribus venerandum, cum ante annum *Apodixin suam Articulorum fidei è solis Scripturæ locis credenda demonstrantem* ederet, optimo jure respexisse Doctissimi *Lipsiensium Actorum* collectores eruditissimè observârunt An. 1684. Mens. Septembr. p. 431. Concludo verbis, quæ apud *Cyrillum Hierosolymitanum* Catech. IV. Illuminat. invenio huc pertinere: Μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτα λέγοντι ἁπλῶς πιςεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν: *Neque mihi ipsi hæc dicenti absolutè credito, nisi demonstrationem acceperis propositorum è divinis scripturis.*

§. XXXVIII

§. XXXVIII.

Revertimur ad Dissertationis nostræ princeps argumentum de *intoxicatione* Henrici VII. Imp. ubi nescio, (neque enim demonstrare id ἀποδεικτικῶς valeo,) annon etiam ex Conciliorum per ista tempora habitorum constitutionibus, toxici propinationem Clericis prohibentibus, desumere quid possimus, quod ad rem nostram, ornandam minimùm atque illustrandam, faciat. Sic Anno 1326. Concilium *Avenionense* Canone XVII. & XVIII. haud obscurè prodit, non fuisse tum adeo ignotam Monachorum pessimam venena propinandi artem. Canon XVII. inter Concilia à *Labbeo* & *Cossartio* Jesuitis A. CIↃ IↃC LXXI. Parisiis edita, Tom. XI. part. II. p. 1729. & 1730. ita se habet: *Item statuimus & sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne quis Apothecariorum vel quis alius, cujuscunque conditionis vel sexus existat, toxicum vendat, nec alio modo ministret alicui, vel alia venenosa, nisi prius significet curiæ Ordinarii, ut sciri possit suis temporibus, si casus toxicationis contingeret, quis fuerit emptor illius vel alius qualiscunque; quodque Apothecarius quilibet ad hoc servandum juramento coram suo superiore corporaliter præstito pro se & sua familia specialiter astringatur. Aliter autem dantes aut vendentes & ad homicidium perpetrandum recipientes quomodolibet, vel ementes, & ad hoc consilium vel assensum tacitè vel expresse præstantes, excommunicationis vinculo subjaceant ad sedem Apostolicam pro absolutionis beneficio remittendi, & aliàs, sicut fuerit justum, puniendi.* Canon XVIII. qui eandem materiam prosequitur, his verbis conceptus est: *Item quod quicunque alium toxicare aut opem ad hoc vel consilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare seu vendere, vel aliter ministrare præsumserit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujusquam dederit, eo ipso excommunicationem incurrat, à qua nonnisi per Sedem Apostolicam absolvatur. Et si Clericus beneficiatus sit, illo sit privatus beneficio ipso facto, & ab ordine quem susceperat degradetur, tradendus curiæ seculari. Sed & tali vel simili suspicione probabili infamatus, & ex verisimilibus præsumtionibus & perspicuis indiciis apud bonos & graves notatus, ad honorem & dignitatem Ecclesiasticam nullatenus admittatur. Et nihilominus ad*

deten-

detentionem personæ honestam prout requiret personæ status, & sceleris immanitas suadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem, sicut superioris discretioni visum fuerit procedatur. Renovata fuere dicta capita in alio Concilio in Monasterio S. Ruffi Ordinis S. Augustini prope Avenionem An. 1337. celebrato. vid. *Spondanum* ad dictum Annum n. IX. Tom. I. Continuat. Annal. Baron. p. 460. Similiter observat *Cabassutius* in Notit. Ecclesiast. p. 493. b. Concilium Vaurense An. 1368. can. 116. & Concilium Frisingense An. 1440. can. 24. sancivisse. Mirum est, *Iohannem Baptistam Ricciolium* Tomo III. Chronolog. Reform. quo Concilia omnia generalia, provincialia & particularia exhibuit p. 146. * nihil omnino de his Conciliis annotâsse. Num verò Patres istarum Synodorum, Avenionensis inprimis, mortem *Henrici VII.* in mente habuerint, dum hæc discernerent, ut temere affirmare non ausim, ita nec negare velim pertinaciter. Certum illud esse videtur & à contradictione exemtum, insigne quoddam, quod præcesserit, facinus ansam illis cogitationibus ac constitutionibus dedisse: Quare enim tot obtestationes adhibitæ fuissent, si monachi ab intoxicationis crimine alieni semper fuissent? Nec tamen ullum ea ætate apud Historicos observatum est famosius exemplum, quam hoc ipsum de *Henrico VII.* quod fortè Assessores Concilii Avenionensis non parum, si non potissimum, respexerunt. Sed est conjectura, quod modo proposui, de qua Lectori liberum, quid statuere velit; non tamen probabilitas illi omnis ademta est: *Historica autem ita comparata sunt, ut non nitantur omnia certitudine penitus infallibili, & quæ ad evidentiam accedat: In plerisque probabilitate contentos esse fas est*, ceu præclarè docet Vir in his literis diu multumque versatus *D. Calixtus* tract. de Conjug. Clericor. p. 482. Qui conjecturas omnes excludere volent, vereor ne magnam politioris literaturæ, atque adeo humanæ cognitionis partem pellant tandem, & exulare omninò cogant. Mentis enim nostræ acies ita plerumque est hebes, ut mul-

* Quod idem *Simonem Starovolscium* Primicerium Tarnoviensem in *Epitome Conciliorum tam Generalium quam Provincialium* fecisse miror, solo *Frisingensi Concilio* excepto, cujus p. 353. ex *Severino Binio* mentionem injecit.

ta in omnibus artibus conjecturis persequi & explicare cogamur. In re medica conjecturæ sedem suam habent, eamque tantum non tuentur: Sic & in Rhetorica, Jure Civili, & aliis artibus, conjecturæ locum obtinent. Cum autem conjecturæ rei latentis sint indicia, & (ut *Fabius* alicubi inquit) rationis ad veritatem directiones, inter ἀνσλίας, quibus tempus veritatem in *Democriti* puteo demersam haurire & subducere solet, Docti nunquam non numerandas existimârunt. Vid. *Guilielmum Camdenum* in Præfat. ad suam *Britanniam.* Conjungo cum hac conjectura fortius nonnihil argumentum, quod auctor *Chronici MSS. Germanici*, quem §. 14. audivimus, suppeditat commemorando, Pontificem *Clementem* in extremo mortis articulo * fassum fuisse, quod à scelere non immunis fuerit, quodque consilio suo mortifero cædem *Henrici* promoverit. Quod auctori isti narranti credere malo, quam unde id hauserit, frustra inquirere.

§ XXXIX.

Aliam profero conjecturam, sed non destitutam justa ac necessaria auctoritate. Fecimus jam ejus indicium, cum §. 16. de auctore illius *Monacho* quodam *Franciscano*, qui An. 1410. *Lubeccensem Chronicam* scripsit, loqueremur. Commemorat iste *minorum gentium* Angelus, ob flagitium in Henricum Imperatorem commissum, *toti Prædicatorum ordini in pœnam datum esse, ut omnes illius fratres manu sinistra communicent.* Qui mos sacra faciendi num expiraverit, an hodieque in usu ad huc sit, dicere non habeo. Factum tum temporis illud fuisse, cum ex modo citatis constat, tum & ex *Chronologica compilatione de Generalibus*

* Ad modum hujus legimus de Gregorio VII. apud *Florentium* Wigorniensem Monachum in *Chronico* An. 1601. Francofurti edito, ad An. 1084. p. 641. *quod in extremis suis ad se vocaverit unum de XII. Cardinalibus, quem diligebat multum, & confessus sit Omnipotenti DEO & Sancto Petro, & toti Ecclesiæ, valde se peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regendum fuerit commissa, suadenteque Diabolo contra genus humanum odium & iram incitasse*, Paria *Sigebertus Gemblacensis* scriptor ejusdem ætatis tradidit in *Chronico* ad An. 1085. p. 605. edit. *Pistor.* quam ob rem commotiorem reddidit *Baronium* Tom. XI. Annal. ad An. 1087. n. 18. p. 624. quo cautius hac in re *Aventinus* in Annal. Bojor. lib. V. p 581. & novissimè *Maimburgius* Histoire de la Decad. de l' Empire lib III. p.m. 290. versati sunt, queis Socraticorum more τὸ ἐπέχειν placuit.

libus & Illustribus Viris Ordinis Prædicatorum Venetiis apud Lazarum de Soardis excusa An.1504. videre est, cujus compilator dum p.151. dicto *Fratri Franciscano* hæc objicienti respondere conatur, Prædicatores Fratres sinistra communicare non negat, alias verò, quamobrem id faciant, fingit rationes, quemadmodum & ejus socii faciunt *Felix Fabri* in Histor. Suev. lib.I. c.14. p.148. & *Abrahamus Bzovius* in Annal. Eccles. Tom. XIV. ad An.1313. n.VI. p.209. & 210. ex quorum asseveratione non possum non, quod ista absurdissima consuetudo nondum apud Dominicanam familiam abrogata sit, concludere. Certè *Ioannes Wolffius* Lection. Memorab. Tom.I. Centen.XIII. p.509. impudentiam eorum, qui nobis contra eunt, inde etiam notare haud quaquam veritus est, *quod constet ob hoc factum execrandum omnes Prædicatores à Papa hac pœna notatos, ut usque in hunc diem ac deinceps communicantes in altari eorum sacerdotes sinistra manu communicent.* Et *Rodolphus Hospinianus* de Origin. Monachat. lib.VI. cap.5. n.17. p.225. quo instituta, ritus & consuetudines Dominicanorum describit, moris quoque hujus non est oblitus, *Cranzium* ex Chronic. Saxon. lib.IX. c.VII. citans & *Trithemium*, quorum hic tamen in *Chronic.* Hirsaug. p.273. rem totam rejecisse invenitur. Sed audiamus quoque rationes, ad quas supra nominatus *Compilator* auctorem istius ritus digitum intendisse scribit, si non fingit. Ex sunt numero quatuor. Prima: *per lævam*, hæc ejus verba sunt, *vita præsens significatur. Cum ergò fratres Prædicatores communicant cum sinistra, volunt quod per virtutem sacramenti de præsenti miseria transferantur ad gaudia sempiterna.* Bella ratio! Cur non purgatorium potius significatur, pro cujus incolis sacramenti virtutem non parum apud DEUM valere *Tridentina Synodus*, cui (ut Cardinalis *Bellarminus* scribit lib. IV. de Amiss. grat. cap.15. Tom. III. Controv. fol.325.) *qui non obediunt inter Catholicos non numerantur*; sub anathemate credendum proposuit Sess. VI. can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc seculo vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit anathema*

 sit.

ſit. & Seſſ. XXII. can. 3. *Si quis dixerit , Miſſæ ſacrificium tantùm eſſe laudis & gratiarum actionis , non autem propitiatorium : vel ſoli prodeſſe ſumenti : neque pro vivis & defunctis , pro peccatis , pœnis , ſatisfactionibus , & aliis neceſſitatibus offerri debere anathema ſit.* Cui meritò Pauli imprecationem opponimus 1. Cor. XVI. 21. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum , ſit anathema :* Non autem amat Dominum Jeſum , *qui Sermonem ejus non ſervat,* Joh. XIV. 23. 24. non autem ſervat ſermonem Chriſti , qui *ſcripturas non ſcrutatur* Joh. V. 39. *qui Moſen & Prophetas non audit* Luc. XVI. 29. qui *aliud Evangelium prædicat , quam Apoſtoli prædicârunt ,* Gal. I. 8. qui *verbo Domini aliquid vel addit , vel detrahit* Apoc. XXII. 18. 19. In ſacro verò codice purgatorium ignem ſolido fundamento ac locis rite probantibus carere, propugnatores ejus ipſi, qui quidem ingenui magis, ultrò fatentur, quorum verba non adſcribo, quia apud *D. Gerhardum* noſtrum legi poſſunt , qui ea Tom. IIX. LL. Theol. de Morte §. 182. p. m. 118. collegit: Poſt quem confer, quæ *Chamier* habet Panſtrat. Cathol. Tom. III. lib. XXVI. c. 2. p. 560. Porro non amat Dominum Jeſum , qui præceptum ejus de diligendo proximo negligit, Joh. XIII. 34. XV. 11. & 1. Epiſt. IV. 21. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum , diligat & fratrem ſuum.* Non verò video, quomodo doctrina de purgatorio ſolius turpis lucri causâ & ad evacuandos ſimplicium loculos excogitata cum proximi charitate conveniat. Sæpius enim pro liberando Patre vel Avo ex purgatorio igne, pecuniam ſolvere ſolicitatur ac non rarò etiam cogitur, qui liberis & nepotibus vix ſuis potis eſt neceſſaria alimenta acquirere. Unde dogma illud * quæſtus lucrique causâ in Papatu foveri

* Cœlum itaque potius (quod jam dudum aliis vendiderunt.) quam purgatorium ſibi eripi patientur Papiſtæ. Salvo enim hoc, extra periculum ſunt ſatisfactiones, merita, opera ſupererogationis, indulgentiæ, Cœnæ Dominicæ prophanatio, vigiliæ, oblationes, fraternitates & quæ his affinia ſunt innumera. Unde purgatorium non ineptè *matrem, fontem , atque originem omnium impoſturarum totius Papatus* noſter dixit probavitque *Chemnitius*, Exam. Concil. Trid. part. 3 p. 523. a. & 958 a & è politicis Viris ὁ πολιτικώτατος *Berneggerus* in Tuba Pacis p. 283. Quomodo autem purgatorio uti ſoleant Romani ad Laicorum marſupium purgandum , egregiè docet *M. Anton. de Dominis* artium harum , ſi quisquam , callentiſſimus, lib. V. de Rep. Eccleſ. c 8. § 73. p. m. 368. Facetus eſt jocus *Guidonis Patini* emunctæ naris

foveri non obscurè in *Tridentino Concilio* sess. XXV. Patres ipsi fassi fuére. vid. *Heidegger*. Anatom. Histor. Concil. Trid. part. II. p. 1068. Ne quid dicam de immisericordia & ἀφιλίᾳ Romanorum Pontificum, quorum *jurisdictionem ac potestatem se in purgatorium extendere* Papistarum multi docent, *ita ut animabus in eo æstuantibus indulgentias per modum absolutionis communicare possint*. Vid. D. *Meisner* de Purgat. cap. 12. p. 1200. Cur igitur adeo duri sunt ac immisericordes, neque miseras illas animas *thesauro suo indulgentiarum plenissimo atque superabundantissimo* ex flammis liberant? Christianus certe amor suadere id Papis deberet. Vid. *D. Dorsch.* Theol. Zachar. part. 1. c. 7. p. 114. *Crudelis* enim est, fatente ipso Jesuita *Cornelio à Lapide* in 1. Cor. XII. p. 302. *qui animabus in purgatorio non compatiatur, easq; non juvet aut liberet*. Dignum nomine suo facinus fecisset Papa *Innocentius X.* antea *Pamphilius* dictus, si *amore suo generali atque universali* animabus purgandis solatio subsidioque venisset, quippe quem Jesuita *Melchior Incophorus* non erubuit, cum An. 1644. ad Papale fastigium eveheretur, supra Christum Mundi Salvatorem extollere, *quod is Philius fuerit, non Pamphilius*. ò impium os! ò pessima lingua! vid. *Laurent. Banck* in Roma triumphante p. 233. seqq. Taceo, quanto non amore sed odio sacerdotes missifices egenos ac pauperes prosequantur, dum non nisi numeratâ pecuniâ precibus suis atque oblationibus subvenire defunctis consueverunt. *Pauperes quia nihil habent*, inquit Taxa Pœnitentiaria, *ideo non possunt consolari*. vid. *Claudius Espencæus* in Tit. I. p. 67. & ex eo ac *Forero* noster *D. Dannhauerus* Hodom. Pap. part. II. Phant. XI. p. 927. Verùm è diverticulo redeo in viam, & quidem ad compilatoris secundam causam, cur Dominicani Monachi sinistra manu communicent: *quia omnes*, inquit, *nos puta gentiles, ex qui-*

naris hominis, qui non semel in epistolis suis *purgatorio igne ollas sacerdotum calefieri*, dicit, & *Episcoporum culinam instrui*; audi verba ejus idiomate, quo concepta sunt: *C' est un feu tout miraculeux, un article d' importance, & qui par son mystere multiplié de beaucoup de finesses, fait aujourd huy bouillir tant de marmites, qui servent à nourrir tant de ventres oiseux & tant de faineans, qui par son moyen font bonne chere à l' ombre d' un Crucifix.* Vid. les lettres de feu Monsieur *Guy Patin* imprimees à la Haye An. 1683. lettre 178 p. 481 adde p. 162. & 163. & inprimis p. 502. ubi notatu dignum est *Leonis X.* Pontif. dictum: *Quantum nobis fabula de Purgatorio profuit!*

bus constituitur Ecclesia, fuimus filii iræ, & per consequens per sinistram designati, filii verò Israel fuerunt filii dilecti & filii dextræ. Sed vice mutata translata est regnum ad eos, qui fuerunt filii sinistræ. Nobis igitur filiis quondam iræ nunc dilectionis, sacramentum, in quo est virtus Regni, datum est solùm, Iudæis autem nunquam, ad quod significandum communicant cum sinistra. Ex tripode dictum! Vel solis igitur Dominicanæ familiæ sociis sacramentum à Dominio nostro Jesu traditum institutumque est, vel soli ipsi iræ filii sunt atque indignationis. Neutrum ego dixerim qui, ut impune id feram, vereor, tametsi *Cuspinianum* duriora locutum esse mox audiemus. Tertia ratio hæc est: *Vt recordentur passionis Dominicæ in statu humilitatis tanquam sinistra Christi parte factæ*, & quarta denique, *quia sigillum Ordinis Prædicatorum est crucifixus.* Dignæ omnes *generali & illustri Viro*, cujus generis homines compilatio ista laudat & commendat. *Leonardus de Vtino* itidem Ord. Prædicatorum Monachus, qui medio seculi XV. floruit, plures adhuc alias comminiscitur rationes, in *quadragesimali Sermone* 42. part. 2. quæ nec ipsæ majoris momenti sunt ac reliquæ, quicquid etiam *Felix Fabri* in Histor. Suev. lib. I. c. 14. p. 148. sentiat loquaturve: *Propterea*, ita *Leonardus* iste *de Vtino* inquit, *nos fratres Prædicatores communicamus cum manu sinistra, quod in ea parte est cor, & quod manipulus, qui designat indissolubilem colligationem cordis nostri cum Iesu Christo, ponitur in manu sinistra* * *ob ferventem & cordialem charitatem nostri ad Christum: Præterea uxor in signum adhuc illibatæ fidei & cordialis amoris gestat annulum in manu sinistra, & magni Principes insignia sua deferunt ex parte sinistra: milites insigne suum aureum ferunt in latere sinistro. Ad abolenda ergò peccata, quæ regnant in corde nostro, medicina supponenda est cordi.* Latius paulo ridiculas has rationes *Bzovius* explicat, nonnullasque ex Annalibus FF. Prædicatorum addit, quas verò legisse est refutâsse. Non enim tam bile stomachove dignæ sunt, quam risu atq; exsibilatione: *Contemnamus istas ineptias*, meritò cum *Cicerone* dicimus lib. I. Tusc. Quæst. *quod enim levius huic levitati nomē im-*

* Effugit hoc diligentiam doctissimi Cardinalis *Bona* de rebus Liturg. lib. I. c. 24. p. 408. nisi absurditas figmenti eum, quod credere malo, absterruit à commemoratione.

imponamus? Audiamus tamen *Bzovium* ex ejus Continuat. Annal. Baron. Tom. XIV. ad A. 1313. n. VI. p. 210. *Beatæ illæ mentes perenni felicitate gaudentes, habent delectationes in dextera DEI ad finem usq; æternitatis collocatas meras degustare. Mortalibus hominibus sufficit divitias in sinistra divina reconditas delibare. Cui rei Prædicatores insinuandæ ab initio instituerunt è sinistra communicare, præsertim, quod interprete Magno Gregorio læva manus præsentis vitæ statum significet, quod filios iræ Gentiles, quibus panis Angelorum præcipuè datus est, sinistra designet, quod passiones Christi, quas ille in corpore suo mortali pro nobis sustinuit, insinuet: Prædicatoresque tum vitæ peregrinatoriæ conditionis, tum felicioris regenerationis, tum officii suscepti admoneat, ut illi pro hac miseriis periculisque referta vita se ex filiis iræ filios DEI per passionem & crucem Redemptoris renatos memori corde recolentes Iesum Christum & hunc Crucifixum manu inter sinistra quæque præferant, atque repræsentent. Maximè quod id cerimoniæ sinistra communicandi datum etiam à sede Apostolica fuerit Ordini Prædicatorum propter triumphatam à Prædicatoribus Fratribus Berengarianam hæresin, in contumeliam SS. Eucharistiæ in Europa temporibus Divi Dominici & Petri Martyris reviviscentem: Ut cum post Agnus Dei sinistra super calicem elevatam hostiam tenerent, tum universo populo adorandum Christum Deum verum & hominem sub speciebus panis & vini præsentem exponerent, tum ipsi tunsione pectoris interiorem animi latriam ostenderent in Sacrosanctum pignus salutis.* Non oblivisci debuisset *Bzovius*, cum quicquid in pennam volaret emitteret, elegantis rationis, quam D. *Dorscheus* noster largitus est Dominicanis scribens, in *Mysar. Miss.* c. V. §. 76. p. 163. *Putant forsan Fratres Prædicatores se adumbratos per latronem ad sinistram crucis suspensum.* Mirum quoq; est famosam illam inter Philologos concertationem non fuisset ab illis in subsidium vocatã, *quis locus honestior priscis dexter an sinister, & utra manus præstantior dextra, an sinistra?* Ubi contra *Iohannem Goropium Becanum* pro sinistra pugnantem vide *Justum Lipsium* lib. II. Elector. c. 2. Tom. I. Opp. Critic. p. m. 452. seqq. contra *Ælium Antonium Nebrissensem* pro eadem stantem *Lælium Bisciolam* Jesuitam in Hor. subcesiv. Tom. II.

lib. 2.

lib.2.c.5.p.754. seqq. contra * *Baronium & Bellarminum* malam suam causam in quibusdam Theologicis quæstionibus inde exornantes D. *Dorscheum* in Pentad. Disp. XIV. p. 480. seqq. contra alios D. *Dannhauerum* in Hodosoph. Phænom. IIX. p. 769. & *Stoschium* De Præcedent. p. 907. Dominicanos sanè tam in communicatione sinistra manu peragenda gloriari nequire, dicent, qui ipsis non favent, quam hœdos in statione sua Matth. XXV. 33. *à sinistris* tanquam pejores collocandos. Quo de mireris *Virgilium* etiam cecinisse lib. VI. *Æneid.* v. 537.

Hic locus est partes ubi sevia findit in ambas,
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit,
Hac iter Elysium nobis; at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

§. XL.

Simile ferme cum præcedente de Dominicanis narrat *Cuspinianus* in Austria sua p. 49. ut fere non dubitem pro uno eodemque vendere, Cuspinianumque de toto ritu haud plenè informatum credere. Inquit autem l. c. ita: *In perpetuam sui sceleris memoriam hi fratres & calicem sanguinis Christi abscondunt, dum divinum celebrant officium, ob crudele & inhumanum facinus, digni ut ex omni Christiano orbe extirparentur nephandissimi lenones & homicidæ.* Quem demiror talia ausum fuisse scribere: Nephandissimi enim, quos appellat, lenones atque homicidæ metuendi erant, ne adversus se tam acria scribenti pari modo nocerent, neve precibus, si alio modo nequirent, apud Deum obtinerent, ut injuriam hanc vindicaret, quemadmodum *Antoninus* Chronic. part. III. Tit. XXIII. c. 3. §. 1. p. 612. b. refert, *correptam divinitus fuisse mulierem,* *quod*

* Idem *Baronius* simili absurditate, ut prærogativam Romanæ linguæ præ Græca atque Hebraica adstrueret, Tom. I. Annal ad an. XXXIV. n. 119. p. 232. non veritus est defendere, *infimum locum apud Romanos fuisse honestissimum*, indeque apud *Iohannem* c. XIX. 20. latinam inscriptionem: IESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM ultimum locum occupasse; Cujus tamen planè contrarium paulo ante ad an. 16 n. 8. Tom. I. p. 103. docuerat, quando spreta Evangelistarum auctoritate Romano titulo primum locum censoria quadam auctoritate vindicaverat. Verum eas utroque in loco affert rationes, quas jure etiam pueri rideant Vide malleum ejus *Isaacum Casaubonum* in Exercitat. IX. p. 199. & Exerc. XVI. p. 563 & adde Salmasium de Primatu *Papæ* p. 155. & *Montacutium* Orig. Eccl. part. II. p. 395.

quod temere Prædicatores contemneret. Desino verò mirari, quando recordor, facinus istud adeo notum fuisse apud eos, ad quos *Au*striam suam *Cuspinianus* perventuram vidit, ut causam non haberet metuendi expostulationem aliquam læsi honoris atque, quod dicimus, injuriarum. Suspicor quoque hinc accersendum esse, cur *Index Papistarum Expurgatorius* in hæc Cuspiniani verba haud grassatus fuerit, qui aliâs Cuspiniano in ejus *Vitis Cæsarum* nequaquam pepercit. Vid. *Indicem Expurgatorium* à *Iunio* Lugduni 1586. editum p. 168. seqq. Sed nec insolens Cuspiniano est, nec infrequens, libere perstringere Monachorum scelera ac flagitia, ceu videre est in eodem *Austriæ* libro p. 15. & 16. ubi de licentiosa Cœnobitarum vita multum queritur, & inter alia infit: *Summa licentia hi diem partiuntur in horas septem: Prandetur, pomeridianus somnus exercetur, bibitur, cœnatur, in hortis deambulatur, nusquam literis operam datur. Piaculum enim est apud illos, si quisquam hora bibitionis vel legat vel studeat, & ideo apud illos, nulli vel instar Phœnicis rarissimi sunt, qui verbum DEI populo enarrare sciant, qui evangelium prædicent: Conducunt quippe seculares sacerdotes, qui id præstent: quasi non illos verbum divinum, ad quod maximè omnium creati sunt, palam prædicare deceat*; Et paulo post: *Quotusquisque hodie Cœnobium ingreditur alio studio, nisi quod ocium præponat negocio, & quod liber ab omni molestia certus vult esse de suo victu? Et hinc veluti saginati quidam & rubicundi ac ventricosi prodeunt: in populo adorari cupientes & salutari Rabi, tanquam Religionis Antistites, cum nihil minus quam veram sectentur religionem: Quæ non in habitu illo, ac vita, à moribus Christianis longè aliena, consistit*; & quæ plura ibi hanc in rem disserit, quibus vix duriora apud nostrates (in Papistarum oculis hæreticos) legeris: *Boni* verò *Catholici* nomen *Cuspiniano* non invidebunt * Papistæ, (ut aliâs ejusmodi liberta-

* Invident tamen *Serarius* Rer. Mogunt. lib. V. p. 851. *auctorem* cum appellans *Catholicæ pietatis parum amicum*; & *Bzovius* Continuat. Annal. Baron. Tom. XIV. ad an. 1313. n. XIV. p. 212. *Cuspiniano vitarum Imp. mendaciloquo auctore*, & num XVIII. p. 217. *Cuspinianus alioqui prædicatorum religioni & summis Pontificibus non satis æquus* Adde *Brouwerum* Tom. II. Annal. Trevir. lib. XVII. p. 195. b. cui audit *Scriptor Cæsarum in fide haud sanus*.

tem in suis, nominatim *Sigeberto Gemblacensi*, *Erasmo*, *Aventino*, *Thuano* aliisque hac invidiâ prosequuntur,) si quæ sequente pagina contra *Lutherum* nostrum, *bellum adversus Turcam dissuadentem & prohibentem*, satis aculeatè protulit, simul aspexerint. Qua tamen censura abstinere potuisset *Cuspinianus*, quandoquidem *Luthero* nunquam in mentem venerit, rejecto omni modo ac simpliciter bellum adversus nominis Christiani hostem dissuadere, qua autem occasione, quove id fecerit animo ipsum vide, Tom. I. *Altenb.* p. 648. Tom. III. p. 679. Tom. IV. p. 524. seqq. Et adde ejus vindices D. *Zeamannum* in Refutat. Ungersdorff. part. II. c. 8. p. 136. D. *Gerhardum* LL. Theol. de magistr. Polit. §. 386. Tom. VI. p. 428. D. *Mullerum* in Luther. Defens. c. 24. p. 306. seqq. D. *Dannhauerum* de Fato flagel. Turcic. p. 16. Memor. thaumas. Luther. c. 12. p. 73. Ilex & Obex p. 277. seqq. atque ex Calvinianis *Hoornbeckium* in summ. Controvers. lib. III. pag. 168. seqq. Rectissime, si quicquam, *Meyerus* Annal. Flandr. lib. XVI. p. 342. dixit: *Pietate non minus quam viribus contra Turcas opus est; hac si caremus, haud mirum, si in illorum deveniamus ludibria. Si Turcas velimus vincere, reformemus Ecclesiam, tollatur ab illa radix omnium malorum avaritia, reformentur omnium mortalium ordines tunc nobiscum pugnabit Deus, omnemque barbarorum colluviem procul à nostris removebit finibus. Turcas vincere est depravatissimos prius nostros mores vincere.* Idem *Cuspinianus* libro de Cæsaribus p. 367. alio quodam argumento instruere nos videtur, quando ad testimonium innocentiæ, quod ab Henrici fratre *Balduino* Trevirensi Archi-Episcopo Dominicanos accepisse *Richardus* affirmaverat, respondet: *Constat tamen, hunc Balduinum post mortem fratris, non sine gravibus laboribus, cum maxima lamentatione ad sedem suam rediisse, gestaque fratris sui Cæsaris artificiosissime in aula Treverensi pingi fecisse.* Quas inter picturas locum etiam dubio procul habuit quædam, quæ *Henricum* in agone constitutum exhibuit. Quorsum enim aliâs *Cuspiniani* responsio faceret? Liberasset autem fidem suam à suspicionibus *Brovverus*, si in *Annalibus* suis *Trevirensibus* imaginem istam vel inquisivisset, vel inventam exhibuisset, sed *hanc tu Brovvere caveto!* id quod & Continuatori ejus Iesuitæ *Ma-*

senio

ſenio in aurem dictum eſto. Solidum vero argumentum ex pictura illa duci poterit, quoniam certum tempus, quo expreſſa eſt, (mox nempe poſt *Balduini* reditum) definitur, quemadmodum in hujus generis argumentis *Launojus* doctiſſimus Sorbonæ Theologus requirit, *de vera cauſa ſeceſſus Brunonis* c. III. p. 118. edit. Argentor.

§. XLI.

Non credo inutilis erit, ſi illa adjicietur obſervatio, quæ nunquam non *Dominicanos* ob veneni ſuſpicionem, nec non interfectionem Principum malè audiiſſe conſtat, certiſſimiſque conficitur argumentis. Conſuli poteſt *Spondanus* ad annum * M. CCCXC. num. XII. Tom. I. *Continuat. Annal. Baron.* p. 646. b. quæ in Gallia circa annum illum de *Dominicanis* hoc in capite fama tulerit. Non repeto, quod ſupra §. 20. de Dominicano Monacho venenum in *Guntheri* necem præparante ex manuſcripto quodam allatum fuit. Notum & ex præcedentis ſeculi hiſtoria eſt, quomodo A. 1589. *Clemens* ejuſdem ordinis Monachus percuſſor extiterit *Henrici* III. Regis Franciæ, cultro cum venenato interimendo, Vid. *Thuanum* Hiſtor. lib. XCV. Tom. III. p. 423. & ex recentioribus *Maimburgium* Hiſtoire de la Ligue lib. III. p. 351. ſeqq. Cujus rei juſta indignatione motus *Sandius* in Animadv. ad Voſſ. de Hiſtor. Lat. p. 195. in hæc aculeata prorupit verba: *Adeo Dominicani Regum, quos hæreticos vocant, ſunt carnifices, inquiſitores Tyrannici conſcientiarum, ipſi olim æternis tormentis ignis infernalis excruciandi*, Adde qui in hac obſervatione nobis conſentit *Ioh. Limnæum* in Notit. Regn. Franc. part. 1. lib. 2. c. 17. p. 825. Et tamen parum abfuit, quin *Clementem* iſtum *Sixtus* V. Pon-

* Circa illum annum *Petrum Pateshull* Auguſtinianum Monachum libros duos de nequitiis ſuorum Fratrum, & præſertim Dominicanorum ſcripſiſſe, ait *Rodolphus Hoſpinianus* de orig. Monach. lib. VI. c. 14. p. 249. qui ſi hodie extarent, ſine dubio totus mundus eorum fraudes, dolos, ſcelera & atrociſſima facinora conſpecturus eſſet; non aliter atque etiam conſpexit, poſteaquam *Lutherus* noſter Auguſtinianus Monachus *Tezelii* Dominicani fraudes revelavit. Videremus quoque, quam nihili ſit gloria, cujus *Petrus Maturus* Jeſuita (miraculum quo non datur maius) in dedicat. *Antonini* Chronico præfixa, Dominicanos participes facit ſcribendo. *Ex Dominicana familia tanquam agro fertiliſſimo viri & doctrina magnitudine & vita ſanctitate præſtantes nunquam propagari deſierunt.*

tifex consueta ἀποθεώσει inter sanctos colendum præciperet. Vid. Tomum I. *Libertat. Eccles. Gallic.* p. 473. querelis plenum, adde *Thuanum* Hist. lib. XCVI. p. 425. & 458. Scilicet ut S. *Dominicus* Prædicatorum societatis Parens & in vita, & post mortem parem haberet, quippe quem infamem latronem & crudelissimum persecutorem Waldensium fuisse dicunt *Iohan. Balæus* Scriptor. Britann. Tom. I. Centur. III. c. 67. p. 259. & *Gisbertus Voetius* Dispp. select. part. III. p. 413. & 521. Possem si ægrè facere Prædicatorum Ordini vellem, pluribus historiam attexere de *Bernensibus* Dominicanis Monachis, nominatim Priore *Iohanne Vettero*, subpriore *Francisco Ulschio*, Lectore *D. Stephano Bolzhortio*, & Curatore *Henrico Steinegkero*, qui A. 1509. die ultimo Maij Bernæ ob plurima scelera variaque excogitata * miracula, cumprimis verò ob hostiam veneno illitam, & cuidam suorum sociorum præbitam vivi cremati fuere. Vide eam integram apud diligentissimum Helveticarum rerum Scriptorem *Johannem Stumpffium*, Chron. Helvet. lib. XIII. c. 33. p. 454. seqq. cujus narrationem latinis verbis legas apud *Hospinianum* Histor. Monach. lib. VI. c. 14 p. 249. & *Flacium* Catalog. Veritat. p. 578. & 579. Conjunxit hanc historiam cum nostra Megalander *Lutherus*, Tom. III. Altenb. p. 894. **Ich hätte wohl gemeint / die edle Tugend / so die Prediger Münche zu Bern begangen haben mit dem** Sacrament, **solte sie billich demütigen / daß wann sie einen Menschen ansehen / den Kopff niderschlagen / und an das** Sacrament **und Feuer zu Bern dencken / und dafür ein wenig roth werden / als der wohl möchte gewiß seyn / daß seine Zuhörer würden sagen: Das ist der Lügen-Mönch einer / die zu Bern solch Laster mit dem** Sacrament **begangen / und Käyser Henrich im** Sacrament **vergifftet haben.**

§. XLII.

* Quæ fingi debere in veritatem assertionis *de maculata conceptione B. Mariæ Virginis* A. 1506. in pleno Conventu seu Capitulo *Wümpha* decreverant. Cur urbem nostram *Francofurtum* non elegerint, *Stumpffius* l. c. p. 455. a. indicat, his verbis: Ein abscheuhen hattend sy ab Franckfurt / von wegen der frömbden gescheiden Kauffmannen / die ihren Betrug möchtend abmercken.

§. XLII.

Ob hæc & similia flagitia forte est, quod *Dominicanorum* laudes in Romana Ecclesia non adeo magnæ sint ac multæ, nisi quas ipsimet sibi decantant, non attendentes illud *Catonis* Distich. lib. II.

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Quem in modum *Antoninum* Archi-Episcopum Florentinum repetimus sui ordinis auspicem *Dominicum* laudâsse part. III. Chronic. tit. 23. c. 1. p. 598. seqq. prolixissime, *quod plures mortuos excitaverit, quam ipse Christus, quod potestas cœlestium, terrestrium & inferiorum sit ipsi communicata, quòd facilius per ipsum eatur ad Christum, quam per * Paulum, quod trinam disciplinam de manu propria non chordula sed*

* Cujus apud Papistas perexiguam esse auctoritatem non ex uno constat documento. Memorat *VVolffius* Lection. Memorab. Tom.II. Cent. XVI. p.623. *Episcopum quendam dixisse, Sancti Pauli Epistolas solas si haberet, in ignem se conjecturum, quia ex solis his Epistolis Lutherani efficiantur.* Conf. eund. p.707. Similiter docet *Ioh Manlius* Loc. Commun. Tom. III. p.32. & post ipsum D. *Christiani* Jesuit. Pseudoiren. p.56. *Antonium* Legatum Pyranensem dixisse: *Hominibus non concedendum esse, ut Epistolas Pauli legant. Multos enim ex solis Paulinis Epistolis Lutheranos effectos esse.* Sic & fide dignissimus scriptor *Sleidanus* Histor. lib. XXV. pag. 805. testatur, quendam Galliarum Regis præfectum, martyribus Lutheranis ad Pauli Epistolam ad Galatas exaratam provocantibus respondisse: *Hoc nihil ad rem facere: Paulum enim sibi ipsi testimonium dicere, cujus Epistolas nisi ab Ecclesia auctoritatem acciperent, pluris à se non iri æstimatum, quam Æsopi fabulas.* Facit etiam huc, quod *Edvvin Santes* Relatione de Statu Religionis c.26. p 215. *edit. Gallic.* narrat, se auribus suis percepisse, *quod non semel à quibusdam Papistis consilia inita fuerint de scriptis Pauli, (ceu hominis ferocis, & ob præclara Sancti Spiritus dona nimis superbi, affectibusque indulgentis) in quibusdam reformandis & corrigendis.* Falso non dicere *Edvvinum* exemplo *Fabricii* Jesuitæ probatur, quem *Hasenmuller.* Histor. Jes. Ord. c.9. n.13. p.277. *Romæ dixisse*, refert, *quod satius esset Ecclesiæ Romanæ, Epistolas Pauli extra Ecclesiam ejicere, quam cum sedis Apostolicæ detrimento legere.* Quocum compone vaticinium *M. Antonii de Dominis* de Republ. Eccles. part.I. lib I. c XI. n 23. p.132. Quomodo Apostolum Petrum longissimè *Paulo* anteponant, *Hulsemannus* enucleat *Manual. Aug. Confess. Disp.* XV. p.700. seqq. De audacia, in quam *Ius Canonicum* erumpit, & Apostolum Paulum secundas nuptias permittentem erroris insimulare non erubescit, vide *Laurent. Banck.* de Tyrannid. Pap. c X. p.277. Apud *Irenæum* lib.I. adv. Hæres. c.26. p.127. & *Eusebium* lib.III. Histor. Eccl. c.XXVII. p.99. simili modo *Paulum* ab *Ebione* & ejus asseclis spretum fuisse legimus, quibus Paulo-Mastyges illi ex Pontificiis similes sunt, ut in pluribus adhuc aliis. Vide parallelismum apud D. *Sirie.* de Ebion. §.38. p.41. Novimus etiam ex *Epiphanio* Hæres lib.I. Hæres. VIII. vel XXIIX. num 5. Tom.I. Opp. p.113. *Cerinthum* debacchatum in Sanctissimum Apostolum fuisse, quod contrarium eum experiretur,

sed cathena ferrea susceperit , usque ad sanguinis effusionem , unam pro suis culpis , quæ minimæ fuerint , pro in purgatorio existentibus aliam , pro iis qui in mundo versantur tertiam &c. Ejusdem generis inanibus laudibus scatet quoque *Vincentius* Dominicanorum Bellovacensium sodalis , (unde & ἀπλῶς *Vincentius Belluacensis* audit , quod *Vossium* post *Bellarminum* & *Possevinum* decepit , ut *libro* II. *de Histor.* c. 59. p. 477. *Belluacensem* cum *Episcopum* nominaret) in *Specul. Histor.* lib. XXXI. c. 71. seqq. Plura ejus miracula , quam Christus Servator noster fecisse in Evangelistarum monumentis legitur , recensita videbis apud *Bzovium* itidem Dominicanum Monachum , Tom. XIII. *Continuat. Annal. Baron.* ad an. 1199. n. 25. & 26. ad. an. 1213. n. 9. ad an. 1219. n. 6. seqq. & ad an. 1221. n. 11. sed rectè beneque veteris Ecclesiæ Lumen D. *Augustinus* dixit : lib. 3. contr. liter. Petil. c. 10. Tom. VII. Opp. p. 115. *Amico laudanti credendum non esse nec inimico detrahenti.* Neque immeritas illas Dominici laudes *Apologia Augustanæ Confessionis* approbat , (ut quidem *Bellarmino* Cardinali videtur lib. IV. de Eccles. c. 16. Tom. I. Controv. part. II. p. 281.) quando *Sancti* titulum *Dominico* tribuit §. III. de dilect. & Implet. Legis p. m. 99. non tam, quod ipse illum mereatur, aut jure etiam à Papa consecutus fuerit, quam quia vulgari more atque ex opinione adversariorum citandus fuerat. Vid. D. *Gerhard.* LL. Theol. de Eccl. Tom. V. §. 294. p. 505. b. Adde quod *Sancti* appellatio non raro hæreticis pessimæque notæ hominibus tributa inveniatur, quo de operæ precium erit huc transferre *Theophili Raynaudi* per quam Celebris Jesuitæ verba , in *Valeriano Cemeliensi Episcopo integro doctrinæ labisque puro* , Tom. XI. Opp. p. 135. b. quæ *Bellarmino* responsionis loco esse peropportunè poterunt : *Quin etiam nemo sanctos Patres criminatur, aut inducta spongia delendam contendit , delatam quandoque apud eos hæreticis aut suspectæ fidei hominibus sancti appellationem ; sive ratione muneris , quod obibant , sive ob gloriam confessionis , tametsi labe subsequente velut infuscatam. Certè Divus Augustinus Hilarium Diaconum*

riretur , cui hac in re iidem ut in aliis propinqui admodum sunt. Vid. D. *Bebel.* Antiquit. Ecclesiast. secul. I. Art. VI. p. 103.

num Luciferianum nominat sanctum Hilarium, quamvis non constet resipuisse, & ad Ecclesiam revenisse. Frequentissimè item sanctitatis titulum honoris ergo impendit, alloquens Episcopos fidei oblæsæ aut vitiatæ, quandiu eorum causa desperata non erat. S. Gregorius lib. VI. *Regist. epist.* 6. *Iohannem jejunatorem, quem Baronius anno* 596. *in peccatis suis mortuum opinatur, vocat sanctæ memoriæ.* Nec prætermittendum, quod ibidem *Raynaudus* docet, mortuos & defunctos veteribus quoque *Sanctos* fuisse dictos, in quam rem *Martialis* versum allegat:

Dî bene quod Sancto peperit fœcunda marito.

itemque illud *Virgilii*:

Salve Sancte Parens, cineres salvete recepti.

Ex quibus conficitur, longissimè à vero abesse, quod *Cæsar Baronius* in prolegomenis ad Martyrologium c. 7. scripsit: E*tsi olim sanctitatis titulus communior esse videretur, ut non solum, ut hodie, illis tribueretur Christianis, qui vitâ functi in cœlo regnant cum Christo, sed & quibuscunque laudabilioris vitæ fidelibus, datum tamen aliquando homini hæretico nemo jure poterit dicere.* Ipse *Baronius* Tom. XII. Annal. ad ann. 1177. n. 33. p. 711. rescriptum *Alexandri* exhibet ad hæreticum Regem Æthiopum, in quo hunc titulo ac nomine *sanctissimi* honorat. *Iohannes* etiam VIII. Ottramno Viennensi *sanctimoniæ* laudem alicubi adscribit, etiamsi ejus *audaciam & temeritatem arguat.* vid. *Iohan. Mabillon* de re diplomat. lib. II. c. 6. n. 7. p. 90. Et *Nicolaus Alemannus* in notis ad Procop. p. 73. & 113. confectum dedit, ab Episcopis etiam Catholicis Principes tum profanos tum hæreticos *sanctissimos* fuisse dictos. Idem *Baronius* adstruit, *Tom.* II. *Annal. ad An.* 260. *n.* 22. *p.* 204. *vulgari usu*, scribens, *factum fuisse, ut Imperatores licet nefandissimos, tamen sanctissimos olim appellarent.* Nequaquam igitur vel gratiæ aucupandæ causâ, vel ex animo, laudi *Dominicanorum* favit *Melanchthon* Apologiæ Confessionis auctor, dum, uti dictum, *sanctitatis* Elogio eorum Patronum *Dominicum* prosecutus est. *Quod si impii sic dicti sunt*, inferimus in ejus defensionem cum *Baronio* loc. cit. *quomodo non etiam, hac saltem ex parte, quique Episcopi quantumlibet moribus depravati*, (& cum illis Dominicus)

nicus) *sanctissimi jure dicendi?* Sed prosequamur cœpta. Si *Famam Lipsii posthumam* Operibus illius Antverpiæ in Plantiniana Officina excusis præfixam p. 316. & 317. inspicimus, haud multum ab eo *Dominicanos* æstimatos fuisse deprehendemus. Quando enim ibi Lipsium *Catholicum* fuisse inter alia inde quoque docetur, quod Romano-Catholicæ Ecclesiæ Antistites coluerit ac veneratus sit, *Iesuitæ* nominantur ac *Franciscani*, itemque *Cappucini*, nulla planè *Dominicanorum* facta mentione, qui tamen præ reliquis laudandi hìc omnino fuissent, quippe quibus ex *Dominici* sui instituto præcipuè incumbere debet, ut hæreticos profligent ac retundant. Vid. *Iacob. Usserius* de Christ. Eccles. success. & stat. c.IX. & ex eo *Caspar Ziegler*. Jur. Canon. p.956. Unde & ex *Urspergensis Abbatis* observatione ad An. 1212. p.319. *Prædicatores* appellati fuerunt, quòd studio & lectioni S. jugiter insistentes Ecclesiam defendere, fidemque roborare deberent. Cujus immemores fuerunt *Dominicani* An. 1302. quando ex DLXX. ne unus quidem ire voluit ad Barbaros in Græcia viventes, etiamsi Magistri Ordinis ipsorum literæ eam in rem in Capitulo provinciali Basileæ fuerint prælectæ, Vid. *Annales Colmarienses*, ad dict. annum part.II. script. *Urstis*. p.34. Observare autem illud studuit, eventu licet infaustissimo, *Sylvester Prieras* Dominicanus & S. Palatii Magister, qui primus omnium adversus Lutherum nostrum scripsisse dicitur. vid. *Labbe* Tom.II. Dissert. ad Bellarmin. scriptor. Eccl. p.373. *Cabassut*. Notit. Eccles. p.564. Qua simul occasione meminisse juvabit, Monachos Prædicatores injustis

* Non ingratum Lectori fore arbitror, si hic ex doctissimi & incomparabilis *Baluzii* literis Lutet. Paris. Idibus Decembr. A. M DC LXXXIV. ad *Schilterum* non minore gloria de bonis literis meritum datis, & ab hoc benevolè mecum communicatis, adjiciam, quis auctor ille fuerit, quem *Urspergensis Abbas* continuâsse dicitur: *Finem imponam huic epistolæ* his id *Baluzius* verbis significavit, *Si prius Te monuero, Vir doctissime, deprehendisse me verum auctorem hujus partis historiæ, quæ descripta est in Chronico Abbatis Urspergensis, ab initio nimirum usque ad annum Christi MCXXVI. in quo desiit hic auctor. Fuit is Ekkihardus Monachus, ut reor, Fuldensis. An autem idem sit cum eo, quem Tritbemius ait, fuisse Abbatem Urangensem, aliorum esto judicium.* Notum alias est, quod *Vossius* de Histor. Latin. Lib.II. c.66. p.382 & *Goldastus* Dissert. de Auctor. ad Apolog. pro Henric. IV. p.13. *Abbatem Schwarzhamensem* vocaverint istum auctorem. *Bosius* verò in Exercit. in Perioch. Joseph. c.2. §.50. p.74. credidit *Monachum* esse *Bambergensem*, cujus ille Chronicon vetus in membranis eleganter exaratum possidebat. Adde *Thomasium* de Plagio Literar. §.591 p:260.

justis suis nundinationibus atque iniquissimis indulgentiarum exactionibus occasionem dedisse *Luthero*, ut sacra repurgaret. Quod & ipsum in *Dominicanis* multi gravissimi auctores è Romana Ecclesia notârunt apud *Maimburgium* Histoire du Luther. Tom.I. lib.I. p.m. 22. honorem Ordinis solicite salvare cupientem. Graviter admodum scribit *Bilibaldus Pirckheimerus* ad Adrianum VI. Pontificem, loco mox citando: *Constat igitur dolos, sycophantias, ac omnes malas artes Fraterculorum illorum, qui Dominicastri vocantur, tam horrendas concitasse tragœdias.* Promovit repurgationem nimia Cardinalis *Cajetani* religionem olim Dominicanam professi erga *Lutherum* severitas, quando cum eo de noviter exortis circa religionis capita litibus componendis Augustæ Vindelicum * tractabat, quam cum *Petro Suavi Polano* in Histor. Concil. Trid. lib. II. p. 169. tacitè etiam *Maimburgius* loc. cit. reprehendit p. 34. & 35. Quò pertinet, quod *Bilibaldus Pirckheimerus* in epistola ad *Adrianum* VI. Pontificem (quam *Melchior Goldastus* in Polit. Imp. exhibet part. XXIV. §. VI. p. 1101.) scripsit: *Vir ille bonus* (Cardinalis Cajetanus) *cum potius modestia & ingenii dexteritate tantum incendium extinguere deberet, ita alere cœpit, ut etiam summa rerum fastigia comprehenderet.* Ibidem optimus vir rectissimè etiam *Dominicanis* indignatur, quòd tam subdolè *Iohannem Capnionem* sive *Reuchlinum*, Virum supra omnem laudem positum circumvenire, conatumque ejus reducendi bonas artes & linguas impedire studuerint. Vide de litibus istis, quæ *Reuchlino* cum rudibus invidisque Monachis intercesserunt, *Iohannem Sleidanum* Comment. de Statu Relig. lib.II. p.40 & *Melchiorem Adami* in Vitis German. Philosophor. p. 40. seqq. *Tanto fervore*, exclamat doctissimus *Bangertus* in Dedicat. Grammat. Ebr. Hannekenianæ, postquam easdem breviter recensuerat, *homines barbari, linguarum & omnis literaturæ politioris hostes, præclaris ingeniis, barbariem & ignorantiam è Germanorum Scholis expulsuris, resistebant!*

P §. XLIII.

* Totum *Cajetani* Cardinalis cum *Luthero* congressum eleganti oratione *Thomasius* descripsit, quam lege sis in ejus *Orationibus* An. 1683. Lipsiæ publicatis p. 425.

§ XLIII.

Non parum etiam (sequor amœnitatem Dominicanæ Historiæ,) laudes Dominicanorum imminuit controversia *de immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ* magna cum animorum contentione ab ipsis fere solis ex Romani Papæ militibus adversus reliquas ejusdem exercitus cohortes, & rectè quidem, negata atque impugnata, cujus brevem historiam ex *Luca Waddingo* suppeditavit noster *D. Dorscheus* in Pentad. Dispp. III. §. 58. seqq. p. 147. Qui scire plura desiderat, addat incomparabilem Doctorem *Chemnitium* Exam. Concil. Trid. part. 1. p. m. 106. & doctissimum inter Reformatos Theologum *Andream Rivetum* in Apolog. pro sanctiss. Virg. Mar. lib. I. cap. 4. pag. 30. seqq. atque ex Pontificiis ingenuum *P. Suavem Polanum* Histor. Concil. Trid. lib. 2. p. 199. seqq. Multum quoque ipsorum existimationi nocuit, quod *Benedictum* XII. Pontificem acerrimum hostem experirentur, qui * *Bzovio* Dominicano teste Tom. XIV. Annal. ad Ann. 1337. n. X. p. 785. statuit & præcepit: *Ne conciones ad populum promiscuè haberent: ne pœnitentiæ Sacramentum administrarent, ne mendicato passim victum quærerent, ne in posteram nisi paucos, quibus alendis reditus certi uniuscujusque Monasterii satis essent, ad religionem admitterent, neve præter designandum in quocunque Monasterio numerum, alios Fratres susciperent.* Nec parum labis illorum honori affricuerunt crebræ difficilesque concertationes, quas cum aliorum Ordinum religiosis nullo non tempore aluerunt. Nil dicam de litibus eorum cum *Carmelitis* medio seculi XIV. in Anglia agitatis, promacho horum *Ioanne Hornebio* & illorum athleta *Ioanne Stokesio* existentibus. Vid. *Ioann Balei* Scriptor. Britan. Tom. I. Centur. VI. p. 480. nec de iis, quas ob vestitum cum *Augustinensibus* habuerunt: vide eundem *Centur.* IV. c. 58. p. 345. Dicam nunc saltem de perpetua discordia, eos inter atque *Franciscanos*, nec non *Iesuitas* sua dominandi libidine omnium sectarum inimicos. Prius dissidium, videlicet inter *Dominicanos* & *Franciscanos*, cum initio

* Quem dicerem vindictam exercuisse in indice istius suæ Continuationis XIV. Tomi, quando sub titulo. *Benedictus* XII citatur, quasi *vitiis omnibus infectus* fuerit, nisi pro illo eod. Tom. ad An. 1342. n. 1. p. 907. haberetur, *quod vitiis omnibus infensus* fuerit.

initio fere cœpit utriusque ordinis. vid. *Spondan.* Tom. I. Continuat. Annal. Baron. ad An. 1243. num. VII. p. 149. b. *Hospinian.* de Origin. Monach. lib. VI. c. 17. p. 264. Duravitque hactenus, & duraturum etiam est, quamdiu alter eorum superstes fuerit. Quomodo serram contentionis inter se fratres isti uterini reciprocaverint *de sanctitatis vitæque religiosæ rigore*, ex Matthæo Parisiensi docuit Clariss. *Hottingerus* Histor. Eccl. N. T. part. III. p. 370. Controversiæ inter eosdem *de paupertate Christi* motæ historiam ex *Albertini Mussati* Ludovico Bavaro ad filium p. 4. & 5. (habetur in *Historia ejus Augusta* Henrici VII.) nosse poterimus, ubi inter alia hæc habet: *Super Domini nostri Iesu Christi & illum imitantium paupertate* his nempe orta, *dicentibus Fratribus Minoribus eisque adhærentibus, quod ipsi ipsum Dominum Christum & vitam ejus imitantes non habebant alicujus rei nisi simplicem usum facti abdicatum, & denudatum ab omni proprietate vel jure utendi. Prædicatores verò dicebant, ipsos Fratres minores non solùm habere simplicem usum facti, sed habere etiam jus utendi. Quare si non haberent jus utendi non haberent ipsum usum, nisi aliquod jus haberent, propter quod liceret eis uti ipsa re, & quod ipse Christus non habuit in aliquibus rebus sic simplicem usum facti, quin & jus utendi habuerit, sine quo jure usus ejus fuisset injustus. Et in hanc opinionem Papa Iohannes XXII. firmatus constitutum fecerat solemne, & contra sentientes vel dicentes Hæreticus promulgârat, Ordine Prædicatorum cum eo unanimi & concordi.* In sequentibus docet, quod Franciscani *Ludovico* Imp. adhæserint, & Papam *Iohannem XXII.* ut schismaticum cum hac doctrina sua rejecerint. Tanto autem cum Zelo utrinque dimicatum est, ut *Bzovius* etiam referat *Tom. XIV. Annal. ad An.* 1337. num. 3. p. 776. Fr. *Franciscum Pistriensem* Minorum Ordinem professum An. 1337. d. 3. Junii combustum fuisse, *quod se decretis Pontificiæ sedis de Paupertate Evangelica opposuisset.* Collegit quoque acta quædam, quæ huc faciunt, *Stephanus Baluzius* Miscell. lib. I. p. 307. seqq. Ex recentioribus egregiè totam historiam compendio descripsit *Ludovicus Maimburgius* Histoire de la Decad. de l'Empire lib. VI. p. m. 559. cui Dominicani non condonabunt,

bunt, quod *Lucas Waddingus* utramque apud eum paginam faciat; adde, qui *Bzovii* errores hac in re castigat, *Ioh. Georg. Hervvart* in Appendic. ad Bzov. Tom. XIV. p. 34. b. Porro disputârunt vehementer *Dominicani* & *Franciscani* An. 1463. *de precioso sanguine Christi in triduo Passionis, dum jacuit in terra sparsus, an latriæ Cultu dignus fuerit?* Id * *Dominicani* affirmabant, negatum verò ibant *Sodales S. Francisci*. Utriusque partis argumenta prolixe produxit *Bzovius* Tom. XVII. Annal. ad An. 1463. n. 1. seqq. p. 407. seqq. qui & videri potest de controversia inter eosdem orta, qua Franciscani *peculiare suo Francisco & uni ac soli fuisse*, jactaverunt, *ut stigmata passionis Dominicæ in suo corpore impressa gestaverit*: Dominicani contra affirmabant, *privilegium illud communicatum etiam fuisse Catharinæ Senensi*, (id quod *Sixtus* IV. Ordini Minorum olim addictus indigne admodum tulerat) *Tom. XIIX. Annal. ad An. Christ.* 1283. n. 20. p. 245. Non verò *Franciscanos* solum, sed & *Iesuitas* hostes experti sunt *Dominicani*, cumprimis in vexata disputatione de *gratia & libero arbitrio*, quæ in Belgio ac Hispania multorum ingenia exercuit. Vid. brevibus *Heidegger*. Histor. Papat. n. 207. p. 286. Subsecutæ fuerunt lites *Malvendæ* Dominicani & *Martini Delrii* Jesuitæ, nec non *Petri à Valle Clausa*, seu *Theophili Raynaudi* Jesuitæ, & *Iohannis Calalæ*, quarum index est apud D. *Reiserum* de Atheismo p. 307. seqq. Sudes etiam *Bellarmino* in oculis fuerunt *Dominicani*, qui lapsum eorum Monachismum sub *Gemitu columbæ* tribus elegantibus libris *Tomo Operum* VII. extantibus depictum deploravit, quem vero

* Quin inter hos ipsos concordia non est de sanguinis Christi reliquiis, *an aliquid e[ius in] terris adhuc residuum sit?* Affirmant id enim *Sylvester Prierias*, Card. *Cajetanus*, *Bartholomæus Medina* aliique. Negat verò ipse *Thomas de Aquino*, cuius sententiam plane certam, contrariam vero temerariam & erroneam vocat *Dominicus à Soto* 4. Sent Disp. 10 q 1. art 2 Vide qui pluribus hæc recenset D. *Dorscheum* a singulari diligentia atq; varia eruditione omnibus laudatum, in *Vindic. ad Exod.* part. 1. p 104. seqq & in *Pentad* Disp. VIII. p 2[illegible]. nec non in *Anti Cornæo* c. 26 pag. 321 prolixè Adde *Gisbertum Voetium* Dispp. select p[ar]t. III. p. 1009. Sociniani in contrarium planè prolapsi sunt, & ne quidem in cœlo Christi corpus sanguine præditum esse asseruerunt. Ita *Val. Smalcius* Disp. II. contr. Franz. p. 329. dix[it]: *[Ch]ristum hodie corpus tale habere, in quo sanguis sit, vix credo aliquem ex cordatioribus & magis sobriis Theologis dicturum* Idem asserunt de *Divin. Christ. nat.* p 90. & cum eo alii *Serm. de Stat prim. hom.* c. 8 p. 236. *Ostorod*, Institut. Germ. c. 38. p. 336. & c. 41 p. [3]89. quos docte refellit *Iosua Stegmannus* in Photinian. Dispp. XXVI. p. 299.

vero P. *Gravina* Neapolitanus Dominicanus voce *Turturis exultantis* oppugnavit, cujus exultanti turturi mox caveam præparavit Jesuita *Jacobus Kellerus*, ut ex *Zieglero* didici Jur. Canon. lib. I. tit. 30. p. 272. Et cui ignotum est Jesuitarum odium, quo aliarum sectarum homines, quocunque possunt modo, prosequuntur? Paria tamen ipsis non rarò referuntur, quemadmodum à *Dominicanis* An. 1652. (cum Jesuita quidam coram Pontifice Legatum se Imperatoris Chinensium fingeret,) factum esse ex *Theatro Jesuitico* p. 105. ostendit auctor libelli Gallici: *l'Esprit de Monsieur Arnaud.* part. 2. p. 197. hîc à curiosis omninò evolvendus. Ne quid obliviscar, legere jubeo de litibus *Natalis Alexandri* Theologi Parisiensis & in Majori Conventu & Collegio Ord. F. F. Prædicatorum Regentis, cum *Claudio Frassenio* itidem Theologo Parisiensi & Conventus atque Collegii FF. Minorum Guardiano, quas Viri hi pro inveterata Ordinum suorum æmulatione fovere non ita pridem cœperunt, *Acta Eruditorum Lipsiensium* An. 1682. p. 379. Egregia Romanæ Ecclesiæ unitas, quam tantopere Pontificii in disputationibus suis passim jactant, & *Bellarminus* etiam lib. III. de Eccl. c. 5. Tom. I. Controv. part. II. p. 154. cum *Sandero* de Clave David. lib. III. c. 5. p. 64. 69. inter veræ Ecclesiæ notas numeravit. Quæ tantum abest ut apud eos reperiatur, ut potius Cadmæorum fratrum dissensionibus & contentionibus plena omnia sint. Vide pluribus D. *Gerhardum* LL. Theol. de Eccles. §. 240. Tom. V. p. m. 431. seqq. In ipso Tridentino Concilio quot, bone Deus, quantæque contradictiones non fuerunt auditæ, & quidem circa maximos articulos gravissimaque religionis capita? Testatur id abundè *Petrus Suavis Polanus* toto libro, quo *illius Concilii Historiam* in apricum produxit, & ex quo brevem contradictionum istarum synopsin *D. Hulsemannus* exhibuit in Manuali Aug. Confess. Disp. XIX. p. 1314. seqq. Neque desiere contradictiones, postquam definitiones Concilii publicatæ fuerunt, quin etiamnum de earum sensu litigant, ut ex specimine novimus, quod B. D. *Dorscheus* exhibuit in *Pentad.* Disp. I. §. 45. p. 67. (qui Celeberrimus Vir integrum ea de re tractatum promiserat *in Scrupul. Relig.* §. XIX. p. 427. quem utinam ipsius mors nobis non invidisset!) Falsus est

id omne ultro & sine fidiculis *Benedictus Iustinianus* Jesuita in Comment. ad Epistol. Jacob. p. 109. *Inter Catholicos non leves dissensiones & Schismata sunt, dum quisque quam sententiam animo complexus est, mordicus tuetur, aliena invidiosius & arrogantius refellit, ita quibus armis Christiana fides atque religio adversus hostes propugnanda erat, ipsi inter se se Christiani magistri digladiantur, & mutuis sese vulneribus ingenti Ecclesiæ & bonorum scandalo conficiunt.* Satius igitur multò meliusque fuisset, si *Maimburgius* popularium suorum adagii: *Bon est le medecin qui se sçait guerir soy mesme* memor fuisset, (Vid. *Adagia Variorum* p. 22. b.) aut Servatoris mundi verba Matth. VII. 5. Luc. VI. 42. *Hypocrita ejice prius trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies, ut eximas festucam ex oculo fratris Tui,* in memoriam sibi revocasset, quam ut in sua *Lutheranismi* Historia lib. V. Tom. II. p. m. 119. & 120. & lib. VI. p. 244. veterem calumniam de Lutheranorum dissensionibus recoqueret & renovaret. Elegans est locus apud *Senecam* lib. de Vita beata c. 27. Opp. à *Lipsio* editorum pag. 251. & 252. quem in *Maimburgii* gratiam huc transcribo: *Vobis vacat aliena scrutari mala, & sententias ferre de quoquam: Quare hic Philosophus laxius habitat? Quare hic lautius cœnat? Papulas observatis alienas, ipsi obsiti plurimis ulceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum nævos aut verrucas derideat, quem fœda scabies depascitur. O vos usu maximè felices, cum primùm vobis imitari vitia nostra contigerit! Quin potius mala vestra circumspicitis, quæ vos ab omni parte confodiunt, alia grassantia extrinsecus, alia in visceribus ipsis ardentia. Non eo loco res humanæ sunt, etiamsi statum vestrum parum nostis, ut vobis tantùm otii supersit, ut in probra meliorum agitare linguam vacet. Hæc vos non intelligitis, & alienum fortunæ vestræ vultum geritis, sicut plurimi, quibus in circo aut in theatro desidentibus, jam funesta domus est, nec annunciatum malum.* Egregiè etiam *Wilhelmus Lindanus* in Panopl. Cathol. lib. IV. c. 7. p. 178. inquit: *Ita est hæreticorum ingenium, ut sese suo, quo laborant vitio, non putent esse affines, si illud priores in alium detorserint.* Quod *Scioppius, Reginaldus, Stengelius, Keddius, Forerus, Valerianus Magnus, Vitus Ebermannus* ipse denique *Bellarminus* eadem, quâ *Maimburgius*, objectione nostros

molesti

molesti perpendere probè debuissent, apud *D. Christiani* in Jesuit. Pseudoirenarcha p. 27. seqq. Qua ipsa etiam re (hoc iterum ἐν παρόδῳ) Papistæ Judæis & Gentilibus, primis Christianismi temporibus viventibus, tam similes quam ovum ovo sunt. Nam & isti μεστοὶ ἔριδος, δόλου, καὶ κακοηθείας Rom. I. 29. Christianos valde exagitabant, quod inter se dissiderent, nullaque apud eos concordia videretur. Audiant autem, quid ex Veteris Ecclesiæ Patribus, (quos tanti à se fieri Pontificii præ se ferunt) *Clemens Alexandrinus* responderit, lib. VII. Stromat. p. 541. edit. *Heins. Hoc adversus nos adducunt Judæi, dicentes, non oportere credere propter dissensiones hæreseon, retardatur veritas dum alii alia docent; ad quod dicimus, quòd apud vos Judæos & illos Græcos plurimæ fuerunt hæreses, nec tamen dubitarunt alii Philosophicæ se tradere disciplinæ*; & qui *Clemente* prior adhuc fuit; *Justinus Martyr* in Dialog. cum Tryphon. f. 196. 240. *At sicut neque medicinam sanæ mentis homo fugiat propter sectarum differentias, & parum honestè, si quis simili de causa abhorreat: sicut neque propter Judaicas sectas damnanda sunt Mosis atque Prophetarum sacra volumina, pari modo etiam Christianorum* (reponite Papistæ Lutheranorum) *sectas excusare licet.* Ex quo *Origenes* lib. III. *contra Celsum* p. 682. 683. ubi similem hujus criminationem retundit, desumsisse illud videtur, quod inter alia *de medicina* opposuit: *At neque medicinam sanæ mentis homo fugiat propter sectarum differentias*, &c. *annon pari modo etiam Christianorum sectas excusare licet?*

§. XLIV.

Adjiciam adhuc, priusquam excursionem hanc missam faciam, quæ *Albertinus Mussatus* in perraro *Historiæ Henrici VII.* libro in *Ludovico Bavaro ad filium* p. 5. de Dissidio inter ipsosmet Dominicanos orto posteritati conservavit: *Infecit quoque per idem tempus error unus perniciosus & Prædicatorum Ordinem. Plerique enim Conventuum Venetiæ, Paduæ, & Tarvisii sibi auctoritate quadam potentatum assumpserant officiorum rerum & Ministeriorum Communium, ut oppressa reliqua Fratrum multitudine prælatos Ordinis, scilicet Generales & Provinciales eligi pro suo libitu curarent: quos vellent extollerent, quosque vellent, deponerent: proventus quoscunque ipsis distribuerent,*

buerent, ut nonnulli ex communibus proventibus pecuniosi dicerentur, gazasque privatas habere, sibique has vices sumsisse, ut veluti perpetui superesse putarent. Demum per ejusdem Ordinis, aliquos insinuatione Papæ facta atque fide facti, Papa Generalem Ordinis, Priorem, Provincialem quoque & plurimos illo errore præsidentes ab officiis absolvit, & eorum potestate privavit, aliumque Generalem ac Provincialem suffecit, quibus & consocios visitatores totius Ordinis adjecit, quos Venetias, Paduam, Tarvisiumque profectos præfati ausu præsumpto non admisere, sed potius favore complicium suorum Confratrum nec non & Laicorum brachiis sibi adscitis rejicere conati sunt. In sequentibus commemorat, quomodo post verba ad verbera deventum fuerit, magna cum Papæ offensione, & majore adhuc cum populi scandalo: *Detestabantur*, inquit, p. 6. *Populi hujusmodi religiosorum facinora, quæ mala signa portendere ajebant, quod ipsæ scissæ religiones invicem colliderent atque colluctarentur*: Probè nimirum conscii illius apud *Sozomenum* lib. VI. Histor. Eccles. c. 25. pag. 672. edit. *Vales. Privatæ inter Clericos inimicitiæ Ecclesiam subinde maximo detrimento affecerunt, & Christianam religionem varias in sectas discideruut.* Congruit quod *Athanasius* de dissidiis similibus refert Tom. I. Opp. de Synod. p. 870. *Ea res & catechumenis non tenue scandalum & ethnicis non vulgarem sed effusissimum cachinnum præbuit.* Reperio tamen etiam, (non enim tacendæ *Dominicanorum* laudes, si quæ sunt,) quod in illorum honorem cedat apud *Filesacum* lib. I Select. p. 361. *Dominicano ordini ea indita laus, ut eruditiores hujus sodalitii signum Theologiæ Scholasticæ docendæ primi etiam apud exteros extulerint, quod de Francisco Victoria Dominicano Hispano proditum, sic enim Andreas Schottus Vir de re literaria optimè meritus in Bibl. Hisp. Tom. II. Franciscus à Victoria Lutetiæ Parisiorum haustâ primum Scholastica Theologia, laureaque (Doctorali) primus eam in Hispaniam veluti margaritam attulit, cujus è ludo tanquam ex equo Trojano heroes aliquot doctrinâ clari prodierunt, Dominicus Soto, & Melchior Canus præter cæteros.* Quæ ipsa tamen, quam optaremus cum piis ac cordatis viris in ipsa Romana communione Celebribus, ne vel lucem vidisset unquam, vel ne tanta in luce hodie versaretur.

Vide

Vide qui permulta testimonia studiosè collegit *D. Himmelium* de Jur. Canon. & Theolog. Scholast. sect. III. p. 712. seqq. adde *D. Zieglerum* de Diaconis & Diaconissis c. XIII. §. 63. p. 222. *Hottinger*. Analect. Histor. Theol. Dissert. I. p. 14. *Voetii* Dispp. select. part. I. p. 24. 25. Nostrorum querelas non æstimant Pontificii, ideoq; nec colligam. Si quicquam tandem est, de quo gloriari *Dominicani* poterunt, erit *Iohannes Taulerus* Dominicanus Monachus & Coloniensium olim atque * Argentoratensium Ecclesiastes: Cujus Viri pietas, candor ac pro Divini nominis gloria Zelus, dignis nunquam laudibus exprimi poterunt. Unde & veneratio nominis ejus permagna fuit apud Megalandrum *Lutherum* nostrum, sicut ex *Tomis* ejus abundè ac passim videre est: quam ob causam malè id habuit *Eckium* Lutheri Antagonistam, adeo ut dicam *Taulero* scriberet, lib. III. *de Purgatorio*, sed defendit Taulerum ** *Ludovicus Blosius* Abbas Lætiensis singulari Apologia pro illo edita, nec non quem *Bzovius* in Continuat. Annal. Baron. Tom. XIV. ad An. 1355. n. XXII. p. 1203. (ubi ut in *Tauleri* laudibus multus est *Bzovius*, ita absurda multa fabulisque plena admiscet, quæ suo loco relinquimus,) citat, *Michael Pius* lib. I. de Viris Illustribus Ord. Prædicatorum. Miror *Lutheri* nostri commendationem adeo exigui apud aliquos nostrorum ponderis esse, ut rejicere *Tauleri* scripta atq; explodere non vereantur, de quo tamen post Lutherum plurimi excellentissimorum nostræ Ecclesiæ Doctorum magnificè admodum sensêre. Instar omnium sit *Spenerus* ὁ πάνυ, cujus videnda insignis commendatio,

* Apud quos etiam An. 1361. D. XVI. Kalend. Junii diem suum obiit, ut ex inscriptione lapidis ejus sepulchralis patet, qui in Collegio Academico Argentoratensi visitur, & cui effigies *Tauleri* agnum ulnis gestantis incisa est, quo *sanctus iste confessor & gravissimus plurimorum abusuum Papisticorum censor fiduciam suam in Salvatorem Christum unicam testari voluit*, censente sic magno quondam Argentoratensium Theologo D. *Dorscheo* in Pentad. Disp. XI. §. 25. p. 368. Aberrant igitur à vero *Spondanus* Tom. I. Continuat. Annal. Bar. ad An. 1355. n. XVII. p. 534. b. Annum MCCCLV. & *Konig* in Biblioth. p. 793. a. Annum 1379 numerantes.

** *Egregiè*, ut *Bellarminus* ait de scriptor. Eccles. Tom. VII. Opp. p. 178. a. Multis etiam laudibus istam Blosii apologiam nuper extulit *Natalis Alexander* Ord Prædicat. Monachus *Select. Histor. Eccl. Capit.* secul. XIII. & XIV. cap. V. art V. p. 621.

tio noviſſimæ *Tauleri* ſermonum editioni Francofurt. An. 1681. præfixa. Cum circumſpectione quædam ejus legenda monet D. *Nicolaus Hunnius* Conſiderat. Theol. Weigel. p. 13. ſine dubio illos intelligens, qui in myſtica Theologia nondum ſatis exercitati ſunt. *Id enim accidere ſolet iis*, benè hîc ut aliâs peſſimè *Bellarminus* loc. cit. ait, *qui ſcribunt de myſtica Theologia, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur.* Neque negari poteſt, reperiri etiam apud *Taulerum* non pauca, quæ Papiſmum ſapiant, (& quî in denſiſſimis iſtis tenebris fieri aliter poterat? Vid. Illuſtris Viri *Dn. Viti Ludovici à Seckendorff.* Chriſten-Stat lib. III. c. 3. §. 7. p. 561. & in Addit. p. 318.) ſed quod in quorumvis librorum lectione idem & hic obtinet; *Omnia probate & quæ bona tenete.* 1. Theſſal. V. 21. Ita verò inſtituenda iſta probatio eſt, ut, quod in præcedentibus Apoſtolus monuerat, *gratias DEO agamus*, (pro radiante luce, qua ſancti iſtius Viri oculos præ aliis illuſtravit) *neque Spiritum extinguamus*, *aut prophetias ſpernamus*, (eorum etiam, *quorum Spiritus aliis Prophetis ſubjiciuntur* 1. Cor. XIV. 32. quorum prophetiæ ſive interpretationes ita comparatæ ſunt, ut quædam teneri, quædam abjici queant) *& ut in omnibus ſpeciem mali vitemus.* (id eſt, ut nonnulli apud *Balduinum* in Comment. ad hunc locum p. 1182. a. haud malè interpretantur, *abſque auctorum reſpectu probare quævis debemus, ne vel in ſpeciem occaſionem cavillandi demus adverſariis*, Pontificiis nimirum dicentibus, improbari nobis omnia, quæ in Romana Eccleſia etiam ab optimis dicantur ſcribanturque.) Similiter nos gerimus in lectione Patrum, quorum ſingulares opiniones communiori & ſaniori doctrinæ, quam apud eos invenimus, meritò poſtponimus. Quod verò quidam *Taulerum* auctorem libelli *Germanicæ Theologiæ* crediderunt, cum veritate nullatenus convenit, oſtendente *Thomaſio* Schediaſm. Hiſtor. p. 73. ſeqq. Cujus autem fœtus ſit, disquirit *Hoornbeck* Summ. Controv. lib. IV. p. 385. In laude denique è Dominicanorum Sodalitio poſt *Taulerum* meritiſſimo jure verſatur *Hieronymus Savonarola*, qui ob abuſus Papales acerrimè caſtigatos in odium *Alexandri* VI. monſtri potius quam Pontificis, Clerique

Romani

Romani incurrens gravissimo vivicomburii supplicio unà cum duobus sociis *Sylvestro* & *Dominico* Florentiæ * An. 1498. sublatus est. Scio variare super eo judicia, & benignius quosdam loqui, quosdam autem severius. In Romana Ecclesia apologiam pro ejus innocentia scripsit *Ioh. Franciscus Picus* S. R. I. Comes Mirandulæ, quam seorsim nullo anno addito *Gotthardus Voegelinus* excudit, *Goldastusque* pòst Tomo II. Monarchiæ suæ S. R. Imp. p. 1635. seqq. inseruit. Laudatus quoque est à *Sixto Senensi* Biblioth. S. lib. IV. p. 259. *Philippo Cominæo* lib. III. de Bell. Neapolit. p. 147. & lib. IV. p. 175. *M. Antonio Flaminio* in elegante epitaphio in ejus honorem atque innocentiam posito, quod *Franciscus Svveertius* in *selectis Christiani Orbis delitiis* exhibuit p. 389. *Petro Martyre Anglerio Mediolanensi* in Epistolis, Epistol. CXCI. p. 110. edit. *Amstelod.* &, qui ante reliquos nominandus erat, *Abrahamo Bzovio*, Tom. XVIII. Continuat. Annal. Baron. ad An. 1498. n. 5. p. 497. ubi causam ejus prolixissimè agit, quemadmodum etiam præter nominatos alii fecerunt, apud *Voetium* in Dispp. select. part. II. p. 1068. quo in loco eos etiam *Voetius* ex Papæis scriptoribus recenset, quibus alia mens diversumq; à priori de *Savonarola* judicium est, quos inter Jesuitæ cumprimis nomen suum profitentur *Martinus Delrio* lib. IV. Disquisit. Magic. c. 1. quæst. III. p. 153. *Gabriel Naudæus* in Apologia eorum, qui Magiæ suspecti fuerunt. c. 16. p. 456. *Dionysius Petavius* Rationar. Tempor. part. I. lib. IX. c. 10. p. m. 623. ubi *ob contumaciam seditiosasque conciones extremum supplicium ipsum luisse* dicit, quæ & mens fuit *Iusto Lipsio* in Monit. Polit. c. 3. p. m. 14. & 15. Nostrarum partium Theologi, utut humani multum in affectatis vaticiniis passum cum fuisse haud quaquam inficientur, lætantur tamen *Testem* ipsum *Veritatis* etiam fuisse, quem conscientia verbi cœlestis radio illustrata ad crassiores illos Papatûs errores tacere neutiquam permisit, quique divinæ veritati sanguine suo subscribere non detrectavit. Vide *Catalogum Testium Veritatis* à *Flacio* editum p. 1914. itemque *Lutherum* Tom. I.

* *Matthesius* in vita Lutheri conc. I. pag. 1. & cum illo *Gerhardus* Tom. V. LL. Theol. de Eccles. §. 292. p. m. 502. numerant annum 1483 quo B. *Lutherus* in lucem editus fuit, qui quibus fundamentis nitantur, mihi ignotum.

Altenburg. p.647. a. & qui omne punctum tulit *Theophilum Spizelium*, in Felice Literato p.465. & 975. & in Infelice Literato p.620. prolixissimè. Unde Philippo Mornæo *Leonardus Coquæus* Tom. II. Anti-Morn. p. 310. vehementer succensuit, quod contra Pontificios *Savonarolam* vendicare sibi fuerit ausus, sed rei testimonium adeo apertè luculenterq; adest, ut opus verbis non sit. Atque hæ laudes sunt *Dominicanorum*, (è quorum consortio fuere, qui Henricum interfecerunt,) hæc & vitia. Sed hæc hactenus, instat nobis aliud negocium.

§. XLV.

Quin licuit Monacho (nam omissa tandem isthac ἐκϐολῇ τοῦ λόγου revertar ad propositum argumentum,) adversus *excommunicatum*, ut *Henricus* VII. de fulminante *Clementis* V. sententia fuerat, (*Magn. Chron. Belgic.* p. 288.) absque ulla conscientiæ macula aut offensa tale quid conari; unde nova justæ suspicionis oritur nasciturque materia. Bullam excommunicatoriam adversus *Henricum* VII. *Roberto* Siciliæ Regi bellum minantem, conservavit nobis *Albertinus Mussatus* lib. XVI. de rebus gestis Henrici rubric. III. p. 91. & 92. ex quo, cum liber iste rarus admodum sit, neque à quoquam * alio diploma adductum inveniam, integrum huc apponere visum est:

Clemens Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Inter cætera, quorum nos cura sollicitat, illa præcipuè meditatio mentem nostram occupat, illaque nos sollicitudo fatigat, ut Ecclesia Romana bonis & juribus in sua stabilitate servatis, instanter observetur, felicia semper incrementa suscipiat, & nostra ministerio servitutis copiosæ pacis affluat libertate. Nuper quidem multorum fide relatione percepta, quòd nonnulli multorum in diversis locis & partibus præparabant stolium Galearum, & alios faciebant bellicos apparatus, quosdam ipsorum ex certis tenebat conjecturis exorta suspitio, quod Regnum Siciliæ seu terra citra Farum quæ de regno ipso fore dignoscitur, quæ ad Nos & Romanam Ecclesiam

* *Laertii* & *Angeli Mariæ Cherubinorum* esse debebat, communicare illud in *Bullario Magno Romano*, quo Tomis quatuor Romanorum Paparum constitutiones exhibuerunt, & cujus novissima editione Lugdunensi An 1655. usus ego sum: Sed altum illic silentium est, sicut nec diploma, quod mox ex *Bzovio* afferetur, in isto libro allegârunt.

clesiam pertinent pleno jure, & quæ Carissimus in Christo filius noster Rex Robertus Siciliæ Illustris nunc pro Ecclesia prædicta Vassalus à Nobis & eadem Ecclesia tenet in feudum, hostiliter invadendus vel offendendus stolium & apparatum hujusmodi, quamvis hoc vix possumus credere, parabatur. Nos, Ecclesiæ præfatæ, ac Nobis, & Regno ac terræ prædictis, quæ veluti recreationis pomœrium delectabiliter intuemur, & in Apostolici pectoris medio præ multa dilectione portamus, & adversus talium munimina providere volentes, & periculis animarum, corporum detrimentis, bonorum dispendiis, & gravissimis scandalis, & irrecuperabilibus incommodis terræ sanctæ, quæ possent ex eis sic procedi (quod absit) ad illa, quæ contigerint, meritò formidanda salubriter obviare, præsertim cum simus parati omnibus de ipso Rege Siciliæ conquerentibus justitiam exhibere. Universis *& singulis, Clericis & Laicis, cujuscunque conditionis & status, Ordinis, dignitatis vel praeminentiæ sint, etiamsi Pontificali vel Imperiali, sive Regali aut quacunque alia fulgeant dignitate, ac universitatibus, communitatibus & Civitatibus quibuscunque auctoritate Apostolica districtius inhibemus, & expressè præcipimus, ne dictum Regnum, vel terram, aut partem vel aliqua loca eorum vel alterius eorundem, per terram vel per aquam, mare, quocunque quæsito colore invadere vel offendere aut propter hoc recipere, vel exhibere, stipendia sive galeas, seu alia maritima dare, locare, commodare, aut alio titulo quocunque concedere seu remigare in eis, vel eisdem galeas, seu vasa concedere quovis modo præsumant; sive præstare super his præsumptionibus ipsis auxilium, consilium vel favorem directè vel indirectè, publicè vel occultè. Nos enim in omnes & singulos, qui contra inhibitionem & mandatum hujusmodi venire præsumserint, etiamsi (ut prædicitur) Pontificali aut Imperiali seu Regali, aut quavis alia praeminentiæ dignitate, de Fratrum nostrorum consilio* excommunicationis, *quam eo ipso incurrant, sententiam promulgamus, eorumque terras ac loca ipsorum, & quaslibet alias Communitates,* Univer*sitates & Civitates contra præmissa vel præmissorum aliquid attentantes Ecclesiastico subjicimus interdicto, contra eos nihilominus ad privationem omnium privilegiorum, indulgentiarum & gratiarum, quæ ab eadem Romana Curia non modo feudorum, bonorum, honorum, officiorum & jurium quorumcunque & ab ipsa & quibus-*

buscunque aliis tenent Ecclesiis , & aliis spiritualiter & temporaliter graviter processuri , prout eorum inobedientia exigerit , qualitas facti suaserit, viderimus expedire. Data & acta apud Castrum Novum Avinionensis Diœcesis in palatio ipsius Castri, die II. Iunii Pontificatus nostri Anno VIII. & præsentata Ianuæ die IX. Iulii. Excommunicatus igitur cum ipso facto *Henricus* fuerat, cujusvis perduellis gladio obnoxius erat. *Urbanus* enim II. qui *Clementem* V. diu antecessit, privatos sicarios , qui excommunicatum aliquem impiè & nefariè trucidarent, noluit disciplinæ jugo nimis gravari. Rescriptum ipsius, quod jam Canonis Universalis locum in Ecclesia Pontificia occupat, tale est, *Causa 23. q. 5. Can. 47. Excommunicatorum: Excommunicatorum interfectoribus (prout in ordine Ecclesiæ Romanæ didicistis) secundum intentionem modum congruæ satisfactionis injunge. Non enim eos homicidas arbitramur , quos adversus excommunicatos Zelo Catholicæ matris ardentes, aliquos eorum trucidare contigerit. Ne tamen ejusdem Ecclesiæ matris disciplina deseratur, eo tenore, quem diximus, pœnitentiam eis indicito congruentem, qua divinæ simplicitatis oculos adversus se complacare valeant ; si forte quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint.* Quo sanguinario decreto fenestra jam aperta erat crimini perpetrando, idque sub Zeli ac Catholicæ matris vexillo. Si forte metueret Cæsaricida, ne quid *duplicitatis* (privati affectus) intervenisset, pœnitentiola aliqua, fortasse una vel altera benedictæ aquæ aspersione, expiare id se posse poterat confidere. Quod magis est, percussor iste Monachus non tam privatus quam publicus sicarius fuit, qui quod fecit, jussu suasuque Pontificis *Clementis*, (sicut supra auctores quosdam scripsisse vidimus *) summi regnorum omnium Moderatoris fecit. *Pontificum enim mos est*, ita Cardinalis *Bellarminus* de potestat. summi Pontif. contra Barclai. c. 7. Tom. VII. Opp. p. 876. *primùm paternè corripere , deinde per censuram Ecclesiasticam Sacramentorum communione privare*

* Confer *Pandulphum Collenutium* lib. V. Histor. Neapolit. p. 212. *Mornaum* in Myster. Iniquit. sive Histor. Papat. p. 397. *Goldastum* in Replic. pro Imp. adv. Gretser. c. 13. p. 139. *Ludovicum de Montesperato* (quem *Conringium* , non verò *Carpzovium* esse persuadere nobis nondum potuit *Deckherrus* in Conjecturis Sect V. p. 68.) Vindic. Pacific. Osnabr. p. 10. *Iohannem Isaacium Pontanum* Histor. Danic. lib. VII. p. 410.

privare, denique subditos eorum à juramento fidelitatis absolvere, eosque dignitate atque auctoritate regia, si res ita postulat, privare. Exequutio ad alios pertinet. Quibus ultimis verbis *interfectionem* eum intelligere totus ibi contextus docet, & * *Suarezii* Bellarmini socii explicatio confirmat, cujus *Defens. Cathol.* l.6. c. 4. p.412. seqq. hæc sunt dogmata: *Si Princeps, postquam ex Papæ decreto depositus est, regno non cedat, tum est non solùm regimine, sed fit etiam titulo tyrannus, adeoque cuilibet de populo licet eum interficere:* Sunt & *Marianæ* lib.I. de Rege c.6. p.60. *Præclarè cum rebus humanis ageretur, si multi homines forti pectore invenirentur pro libertate Patriæ* (in perimendis Regibus) *vitæ contemptores*, & c.7. p.65. quærit, *quid interest ferro an veneno perimas?* & respondet: *Veneno quod fit, minori periculo & majori spe impunitatis fit.* Ejusmodi plura ex *Molina, Salmerone, Scribanio, Eudæmono-Iohanne, Azorio, Personio, Vasquezio, Lessio, Gretsero, Cottonio, Becano, Santarello, Filliutio, Baunio*, aliisque Societatis Jesuiticæ membris afferri colligique possent, si digressionibus nimiis delectaremur. Sanè quam iniqui, ac in sacrosanctam atque inviolatam Unctorum Domini Majestatem injurii multi sint ex hodiernis Ecclesiæ Papalis Doctoribus, inprimis è Societate Lojolitica, (quam mox ab exortu suo Regibus non modo infestam & noxiam, sed & parricidialem extitisse in ipsa Romana Ecclesia fuerunt, qui dicerent) non modo libri eorum publici juris facti, sed & tragica Regum Imperatorumque parricidia, quæ ex illorum disciplina resultârunt, documento fuerunt. Pestilentis hujus Sodalium suorum doctrinæ non fuit negligens Jesuita *Brovverus*, quando in Annal. Trevir. Tom.II. lib.XVII. p.195. de Henrici VII. cæde ita disseruit. *Nec* INTEMPESTIVUM *Henrici excessum arbitrantur fuisse, qui ipsum inter & Clementem Pontificem ob negatum juramentum, & Roberti Apuliæ Regis proscriptionem irarum & offensionum fomitem meminerunt exortum brevi tantum, ut in Imperatorem*

quoque

* *Hominis in aliis literis non sine laude versati, in Ecclesiasticis vero antiquitatibus planè infantis, in Evangelica doctrina ne infantis quidem.* Hoc est de *Suario* judicium judiciosissimi Viri *Isaaci Casauboni*, in Epistol. Dedicat. ad Exercit. suas in Annal. Baron. A quo non multum abludit, quod *Petrus Aurelius* tulit, *Opp. Theolog.* Tom.II, p.148. seqq. quem locum studiosi Lectores, si lubet, adeunto.

quoque vibratum censuræ mucronem non nemo scribat. Clariora forte locutus fuisset *Brovverus*, nisi *Balduinus* Trevirensis Archi-Episcopus atque defuncti Henrici Imp. frater in successoribus suis id impedivisset. Etiamsi verò bruta Paparum fulmina parum hodie à prudentibus æstimentur, (ut non * semel *Maimburgius* in Historiis suis, & speciatim *Histoire de la Decadence de l'Empire* lib. II. p.m.229. locutus est,) illo tamen tempore, quo *cæca simplexque obedientia* regnabat, cœlitus uti venientia submissione ac reverentia summa suscipiebantur. Unde & homicida Imperatoris fassus est, *solam* se ** *obedientiam* ad perpetrandum scelus impulisse; ubi verò digna est egregia Imperatoris *Henrici* responsio, quæ hîc legatur ex *Ioh. Geerbrandi à Leidis* Chronic. Belgic. lib. XXVII. c.8. Tom.I. Scriptor. Belgic. Svveertii p.248. *O bone frater, quæ est hæc Obedientia? Christus dicit: Non occides, modo per Prælatum contrarium habes. Quis ergò horum est sequendus? Certè si non erraveris, Christus magis: Namque Deo, ut ait Petrus, oportet, quam hominibus obedire. Non debet ergò à vobis allegari obedientia, sed error & dementia, cupiditas quoque & avaritia.* Omitti non debet, quod *Albertinus Mussatus* in Historia Augusta Henrici VII. lib. I. *de gestis Italorum post Henricum VII. Cæsarem* rubric. 1. pag. I. refert, quomodo grates Deo actæ fuerint, quòd tam sapienti consilio Henricus è vivis sublatus fuerit: *Clerus sublatis crucibus longo cœtu cum Laicorum Ordinibus urbes ambibat, præcedentibus mitratis Antistitibus, summo uti placato Deo laudes Psalmorum concentu conclamans datori pacis post tanta calamitatis*

* Adeoque absurdus est *Brevingius*, qui in libello suo **deß Glaubens-Streit Anfang und Ende** p.226 *Hornio* in Orbe Imperante idem dicenti exprobravit.

** Nimirum *cæca* Papistarum *obedientia* fons est quorumvis audacium ac desperatorum facinorum, ab iis patrandorum, qui mandata superiorum ἀβασανίςως exequi tenentur, adeoque de iis, bona an mala sint, judicare non audent. Hæc enim est *Bellarmini* doctrina lib. IV. de Pontific. Rom c.5. Tom.I. Controv. part.I. p.969. *Si Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes teneri Ecclesiam credere, vitia esse bona & virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare. Teneri enim in rebus dubiis Ecclesiam acquiescere judicio summi Pontificis & facere quod ille præcipit, non facere quod ille prohibet; ac ne forte contra conscientiam agat, teneri illum credere bonum esse, quod ille præcipit: malum quod ille prohibet.* Exemplo *Abrahami Isaacum immolare jussi*, id explicat *Ignatius* Loiola Jesuitarum idolum, in *fine regul. Societatis*, p.142. Adi *Gisberti Voetii* Disputationem, *de cæca obedientia Papistarum*, quæ repetitur *Tom. IV Disputationum* ejus *selectarum* p.182. seqq.

mitatis angustias: & paucis interpositis: *Actæ sublimes Bartholomæo laudes Apostolo, exenniaque decreta in ejus annua festivitate perpetua, qui in lapsos populos Imperii cruciatibus jam bis Apostolica pietate prospexerit, fuso Corradino de Stoph & hoc Henrico vita sublato.* Legendæ etiam literæ sunt, quas *Senenses*, ob occisum Imperatorem læti atque hilares, altero post ejus obitum die ad *Rheginos* exarârunt, quas debemus curæ *Bernardi Corii*, qui eas posteritati in *Historia Mediolan.* part. II. p. 179. conservavit. Ubi non possum non recordari

(*Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit.*
Virgil. Æneid. lib. II. v. 12.)

Festivitatis, quam * *Thuano* referente Histor. lib. LIII. Tom. II. Histor. p. 837. *Parisiense Parlamentum* ob ferales illas Eoas Parisienses S. *Bartholomæi* nomine non tam celebres, quam ad omnem posteritatis memoriam infames, amburbiis supplicationibus quotannis instituendam celebrandamque sanciverat, quemadmodum &

R Pon-

* Cujus Patris, *Christophori Thuani* Parisiensis Parlamenti Præsidis. adulationem hac in re atro carbone notat *Maimburgius*, Histoire du Calvinisme lib. VI. p. 481. quem ipsum tamen Regis etiam sui adulatorem maximum esse, non unus hactenus ex adversariis ejus dixit scripsitque. *Totum eum Galliarum Regi mancipatum esse* nuper admodum *Petrus Fischerus* in Jesuitico Nihil contra Papebrochium edito p. 98. affirmavit. Novi &, qui ad eum accommodandum putant, quæ de Hispano quodam scriptore ipse dixit, *Histoire du Lutheran.* Tom. II. lib. IV. p.m. 56. *Il aime à agrandir excessivement jusques aux moindres choses, qui peuvent servir à la gloire de sa nation* (cui adjiciunt illi. *& du Roy de France.*) Et quoniam ipse *Maimburgius* novo exemplo libellos suos *Curiæ* inprimis *Regis* sui examinandos subjecit, *in præfat. ad Historiam Iconoclastarum*, (verba sunt: *principalement à la Cour, & dont je tiendrai toujours à honneur d'estre disciple, quand il auront la bonté de m'instruire*) nonnemo verborum *Terentii* in prologo ad Andr. recordari me jussit:

Poeta (Maimburgius) *cum primùm animum ad scribendum appulit,*
id sibi negotii credidit solùm dari
Populo (Regi & Curiæ) *ut placerent, quas fecisset fabulas.*

Cui verò ejusdem *Terentii* verba ex eadem *Andriæ* Comœdia Act. I. Scen. I. in memoriam revocabam: *Obsequium amicos veritas odium parit.* Quemadmodum & cavere illum jubebam, qui quod Archi Episcopus quidam atque Elector apud *Goldastum* in dedicat. ad Replicat. pro Imp. de *Baronio* dixit, ad *Maimburgium* applicaret, *esse videlicet eum hominem de Schola & ad placentiam Domini sui loqui.* Illos demum planè non audiendos putavi, qui quod *Iacobus Meyerus* Annal. Flandr. lib. XVII. Tom. I. Annal. Rer. Belgic. p. 412. universè de historicis Gallis dixit: *Res suas Galli non majore solent scribere fide quam gerere.* speciatim de Maimburgio verè affirmari posse persuadere nobis voluerunt. Notior enim est hostilis *Meyeri* erga Gallos animus, quam ut vivis denuo coloribus à me depingatur. Depinxit sed atris nimis coloribus usus *Henricus Spondanus*, Tom I. Continuat. Annal Baron. ad An. 1390. n. V. p. 663. a. & ad An. 1419. n. VIII. p. 782. a.

Pontifex Romanus de tragœdia feliciter peracta certior factus, statim cum Cardinalibus ad B. Marci ædem concesserat, Deoque O. M. pro tanto beneficio sedi Romanæ collato gratias ritu solenni egerat, inque Hadriani mole publicæ lætitiæ signum festa tormentorum displosione dederat, & totam rei bene gestæ historiam artifici penicillo parietibus illeverat. Compone cum eo facinus Monachi Dominicani *Clementis* Henrici III. Francorum Regis percussoris, cujus cædem non tantùm miris * laudibus *Sixtus* Papa Romanus extulit, sed & cum insigni nostræ *redemtionis* opere conferre non erubuit, ut fusè apud eundem *Thuanum* videre est Histor. lib. XCVI. Tom. III. Histor. p. 302. b. Quamobrem etiam solennes Deo grates Parisiis actæ, certatimque in *Dominicanorum* templo eleemosynæ erogatæ fuerunt. Vid. *Maimbourg.* Histoire de la Ligue lib. III. p. m. 360. Neq; satis habuit *Clemens* V. Pontifex *Henricum* nostrum VII. vivum proscripsisse, sed & in mortuum adhuc sæviit, latamq; illius sententiam contra rebellem Siciliæ Regem irritam judicavit, *Fratres Wellingi in Continuat. Annal. Steron.* Tom. I. *Scriptor. Freh.* p. 407. Diploma eam in rem à *Clemente* contra defunctum Imperatorem editum *Bzovius* Tom. XIV. *Continuat. Annal.* ad An. 1313. n. III. p. 206. & 207. exhibet, quod *Bzovii* opus cum in omnium manibus non sit, diploma autem illud multum lucis toti huic negocio videatur afferre, non erit grave illud hîc integrum legi atque expendi. Est autem hoc: *Pastoralis cura solicitudinis nobis divinitus super cunctas CHRISTIANI populi nationes injuncta, nos invigilare remediis subjectorum, eorundem periculis obviare, & scandala removere compellit. Sane cum jamdudum inter quondam Henricum Imperatorem Romanorum, & charissimum in Christo filium nostrum Robertum Siciliæ Regem gravis fuisset materia turbationis exorta, asserente deinde Imperatore prædicto, quod cum quibusdam ipsius subditis Rex* con-

* *Qui vero facientem aliquid laudat, & ipse rei factæ auctor habendus est*, Totilas inquit in oratione ad Gotthos apud *Procopium* Gottic. lib. III. vid. *H. Grotium* de Jur. B. & Pac. lib. II. c. 17. n. 7. p. 321. Rectius olim *Priamus* apud *Virgilium* Æneid. lib. II. v. 535.

Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit.
At tibi pro scelere exclamans, pro talibus ausis
Dii: si qua est cœlo pietas, quæ talia curet,
Persolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita. — — —

confœderationes & conspirationes fecerat, in ipsius majestatis offensam: quodque tractaverat & ordinaverat, ut Civitates quædam sub imperio & imperatoris ejusdem obedientia consistentes contra eum, & Imperium rebellarent, gentesque sui ipsius fultæ subsidio, nonnullas alias imperii Civitates, & castra (inde violenter ejectis ipsius Imperatoris officialibus) occuparent; Et pro ipso Rege occupata tenebant: ac alias etiam in Urbe, & alibi, imperii & Imperatoris ejusdem contemptum, & suæ majestatis injuriam, & reipub. detrimentum multa gravia fuerunt per Regem eundem, ac malitiam & instigationem ipsius tam à suis stipendiariis, quam à subditis Imperatoris commissa. Præhabitis per Imperatorem eumdem quibusdam processibus contra eum, absentem tamen, quamvis legitime (juxta Imperatoris assertionem) citatum, ac quod supradicta erant notoria, per Imperialem interlocutoriam declarato: Imperator ipse Regem affirmans propter præmissa læsæ majestatis criminis reum esse, in eum peremptorie (ut dixit) & sufficienter citatum, sed comparere contumaciter recusantem, tanquam rebellem, proditorem & hostem imperii, ac reum criminis supradicti, privationis omnium dignitatum quocunque comprehensarum titulo & quibus se intitulabat ipse, auctoritatum quoque, honorum, provinciarum, terrarum, bonorum, jurium & jurisdictionum, tam perpetuorum quam temporalium, & si quando veniret in suam & imperii fortiam, mutilationis etiam capitis sententiam promulgavit, omnem supplendo defectum, si quis forsitan fuerat ex solemnitate juris omissus, in processibus memoratis præmissa (ut asseruit) faciens exigente justitia, & de imperiali etiam potestate. Verum quia hujusmodi sententia, quæ non à discretione matre virtutum, sed à noverca justitiæ voluntaria scilicet judicantis præcipitatione processit, partus forsan se deteriores haberet, si ipsius sententiæ inefficacia in publicum præcone justitiæ non prodiret. Nos circa eam tali uti provisione volentes, quæ (detectis ipsius defectibus) seminata per eum extinguat pericula, & in ratione reddenda sit posteris profutura, ipsam subjiciendam esse providimus limæ justitiæ, ac rectæ libramini rationis. Ejusdem igitur causis continentia, nec non conditione illorum, à quo, & in quem lata fuit, diligenti & debita consideratione pensatis, patenter ex illius adstruitur evidentia nullitatis, & manifeste arguitur temeritas promulgantis. Notorium quippe

ac indubitatum extitit, quod grandis exercitus tempore dictorum processuum & sententiæ, continuè Imperatori assistens Regem ipsum & suos persequebatur odio capitali: Pisanaque civitas, in qua lata fuit memorata sententia, Regem capitali habebat odio notorio, & antiquo. Esto igitur, quod Rex ipse alias ad præmissa fuisset legitime per Imperatorem citatus, nunquid venire debuit ad judicem exercitu feroci ac grandi, ipsique citato (ut præmittitur) odioso stipatum? Nunquid etiam debuit comparere in loco admodum populoso, multum potenti, ac præfato in eum odio provocato? Quis enim auderet, vel qua ratione audere aliquis teneretur consistorii talis subire judicium, & se in hostium sinu reponere, ac ad mortem per violentam injuriam, non per justitiam inferendam ultroneum se offerre? Hæc quidem jure timentur, hæc de more vitantur, hæc humana fugit ratio, hæc abhorret natura. Desiperet igitur, qui citationem hujusmodi saperet arctasse citatum. Vt illud tanquam notissimum nullatenus omittamus, quod Regem extra districtum imperii, in regno scilicet Siciliæ notorie ac continue tempore supradicto morantem, citare non potuit Imperator: nec citatio si quam forsan de ipso intra imperii fines fecit, citatum extra imperium constitutum arctavit. Nos quoque Regis Ordinarius judex quod ad imperatoris judicium citaremus, vel citari aut remitti faceremus eundem, nequaquam fuimus requisiti: Immo licet ad nos & Curiam nostram temporibus illis rumores frequenter de Curia Imperatoris venirent, & juxta eum etiam quidam ex fratribus nostris essent, prius tamen dictæ sententiæ promulgatio, quam aliquid de processibus antecedentibus ad audientiam nostram pervenit. Denique licet Rex ipse terras aliquas ab Imperatore tenere dicatur in feudum, non tamen in eis, sed in regno præfato domicilium suum fovebat: unde Imperator in ipsius personam, nullam ratione terrarum hujusmodi (nisi ex natura feudorum) debitam superioritatem habebat. Quod si punitio criminis intra districtum Imperialem commissi, ad Imperatorem forsan pertinu sse afferatur: Verum est quidem si in eodem districtu fuisset inventus delinquens, vel ad illum de more remissus. Dicine ergo sententia meruit, quæ à judice, qui per Regem tute adiri non potuit, & in loco notorie (ut præfertur) non tuto, in absentem, nec citatum legitime, ac inauditum per consequens & indefensum, non maturo fuit judicio, sed præcipitio, &

de

de tanto præsertim crimine promulgata? Rursus non est silentio relinquendum, quod ipse Rex noster & Ecclesiæ Rom. ratione Regni prædicti notorie subditus, homoque ligius, & vasallus, ac in eodem regno, non, ut præmittitur, in Imperio certum, continuum, & notorium suum habens domicilium, ac originem inde trahens, Imperatori eo modo non subfuit, quod in eum crimen læsæ majestatis commiserit, quantum libet omnia in sententia supradicta contenta veritatem indubiam continerent: Sicque nedum non jure, immo nec juris colore tulit Imperator sententiam supradictam in Regem, ex causa, quæ veritatis subsistentiam non habebat: propter quam etiam quatenus in eo fuit, Regem eundem privando regno & Regia dignitate, ac terris etiam aliis, & jurisdictionibus perpetuis & temporalibus, quæ sub eo nullatenus vel ab eo, sed à nobis, & sub nobis tenebat, nec non procedendo contra Regem eundem ex illis, quæ per ipsius stipendiarios, ac non nullos Imperatoris ejusdem subjectos per malitiam & instigationem Regis ipsius contra eum fuisse commissa in urbe dicebat: Cum etsi illa fuissent ibidem revera commissa: punitio tamen eorum in Regem veluti extra districtum Imperii commissorum ad Imperatorem nullatenus pertineret: inhibendo etiam in eadem sententia sub magnarum appositione pœnarum, quarum aliquas sibi applicari mandavit, ne quis dicto Regi præsumeret in suis respondere debitis, in ipsiusve familiaritate vel servitio remanere, aut eidem contra ipsum Imperatorem quovis modo impendere consilium, auxilium, vel favorem: cum debitores, servitores, & auxiliatores hujusmodi extra imperium, & in Regno constituti prædicto nullatenus Imperatori subessent, nec ex committendis in Regno eodem dictis pœnis possent astringi, vel aliqualiter condemnari per ipsum: Absolvendo quoque ab omni fidelitate, obligatione, servitio, promissione ac pacto provincias omnes, civitates, & castra & loca, ipsiusque vasallos & feudatorios, & alios quoslibet eidem Regi quomodolibet obligatos: cum includerentur in absolutione hujusmodi terræ & personæ nobis & Ecclesiæ Romanæ subjectæ, propriæ terminos potestatis excessit, in messem nostram mittens perperam suam falcem. Cæterum defectus suppletio circa processus adhibita supradictos, non tantum valet ad justificationem ipsorum, & sententiæ supradictæ, quantum ad eorum sugillationem & notam: cum nullam super præmissis potestatem

R 3 *haberet*

haberet Imperator in Regem , sibi alias quam, ut præfertur, non subditum, non citatum legitime, aut remissum, & extra districtum ipsius continue ac notorie consistentem, nec prædicta suppletio circa subditum etiam ad ea potuisset de ratione referri, per quæ de crimine præsertim sic gravi delato defensionis (quæ à jure provenit naturali) facultas adimi valuisset: cum illa Imperatori tollere non licuerit, quæ juris naturalis existunt. Ut igitur sicut memorata sententia juris caret effectu, sic auctoritate & nomine rei careat judicatæ: ut nec in opinione communi aut vulgi ab iis nomen habere sententiæ mereantur: Ut etiam in magnum justitiæ ac pacis obsequium scandalosis occurratur periculis, quæ cum nostræ & Ecclesiæ, provinciarum multarum, regnorum & gentium turbatione non modica possent occasione ipsius pro tempore suboriri: Nos tamen superioritate, quam ad imperium non est dubium nos habere, quam ex potestate in quâ vacante Imperio Imperatori succedimus: & nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam CHRISTUS Rex Regum & Dominus Dominantium nobis licet meritis in persona Beati Petri concessit, sententiam & processus omnes prædictos, & quicquid ex eis secutum est, vel occasione ipsorum de Fratrum nostrorum consilio, declaramus fuisse ac esse omnino irritos & inanes, nullumque debere aut debuisse sortiri effectum, seu nocumentum vel notam afferre cuiquam, vel quomodolibet attulisse. Ipsosque nihilominus quatenus processerunt de facto, & quicquid ex eis secutum est, vel ob eos, vel in posterum sequi posset, in irritum revocamus. Hactenus Bulla Papalis, qua hunc paragraphum finiam, si prius Lectorem monuero, legere eum debere ἐπίκρισιν *Hermanni Conringii*, (quem nominasse satis est) *de Finibus Imp. German.* lib. II. c. 22. p. 476.

§. XLVI.

Egregii (nova emergit sermonis digressio) vicarii Christi, & Ecclesiæ Universalis Antistites magnificentissimi, qui illud Joh. XXI. 15. *pasce agnos meos*, & Actor. X. 13. *macta & manduca* ad Petrum Apostolum dictum, ita Hildebrandino sensu sumunt, intelligunt, atque exequuntur, ut sicas parent, venena propinent, pu-

giones & publicos & privatos exacuant, eosque in jugulum veritatis propugnatorum atque etiam Principum, Regum ac Imperatorum curent immergendos! Quin, quod mireris, ad perpetuam curiæ Romanæ infamiam *brevia* concedere solent Pontifices, in quibus licentiam concedunt homicidia privata perpetrandi, ut sublato peccati censurarumque metu jam tutum sit alicui, in sui privati inimici sanguinem grassari, & venenis, insidiis, dolisque ac fraudibus parricidiali odio eum prosequi, atque etiam per manus religiosorum citra pœnam citraque irregularitatem, quos voluerit, trucidare. Exhibet ejusmodi bullam, quam *Breve Apostolicum* appellamus, datam à *Clemente* IIX. An. 1603. *M. Antonius de Dominis* (quem nihil horum latuit,) *de Republ. Eccl.* part.II. lib.V. c. IX. n.21. p.409. quem lege, & scio horrebis mecum ac contremisces. Exemplo esse poterit *Petrus Suavis Polanus*, (sive literis Italicè transpositis, *Paulus Sarpius Venetus*,) quem An. 1623. Venetiis à sicariis confossum fuisse docet *Robertus Iohnstonus*, Rer. Britan. lib. XX. p. 638. dubio procul procuratione Romani Pontificis, adversus quem pro Republica patria calamo militaverat, *Thuan.* Tom. III. Histor. l.137. p.1132. & 1135. Exhibet ejus hac de re tractatus *Melchior Goldastus* in Monarch. S. Rom. Imp. p.286. 481. & 482. Quò accessit *Historia* ejus *Concilii Tridentini*, quæ Pontificiis passim bilem stomachumque movit, ut ex iis, quæ *Tarquinius Gallutius*, *Scipio Henrici*, *Sfortia Pallavicinus*, *Philippus Quorlius* &, si Diis placuisset, *Terentius Alciatus* ex instituto, plurimique alii Papalis culinæ coqui cursim atque incidenter contra illum scripserunt, notum omnibus est. Indeque etiam est, quod in *Indice Librorum Prohibitorum* p.222. legamus: *Folium quoddam continens epitaphium factum sepulchro Fratris Pauli Servitæ, incipiens: Paulus Venetus Servitarum Ordinis Theologus, ita prudens, integer, sapiens*, &c. *tam impressum quam manuscriptum omnino prohibetur.* & p.272. *Vita del P. Paulo dell' ordine de Servi in Leida* 1644. confer quoque p.202. Ferre scilicet Roma non potuit, ut Protestantes in Historia ista, *velut in Specimine artes Curiæ Romanæ & consilia variis in locis Europæ agitari solita intueri possint*, ceu rectissimè Doctissimus *Bosius* de Compar. Prudent. Civil.

vil. Differt. Iſagog. p.27. exiſtimavit. Sunt nihiloſecius inter ipſos quoque Pontificios, quibus hiſtoria iſta *planè incomparabilis* judicio incomparabilis *Conringii* de Civil. Prud. c.14. p.331. (quem & vide in *Præfat. ad viam Regiam Wicelii* abs ſe editam lit.b.3.) non omninò ſordet, ceu liquet ex illis, quæ *Cæſar Aquilinius* de tribus Hiſtoricis Concilii Trid. p.10. *Comes Iulius Clemens Scotus*, (ſi quidem is Pontificius) in notis ſub nomine *Stanislai Felicis* An. 1664. Pallavicino oppoſitis, auctor τȣ *Iournal des Sçavans* An. 1665. p.227. cumprimis verò *Dn. de la Mothe Ioſſeval* Interpres ejus Gallicus in præfatione ſuæ verſionis (cujus præcipua capita recenſent *Actorum Lipſienſium* Collectores An. 1684. p. 60. ſeqq.) de eo literis mandârunt. Ut cauſam prorſus non habeamus, cur hîc extimeſcamus indignationem *Spondani*, Continuat. Annal. Eccl. Tom. II. ad An. 1543. n. XII. p.490.a. & poſt ipſum *Maimburgii* Hiſtoire du Lutheran. lib. III. p.230. Conferri in reliquis de *Suavi* & ejus hiſtoria poſſunt *Heideggerus* in Anatom. Concil. Trident. ut paſſim, ita inprimis part.2. p.1264. & 1284. (ubi ejus fidem defendit,) *Mullerus* in Syncriſ. Concil. Nic. cum Trident. p.116. *Hoornbeck* ſumm. Controv. lib. IV. p.209. *Dannhauer*. Myſter. Syncr. p.15. Polemoſoph. p.71. ſeqq. Ilex & obex p.122. *Otto* in Concil. Trident. p.1264. *Degoreus Whear* Relect. Hiſtor. Sect. XLV. p.276. ex quo conſtat ab *Adamo Neutono* Equite Aurato in Latinum eam verſam fuiſſe, non à *Marco Antonio de Dominis*, ut quidem putârunt *Gerhard.* Confeſſ. Cathol. lib. I. part. I. p.113. D. *Schmid.* de Auguſtan. Confeſſ. Differt. I. §.12. p.14. *Mares.* in Anti-Chriſt. Revel. lib. II. p.14. ſeqq. *Moguntini* in Iren. Cathol. adv. Calixt. p.65. *Carpzov.* Colleg. Antip. Diſp. I. §. 6. multo minus ipſum *M. Antonium de Dominis* ſub *Petri Suavis Polani* nomine latere auctoremque Hiſtoriæ eſſe, ut creditum ab *Hulſemanno* in Manual. Aug. Confeſſ. Diſp. XXII. p.1550. quem *Calixtus* decepit, vid. ejusdem *Vermem Calixtin.* p.486. Terruêre infelicia *Pauli Sarpii* veſtigia *Edmundum Richerium* Doctorem & Syndicum Sorbonicum, de quo in monito ſuper nova editione Teſtamenti illius, (quod habetur poſt librum ejus tertium inſcriptum: *Vindiciæ Doctrinæ Majorum Scholæ Pariſienſis*) refertur, *quod non*

ausus fuerit à Collegio suo egredi, ne violentas manus illi inferrent satellites insidiarii Romanorum Asseclarum pretio conducti; quippe quos libello suo *de Ecclesiastica & civili potestate* An. 1611. edito mirum quantum offenderat, adeo ut *Dionysius Petavius* Theolog. Dogmat. Tom. III. lib. III. de Eccles. Hier. c. 14. p. 879. *novæ ac pestilentis doctrinæ semina eum sparsisse* non vereatur asserere. Utinam & *Sarpium* vestigia *Iohannis Diazii* terruissent, quem (ô nefas!) Frater *Alphonsus Diazius* Curiæ & nequitiæ Romanæ Advocatus, quod agnitam Evangelicam veritatem abnegare recusaret, An. 1546. nefandissimo modo per alium necari curavit, ipse olim in inferno perpetuis cruciatibus eneccandus, nec tamen moriturus. Vid. *Sleidan.* Commentar. Stat. Relig. lib. XVII. p. 492. & *Thuanum* Histor. lib. II. p. 32. *Osiandrum* Epitom. Histor. Eccl. Centur. XVI. lib. II. c. 56. p. 370. Meminit quoque illius historiæ, sed satis frigidè *Maimburgius*, Histoire du Luther. Tom. I. lib. III. p. m. 302. Hi scilicet fructus sunt istius sectæ hominum, quæ Legem Corneliam *de Sicariis* spernere docet! Plura non addo, ne videar post *Homerum* Iliada, post *Vossium* Aristarchum, & post *Grotium* scribere velle de jure belli ac Pacis.

§. XLVII.

Revertor eò, unde digressus sum, atque pro veritate *intoxicationis Henrici* appono conjecturam, cujus ipse ego auctor sum atque inventor, indeque pro oraculo venditare eam nolim aut alicui obtrudere. Fuit scilicet, cum ante duos annos studiorum gratiâ *Argentorati* degens, * magnam, quæ illic est, & in toto orbe celebrem turrim comitibus nonnullis amicis conscenderem, & in ea parte, quæ supremæ proxima est, inter alias lapide expressas effigies, duas deprehenderem sese mutuò respicientes, quæ quantum rerum edax vetustas conspicere in iis permittebat, signare mihi videbantur *Henricum* Imp. atque ipsius hostem Monachum *Dominicanum*: Exhibet enim altera simulacrum Viri diademate insigniti,

 quem

* Cedit ei octodecim pedum altitudine turris *Viennensis*, de cujus structura lege *Cuspinianum* in Austria p. 66. Res certè admiratione digna, opus id hominum fuisse, digniorque omninò, quam veterum *turres portatiles* atque *ambulatoria*, quas Galli atque Indi apud *Cæsarem* & *Curtium* divinum aliquid rati, nescio quomodo admirati fuerunt. Vide *Lipsium* in Poliorcet. lib. II. Dialog. IV. p. m. 85. ubi illarum figuræ exhibentur.

quem Cæsarem ego interpretor, altera Monachũ Cucullatum manu hostiam (vel saltem simile quid) tenentem, quo F. *Bernardum* indigitari puto, bene an minus arbitriũ illos penes esto, quibus conjecturã istam exiguo admodum precio vendo. Illud minimùm ex temporũ illorum historia constat, partis illius, in qua statuæ istæ habentur, ædificationem atq; exornationẽ in *Henrici* VII. tempora incidisse, quo de *Iacob. Regiovillanus* in Chronico MSS. Argentorat. c. V. f. CCXL. his verbis testatur: Do noch (post Annum Christi MCCLXXV.) über zwey jor an sant Vrbantz tag / do ving men an zu machende den nuwen turn des münsters wider die Bredigen / und wart vollebracht vntz an den Helm nach Gottes Geburt drizehen hundert * sehtzig und fünff Jor. Quam facile igitur fieri potuit, ut Tribocci sive Alsati, tantum tamque execrandum scelus Germana integritate detestati, in perpetuam gestæ rei & fidei atque amoris sui erga Cæsarem memoriam, hoc monumentum ibidem ponerent. Magnum apud eos atque in veneratione positum *Henrici* nomen fuisse, dictus Historicus satis indicat, quando eum aliquoties in perbrevi sua narratione laudat, dicitque: Dirre Keiser was ein guter seliger vorhtsamer man / devon schuff er mit sinen briefen me dan manig Künig mit Gesetzede. & iterum. Wanne er was ein gerechter man und hette Gotisdienste liep und die Pfaffheit. Commemorat ibidem quoque, qua magnanimitate *Henricus*, cum in Alsatiam perveniret, *Argentoratensium* ad se missos Legatos exceperit, quæ ferente sic occasione & quia non injucunda sunt, simul hîc adjicio: Do noch kam er gen Stroßburg und für zu hant dovon: Do schicketent die von Stroßburg ire erbern botten zu dem Künige das er in ir friheit solte bestetigen. Do die botten zu dem Künige koment und sprochent/unser Heren von Stroßburg hant uns zu uwer Gnoden gesant/ das ir innen ir friheit bestetigent / also uwer vor dem habent geton. Do wolte in der Kunige kein Antwort geben / weder zu Spire

* In *Stumpffii* Chronic. Helvetic. lib. II. cap. 30. p. 70. numeratur annus 1305. uti & in *Bernhardi Herzogii* Chronic. Alsat. lib. VIII. c. 13. p. 110. sed suspicor notam senarii 6. conversam typothetæ vitio fuisse in ἀσύμβολον signum. o.

Spire noch zu Stroßburg. Do furent die Botten dem Kunig nach untze gon Colmer / do wordent sie underwiset von eime dem Kunige heimeliche / was das sie dem Kunige nit soltent die von Stroßburg ir Heren nennen. Als gingent die Botten aber für den Kunig und sprachent: Gnediger Herre uwer Burger und Diener von Streßburg hant uns zu uwer gesant um ir friheit bestetigen. Do sprach der Kunig / ich wuste nit / was Heren ir meindent / do ir sprechent / ir werent der Herren von Stroßburg botten. Aber sit ir außsprechent / ir sigent unserer Burger Boten von Stroßburg / die kenne ich wol / man sol uch tun / das ir gefordert hant. Also wurdent die Botten wel usgerichtet. Citat etiam hæc ex Regiovillano *Bernhard* Hertzog in Chronic. Alsat. lib. II. c. 37. p. 58. & 59. Cui latina placent, audiat idem ex *Cuspiniano* de Cæsaribus p. 362. sequentibus verbis: *Mirum in modum exosam habuit* * *superbiam, eamque quoad licuit semper detestabatur. Venerant ad eum Spiræ Argentinenses cives, privilegiorum suorum confirmationem petentes, ac se missos à Dominis Argentinensibus longo verborum ambitu narrantes: quos derisit, nulla eos responsione dignatus, donec se submitterent, ac se non Dominos sed cives Argentinenses testarentur.* Confirmat id quoque *Albertus Argentinensis* seculi XIV. scriptor, & cui res non poterat non nota esse, in Chronic. *Tom. II. Scriptor. Vrstis.* p. 115. Cæterum non absurdum alicui videri potest vel debet, *Argentoratenses* tenebris Papalibus adhuc immersos, tale quid in contumeliam *Dominicanorum*, qui & ipsi *Argentorati* tunc temporis templum ac Monasterium habuerunt, turri suæ apposuisse: Sive enim unius aut paucorum Sociorum scelus totum ordinem infamare non posse crediderunt, sive de facti veritate certi fusque deque habuerunt, quod Fratres *Dominicani* contradicturi erant, sive hi in tanta veritatis luce nec voluerunt nec potuerunt impedire, ut Statuæ illæ non erigerentur, sive denique Cives *Argentinenses* eo illas sculpi atque affigi curârunt tempore, quo cœtus istius homines urbe exulabant, quod contigit

* Unde & *Pignorius* in spicileg. ad Albertini Mussati Historiam p. 5. b. *Argentinenses superbos* appellavit. Lege etiam, quæ *Melchior Goldastus* habet. Tom. I. *Constitut. Imperial.* ad an. 1308. p. 318.

git tempore *Ludovici Bavari* Henrici nostri successoris; sic enim idem *Regiovillanus* in dicto Chronico c. V. fol. CCXLIV. inquit. Jn den Ziten do Keiser Ludewig verbannen ward von dem Bobeste und singen verschlagen wart in allen steten / do men in für einen Keiser het / und die Augustinern und vil Ordente worent one singen uff sübenzehen jor / die Brediger sungent an der ersten vil jore wider deß Bobestes brife und binden noch wolten sie nit me singen. Do sprechent die von Streßburg / sit das sie hettent vorgesungen / so solten sie ouch fürbasser singen / oder aber us der statt springen. Do furent sie aber us der statt und liessent ir Kirche leer ston wol fierde halp Jor / alse devor by demselben Keiser geseit ist; (cap. nimirum II. fol. CXI. unde repetiit *Bernhard* Hertzog Chronic. Alsat. lib VIII. c. 16. p. 116.) Quo pertinet, quod idem auctor *folio praecedente CCXLIII.* narravit, *Dominicanos* etiam An. 1277. ab *Argentoratensibus* urbe fuisse pulsos, quia noluerint renunciare paternis hæreditatibus: daß sie möchtent / ut verba Historici habent, ere Vater unt Mutter und Frinde erben als obe sie nit * Münche werent / &c. Ut adeo novum

* Occasio hic daretur disputandi de *paupertatis* voto, quo ut alii monasticen professi ita & præ cæteris, *Dominicani* conscientias maculant, quippe quibus sub maledictionis pœna ab ordinis auctore *Dominico* injunctum est, *nihil terrena substantia possidere*, vid *Spondan.* Tom. I. *Continuat. Annal. Baron.* ad An. 1220. n. VII. p. 78 a. quoniam ipse paupertatis amantissimus fuisse fertur apud *Odoricum Raynaldum* Annal. Eccl. Tom. XIII. ad An. 1219. n. 53 pag. 298. b. Sed latus est iste campus, & alias non diu sanctionis parentis memores fuerunt filii degeneres, quemadmodum ex querelis *Antonini* videre est *Chronic. part. III. Tit XXIII. c. 4. § XIII. p. 625. b* *Quid diceret Pater Sanctus,* (Dominicus) *si nunc attenderet ad Ecclesiam & domos & cellas fratrum ampliatas, testudinatas, in cœlum elevatas, in sculpturis & picturis curiosissimè ornatas, in paramentis aureis & purpureis copiosas supra cathedrales Ecclesias: in vestibus Fratrum, in lectis eorum pompas Dominorum excedentes, nec ab esu carnium abstinentes cum sani sint & robusti, nec jejunia non solum Ordinis sed nec Ecclesia servantes, non solum in communi sed in singulari possessiones & reditus habentes, &c. Quid Pater sancte diceres de his? Non sunt ea qua dicta sunt opera Dominici sed opera patris Diaboli.* Unde & *Concilium Tridentinum* sess. XXV. cap. 3. Monachorum Regularium votis satisfacturum *bona immobilia possidere* illis indulsit, quo de disputata multa inveniuntur apud *P. Suavem Polanum* Histor Concil. Trid. lib VIII. p. 289. Ex quo, quantum *Lancelottus* fallatur cognoscere est, quando *Institut.* lib. I tit. XXX. §. 14. scribit: *Abdicatio proprietatis adeo est annexa Regula Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere* Confer *D. Ziegleri* notas ad illius Institut. p 288. De toto hoc negocio perplura *M. Antonius de Dominis* disseruit, part III. de Rep. Eccl. lib IX c V. § 51. seqq ex quo facetum illud, quod §. 62. p. 47. ex *Vitis Patrum* adduxit,

una-

vum aut insolitum non fuisset, si *Argentoratenses* simile quid conando eorum iram atque odium parvi pependissent. Præterea non unum hoc est & solum, quod in splendidissimo isto ædificio adversari Papismo deprehenditur. Reperiuntur alia adhuc, unde colligas, templi turrisque ædificatoribus multa in Papatu haud quaquam placuisse. Sic etiamnum ibi visitur in summi templi circuitu superiore ex adverso suggesti, (ubi quædam nobilium insignia affixa pendent) Papisticæ superstitionis, in celebratione *missæ* obviæ, adumbratio lapideæ columnæ incisa, quam en describo: *Sus* & *hircus* in posteriores erecti pedes, *vulpem* dormientem in feretro gestant, quasi funere elaturi. Pone suem *Canis* incedit partes illius pudendas attrectans. Pompam funeralem *ursus* ducit, aquam consecratam urceo portans. Ejus premit vestigia *lupus* Crucem ferens, quem proximo gradu *lepus* sequitur cum Cereo. Post vespillones bajulos à tergo *Asinus* incedit, ad altare missæ sacra faciens. Claudit agmen *asinus* alius auribus prælongis ore in librum, quem prioribus amplectitur pedibus, sedulo intentus sed labris destitutus: Librum tandem istum *Cattus* tenet quasi sociam asino operam præstiturus. Messificis istius Asini D. *Dannhauerus* Clarissimus quondam Argentoratensium Theologus passim in scriptis suis meminit. vid. *Hodomor. Spirit. Pap.* part. prior. p. 231. *Lact. Catechet.* part. VIII. p. 145. *Panegyr. Vran.* p. 84. *Epistoliogr.* p. 522. &c. Qui *Argentorati* non fuit, quemque ire eò alia impediunt, videre totam Comœdiam potest imaginibus expressam apud *Wolffium* in Lection. Memor. Tom. I. Centen. XIII. p. 552. seqq. Explicationem verò illius leges apud *Edonem*

 Neu-

transcribere rei jucunditas me non tam monet, quam movet cogitque: *Quidam Peregrinus Pater venit ad Abbatem Sylvanum in monte Syna, & vidit, quod fratres operarentur, & dicit eis: Quare operamini escam quæ perit? Maria autem optimam partem elegit. Tunc senex dicit discipulo suo Zachariæ: Da illi codicem ut legat, & mitte illum in cellulam, quæ nihil habet. Hora autem nona circumspiciebat frater ille viam, si forte vocaret eum senex ad comedendum; postquam autem transiit hora nona, venit ad senem dicens ei: Nunquid hodie non comederunt fratres Abba? Cumque senex fateretur, ait ille: Quare me non vocasti? tunc dixit ei Abbas Sylvanus: Tu homo spiritualis es, & non habes necesse hanc escam, nos autem tanquam carnales, opus habemus comedere, ideo operamur, tu autem optimam partem elegisti: legis enim quotidie, & non vis carnalem escam accipere. Quod cum audisset, cœpit pœnitere & dicere, indulge mihi Abba. Tunc respondit illi Sylvanus: Ergo necessaria est Martha Mariæ, propter Martham enim & Maria laudatur.*

Neuhusium Sacr. Fatidic. lib.II.p.426. itemque *Oseam Schadæum* in eleganti libello, quem *de summo Argentoratensium templo* edidit pag. 57. Fuit etiam olim in ipsa templi cathedra, ex qua verba ad populum fiunt, lapidi incisa Monachi effigies sub Monialis cujusdam sublonga veste delitescentis, quam verò, quod offensioni esset, piissimus *D. Johannes Schmidius*, Conventus Ecclesiastici ibidem Præses rogavit uti abraderetur, quod quoque factum fuit, quemadmodum vestigia clarissimè ostendunt. Plura credo observarentur ejusmodi monumenta, si quidem de statuarum in illa turri conspicuarum significatu, aut illorum, qui non perituri operis auspices fuerunt, mente ac consiliis rectius nobis pleniusque constaret, uti quidem non constare mecum plurimi adhuc alii dolent, queis historia, quæ res in Ecclesia gestas recenset, in delitiis est.

§. XLVIII.

Nullum planè non est, quod certò etiam ex illius temporis historia constat, totum *Prædicatorum* Ordinem passim, atque inprimis in Germania, ob scelus istud à sociis admissum, malè audiisse, multasque vexationes perpessum fuisse. Non id negat *Felix Fabri* ipse Dominicanus in *Histor. Suev.* lib.I. c.14. p.147. edit. Goldast. *Ex hac diffamia venerunt fratres Prædicatores in maximam tribulationem per totam Alemanniam, quia Imperator ille omnibus hominibus gratissimus fuit, & tantam in eum confidentiam habebant, quod nec ante nec post se aliquis credatur mortuus fuisse, quem tantum cuncti plangerent, & ideo in fratrem suspectum & in totum ordinem omnes seviebant.* Ex *Ptolomæo Lucensi* vel ejus minimùm temporis scriptore *Bzovius* in Annal. Tom.XIV. ad An.1313. n.XVII.p.214. hæc citavit. *Prædicatores enim ex hoc multas tribulationes sustinuerunt in Alamannia ex prædicto facto.* Testis etiam est ex seculo XIV. *Joannes Vitoduranus* Franciscanus Monachus, quod *multi suorum* (Franciscanorum nempe) *invidiæ stimulo agitati de Dominicanorum vexationibus lætati fuerint*; qui & ipsi tamen etsi innocentes, similia pati coacti fuerunt, ut ex ejusdem MSS. Historia *Hottingerus* docet, *Histor. Eccl.* part. III. c. XIV. Sect.I. p.749. *Tunc temporis puer ego existens audivi, quod fratribus minoribus, in terminis annonam petentibus,*

multa contumelia irrogata fuerat, & multi terrores, multusque contemtus, quia primò rumor & postea vulgaris exiit de iis, quamvis immunes ab illo immani crimine per Dei gratiam ipsos præservantem penitus fuerint, quod Regem Romanorum veneno peremissent. De eadem vexatione, quam *Fratres Prædicatorii ordinis* experti fuére, testatur etiam anonymus auctor *Chronici Coloniensis Germanici* fol. CCXLVIII.b. **Item um deß Keysers Doit wurden vill Moenich van der Prediger Orden verjaget / und euch eyn Deyl van yren Cloestern verdarfft ind verstoert.** Audi quoque *Hugvvaldum Mutium* in Chronic. German. lib. XXVIII. *Tom. II. Scriptor. Pistor.* p. 219. *Malè post hujus Imperatoris mortem audivit totus Prædicatorum ordo, ut sunt hominum judicia perversa, solent enim stultè propter paucos malos totum ordinem plerumque condemnare. Iohannes Tritenhemius* etsi nobis, ut in secunda sectione audiemus, contrarietur, non tamen inficias it, verum esse, quod alii de persecutione, quam Dominicani perpessi sunt, retulerunt, *Chronic. Hirsaug.* p. 273. Quemadmodum nec *Brovverus* negare id audet, *Annal. Trevir.* Tom. II. lib. XVII. p. 195. a. Confer etiam * *Paralipomena rerum memorabilium* ad Urspergensis Chronicon p. 351. *Multi confratrum ejus ac domus eorum in Tuscia & Lombardia & aliis locis igne & gladio perierunt.* Vero autem haud quaquam simile videtur, proceres Germaniæ permissuros fuisse, ut talia *Dominicani* paterentur, nisi Monachi scelus in aprico nimis positum fuisset. Dices atque objicies, *non semel innocentes in bona causa malorum vexationibus obnoxios fuisse; testari id Patriarcharum atque Israelitarum exemplum; prædixisse suis Christum Ioh. XVI. 33. In mundo pressuram habebitis; expertos fuisse Apostolos, dicentes Act. XIV. 22. per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; sortem hanc Christianorum esse propriam, secundum illud 2. Tim. III. 12. Omnes, qui piè vivere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur; totam denique Christianorum historiam loqui, quid mali Ecclesiæ navicula à ventis & fluctibus persequen-*

* Cujus auctorem nobiscum hoc in negocio facientem, (etsi Manuscriptos atque excuso Veterum Historicorum codices secutum se in fine Historiæ fateatur) nolui supra §. 33. adjicere, quandoquidem Romana sacra detestari visus mihi fuit.

quentium Ethnicorum ac hæreticorum nunquam non excipere coacta fuerit. Non repugnabo, (etiamsi illud discrimen intercedere videatur, quod in *Dominicanorum* persecutione Principes Dominique neutrarum partium fuerint, æquè erga *Dominicanos* atque eorum hostes ante manifestatum scelus affecti, in reliquis non item) modo & *Bellarminus* perperam à se Ecclesiæ notas agnoscat constitutas, *infelicem exitum seu finem eorum, qui Ecclesiam oppugnant, & felicitatem temporalem eorum qui in Ecclesia vivunt.* Vide eum lib. IV. de Notis Eccles. c. 17. & 18. Tom. I. Controv. part. II. p. 282. seqq. qui sui oblitus pòst lib. II. *de gemitu Columbæ* c. 4. Tom. VII. Opp. p. 1595. *Ecclesiam Catholicam, ut veram columbam gementem, dum in exilio sit & in via ad patriam, nunquam à persecutoribus liberam esse, semperque gemitibus opus habere* asseruit, multisque exemplis illustravit; secundum ipsummet igitur Ecclesia Romano-Catholica hac veræ Ecclesiæ nota caret, carebitque *dum in via ad patriam erit.* Desinat etiam *Maimburgius* tantopere in historiis suis de felicibus Regis sui armis gloriari, atque inprimis cesset jactatio ejus, qua *Histoire du Luther.* lib. VI. p. m. 244. & 268. rerum bonorumque diminutionem nostratibus objicit, suæque, id est, Romanæ Ecclesiæ accessiones ac divitias commendat. Neque enim id veræ Christi Ecclesiæ soli & semper competit, neque de nostra etiam negari semper potuit. Vid. D. *Gerhardum* LL. Theol. Tom. V. *de Eccles.* §. 296. p. m. 508. seqq. & §. 299. p. 514. seqq. Licet igitur hæc *Dominicanorum* ordini exitialis persecutio eos, ἀκριβολογεῖν si velis, nec * infamet nec commendet, ita tamen comparata est, ut innocentiæ ipsorum

* Suæ enim piis calamitates sunt, sunt & suæ impiis. Omnibus istud bellum incumbit, nulli longa pax, sæpe vix breves quædam induciæ sunt. Non igitur ad supplicium ita, quod quis patitur, quam ad ejus causam respiciendum est, valetque hic illud *Augustini* in Psalm. XXXIV. Tom. VIII. Opp. p. 177. *Martyres non facit pœna, sed causa. Nam si pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena essent: Omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur, coronarentur. Ergo discernatur causa. Nemo dicat, quia patior, justus sum, quia ipse, qui primo passus est, ideo magnam exceptionem addidit: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. nam multi habentes bonam causam, faciunt persecutionem, & habentes malam causam patiuntur persecutionem,* & quod *de Civit. Dei* lib. I. c. 8. Tom. V. opp. p. 7. paucis effatus est: *Tantum interest, non qualia sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & suaviter fragrat unguentum.*

ipsorum officiat citius quam prosit. Nolo ex *Nihusiana pharetra* illud telum mutuari, quod *historicorum narrationes tum demum obligent, quum populi consensus accesserit*; ex quo necessariò sequitur, nullam historiam veram esse, si populus refragetur, nullam falsam, quam populus probet; Atqui in hac historia populi *Dominicanos* hostiliter insectantis consensus nimis quam manifestus est: sed docuit Germaniæ nostræ Lumen D.*Conringius*, illud *Nihusii* telum obtusum nimis esse, & non ferire, *de orig. Jur. German.* p.260. edit. tert. An.1665. Cæterùm variis adhuc aliis pressi sunt vexationibus *Dominicani*, ut Tolosæ in Gallia An.1235. vid. *Antonin.* Chronic. part. III. Tit. XXIII. c.X. §.4. p.675. *Bzov.* Annal. Tom. XIII. ad illum annum n.IV. p.363. & tempore *Ludovici Bavari*, cui pro Papa *Iohanne* XXII. stantes adversabantur, quamobrem ex plurimis Germaniæ * civitatibus exulare cogebantur. *Idem* Tom. XIV. ad An. 1330. n. XI. p.578. & *Martin. Crusius* Annal. Suev. part. III. lib. IV. c.12. p. 237. Cumprimis An. 1387. Parisiis ob impugnatam immaculatam conceptionem B. Mariæ Virginis aspera in illos ubique persecutio

T ex-

* Ex nostra etiam toto Orbe Celebri *Francofordia*, Anno 1338. pellebantur, & quidem, si *Ioanni Latomo* Decano olim ædis S.Bartholomæi fides adhibenda est, ad XXIV. annorum spacium. vide ejus *Vetustiora quædam acta de civitate Francofurtensi* in Chronico Francofordiensi p.240. Apud *Aventinum* Annal. Bojor. lib. VII p.781. hæc repeti: *Imperator* (Ludovicus) *Francofordiæ hyemat. Dominicani Flaminicas partes, (nam Benedictus Pont. Max. amicus Cæsari erat) deserere, ad Imperatorem desciscere, nisi urbe excedere maluissent, publicè rem divinam facere coacti sunt.* Quæ Aventini verba *Bzovius* non rectè intellexit Tom. XIV. Annal ad An. 1338. num. XXII. p.815 docente ac probante *Hervvarto* in Appendice ad dictum *Bzovii* Tomum ad An. 1338. num. 84. p.150.b. Lucem verò accipiunt, si illis addas, quæ *Nauclerus* habet Tom. II. *Chronic* Generat. XV. p.387. *Nam post publicationem hujusmodi processus die sequenti* (D. IX. August. 1338. Ludovicus) *fecit Prædicatores in* Franckfurt *expelli: Manserunt tamen aliqui mandata Imperatoris observantes.* Quosnam verò Dominicani socios exilii habuerint, ex *Nicolao Serario* novimus, qui Rerum Moguntiac. lib. V p.856. ait, *præter omnes S.Bartholomæi Canonicos (si præpositum Io. Constantiensem cognomento* Unterschaff *excipias) qui suis potissimùm prædiis, villis & decimis a Ludovico spoliati fuerint, Dominicanos etiam urbe statim exactos fuisse, ut & Carmelitas, Franciscanos & Teuthonicos* Quot annos exilium istud duraverit, ex urbis nostræ secreto tabulario certiorem me reddidit, cui cura ejus summo cum Procerum nostrorum applausu commissa est, Dn.Lic. *Antonius Raumbergerus*, qui sequentia ex illo mecum communicavit: An. 1350. tert. Calend Novembr. Monachi *Discalceati*. Anno verò sequente *Prædicatores* & An.1353. prid. Calend. Novembr. *Carmelitæ* divina resumserunt. Pro qua benevola communicatione Celeberrimo Viro, in quo summa humanitas cum multijuga eruditione vere certat, publice hic grates actæ sunto.

excitata est, multi in custodiam traditi, quicunque in publicum prodirent, à vulgo contumeliis & subsannationibus excepti, denegatæque iis eleemosynæ. Vid. *Spondan.* Tom. I. Continuat. Annal. Baron. ad An. 1387. n. VII. p. 636. Et hæc forte sola atque unica fuit, in qua *propter nomen Christi* passiones sustinuerunt, quemadmodum fieri debere *Christus* à suis requisivit *Ioh.* XV. 21. confer *Marc.* XIII. 13. *Luc.* XXI. 12. 17. Intelligitur autem per Christi *nomen*, doctrina de persona atque officio Christi, in verbo Evangelii hominibus proposita, (quemadmodum Actor. IV. 18. V. 28. & 40. Pontifices & Pharisæi Apostolis vetabant *loqui in nomine Iesu*, id est prædicare & spargere semen doctrinæ de Jesu) itemque honor Christi, juxta illud Psalmi XLVIII. 11. *Secundum nomen tuum Deus sic & laus tua in fines terræ*, Esa. XLII. 8. *Ego Dominus hoc est nomen meum gloriam meam alteri non dabo*, (nec *Mariæ* etiam, ut gloria gaudeat non maculatæ conceptionis & nativitatis.) Dices forte cum *Costero* meditat. I. Concept. B. Virgin. aliisque Pontificiis apud *Rivetum* Apolog. pro sanctiss. Virg. Mar. lib. I. c. 4. p. 25. hoc ipso per *Dominicanos* non parum *honorem Christi* labefactari, quandoquidem *matris ignominia* (peccato inquinata conceptio) *in filium redundet*; Quemadmodum etiam * *S. Augustinus* lib. de Natur. & Grat. c. 36. Tom. VII. Opp. p. 506. eam ob rem certi quid definire noluit. *Excepta*, inquiens, *Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccato agitur habere volo quæstionem:* Facilis sed erit responsio: Sapere illud est *non ea quæ DEI sunt, sed quæ sunt hominum* Matth. XVI. 23. Ait ast Deus noster apud *Esaiam* c. LV. 8. *Non cogitationes meæ sunt, ut cogitationes vestræ, neque ut viæ vestræ, viæ meæ, dictum Iehovæ?* Quod probè in ipsa hac materia *Epiphanius* observavit, Hæres. LXXIIX. quæ est *Antidicomarianitarum* Tom. I. Opp. p. 1053. μὴ τὰ ἑαυτῶν εἰς τοὺς ἁγίους ῥίψωμεν, μὴ δ᾽ ἀφ᾽ ἑαυτῶν τὰ τῶν ἁγίων διασκεψώμεθα: *Ne quæ nostri propria sunt in Sanctos proferamus, aut ex nobis ipsis, quæ ad eos pertinent, metiri velimus*, Honor iste ex præscripto divini verbi definiendus est, quod canon est & sola regula, *juxta quam incedere*

* Ad quem *Augustini* locum quid responderi debeat, vide apud *Hogelium* de immaculata conceptione solius Christi lib. III. c. 2. p. 387. seqq. & *Reiserum* in Augustino Vindicato p. 805.

dere (in verbis & operibus) *debemus* Gal. VI. 16. Legimus autem Rom. V. 12. *omnes homines* (solo Christo θεανθρώπῳ excepto 2. Cor. V. 21.) *peccato originali obnoxios in Adamo esse factos.* Deprehendimus etiam Luc. I. 47. ab ipsa virgine Christum σωτῆρα vocari: Atqui ut sanis opus non est * medico, ita nec B. *Virgini* peccato non contaminatæ, *Salvatore* Matth. IX. 10. qui *Jesus* & *Salvator* appellatus fuit, *quia populum suum salvum facere à peccatis debebat.* Matth. I. 21. Quod si Christi honorem extra scripturam ad humani ingenii modulum metiri volueris, dicendum erit pertinuisse etiam ad honorem Christi, nasci ex matre immortali, aut quæ ab angelis ortum suum traheret, ex avo item atque avia nulli labi obnoxiis; Quin sic tota genealogiæ Servatoris nostri arbor continere nihil nisi magna splendidaque nomina deberet: Quid verò fiet cum *Thamare* Judæ nuru, *Raab* Davidis atavia, ipso denique *Davide* homicida atque adultero? Satis est honoris, quod filius Dei matrem suam, quæ ex Adamo juxta communem hominum sortem oritura erat, elegerit, ut Mater Dei fieret & θεοτόκος. Taceo reliqua, revertorque ad institutum.

* Medicos etiam à Veteribus σωτῆρας *Servatores* dictos fuisse, auctore *Suida* constat in Jacobo Medico Damasceno. Vid. *Filesac.* Select. lib. I. p. 308.

§. XLIX.

In limine primæ sectionis constitutus observo adhuc, *Henricum VII.* nec solum esse, nec primum, qui nefando hoc modo è vivis sublatus est. * Alia quoque præstò sunt exempla, quorum quæ & quot apud Veteres invenerim, paucis recensebo: Quæ enim silentii nox & tenebræ abscondunt, difficile admodum est, & sæpe quoque impossibile ἐρευνᾷν, præsertim die veritatem aperire non valente. Qualia utinam plurima scelera in infantibus, inprimis recens natis, commissa in ** Monachorum claustris non abscon-

 deren-

* Benignâ interpretatione excusandum est, quod *Jacobus Wimphelingius* in Epitom. Imperat. c. 43. Tom. I. script *Schard.* p. 380. & *Johannes Aventinus* Annal. Bojor lib. VII. p. 746. & si qui alii, *novo atque inaudito exemplo* Henricum interfectum fuisse scripserunt.

** Audi *Udalricum* Augustanum Episcopum ex epistola ejus ad *Nicolaum* Pontificem *ignorant enim, quod periculosum hujus heresis decretum à Sancto Gregorio factum, condigno pœnitentiæ fructu postmodum ab eodem sit purgatum. Quippe quum die quadam in vivarium suum*

derentur! Antiquiſſimum verò, quod reperio, *intoxicationis* exemplum eſt Papæ *Victoris* II. qui A. MLIV. ſimili modo *Hildebrandi* fraude necari debuerat, ſi non necatus eſt, ut *Benno* Cardinalis expreſſis verbis teſtatur, in *Vita Gregorii VII. Papæ* p.98. Ex quo explicandi reliqui videntur, *Lambertus Schaffnaburgenſis* Monachus Hirsfeldenſis in Moguntina diœceſi, *Chronic.* ad An.1054. p.161. edit. *Piſtor.* & Tom. I. Scriptor. *Schard.* p. 710. *Bertholdus Conſtantienſis* Chronic. ad dict. An. p.341. edit. Urſtis. *Conradus Urſpergenſis* in Chronic. p.218. *Auctor Compilationis Chronolog.* p.735. Ex recentioribus præter alios evolve *Baronium* Tom. XI. Annal. ad An.1055. n. XXIIX. p.241. *Starovolſcium* Epitom. Concil. lib.19. p.273. *Ricciolium* Chronolog. Reform. Tom. II. p.141.a. *Cabaſſutium* Notit. Eccleſiaſt. Synopſ. ſecul. XIV. p.480.a. Secundum exemplum Papa ejusdem nominis, *Victor* nempe III. ſuppeditat, qui An. M LXXXVII. * veneni in calice Euchariſtico accepti vim pariter eſt paſſus. Narrant id de illo *Bertholdus* presbyter Conſtantienſis Tom. I. ſcript. *Urſtis* p.360. *Helinandus*, & ex eo ut ſolet (vid. *Voſſium* de Hiſtor. Latin. lib.

ſuum propter piſces miſiſſet, & allata inde plus quàm ſex millia infantum capita videret; intima mox ductus pœnitentia ingemuit, &c. Exhibet integram epiſtolam in lingua Germanica *Melchior Goldaſtus* P. XIX Reichs Händel t. 1. p.766. in Latina *Georgius Calixtus*, Vir hiſtoriæ omnis ſed maximè Eccleſiaſticæ peritiſſimus, in appendice ad ſuum *de Conjugio Clericorum* eruditum tractatum, cujus etiam confer. p.503 (ubi tamen ad *Vasquezii* conſenſum, hoc quam maximè invito & reluctante, fruſtra provocavit. Conf. *Reiſeri* Auguſtin. Vindic. p 251.) Meminit iſtius etiam epiſtolæ *Lutherus* noſter in aureo ſuo Commentario in Gen c. IV. Tom IX. Opp. Altenb p.114 ſimileque aliud exemplum, quod ſuo tempore contigit, commemorat Affert plura D *Hoe* in Comment in Apocal lib. IV. cap.14 p 440. & D. *Gerhard.* in LL. Theol. de Miniſt Eccl. §.339. Tom. VI p.202. & Tom. VII. de Conjug. §.539 p 306. Merentur etiam, ut conferantur, quæ ex *Ioſcelino* in Epiſcoporum Vitis p. 210. illuſtrando huic *Udalrici* memorabili loco *Paulus Colomeſius* retulit, in *Opuſculis* c 26. p 59. Num iſta *Udalrici* Epiſtola genuina ſit, in dubium vocat *Iohannes Schilterus*, Vir excellentis ingenii & in omn. eruditionis genere admirabilis, idemque magnus meus fautor, in eruditiſſimo opere, quod *de Libertate Eccleſiar. German.* inſcripſit lib. III c. VI. §.7. p.340. Cur illam Tridentinorum & Hiſpanorum indices expunxerint, revelat *Dallæus* de vero uſu Patrum lib. I. c. 4. p 106. Confer plura de iſta *Udalrici* epiſtola apud D *Hopffnerum* Saxon. Evang. ſect. II. part. IV. c.12. p.500. & *Ioh. Henricum Hottinger.* Hiſtor Eccl. ſec. XVI. P. IV. p 1123.

* Non adverſatur huic, quod quidam Veterum, nominatim *Sigebertus Gemblacenſis* in Chronic. p 606 *Otto Friſingens.* Chron. lib. VII. c.1. p.129. *Matthæus Weſtmonaſterienſis* in floribus Hiſtoriarum ad An 1084. p.229 Victorem *ex dyſenteria* periiſſe affirmarunt, quemadmodum in ſecunda ſectione mox docebimus, quo ob argumenti ſimilitudinem negocium hoc amandamus.

lib.II. c.55. p.445.) *Magni Chronici Belgici* auctor p. 127. *Martinus Polonus* in Chronic. summor. Pontific. ad An.1087. & qui eum citat *Ptolomæus Lucensis* Annal. ad An. 1087. p.35. *Iacobus à Konigshoffen*, cujus in Chronic. MSS. c.3. fol. CLVII. hæc invenio verba, quæ quia liber nondum lucem vidit, huc adscribo: *Victor* der III. was Bobest ein Jor und XVIII. Wuchen/ diesem wart vergeben mit vergifft in eine Kelche über Alter / daß er starp zu hant noch Gottis Geburt CIↃ LXXXVIII. Jor. Adde *Felicem Fabri* in Histor. Suev. lib.I. c.XIV. p. 147. *Trithemium* in Chronico Hirsaug. p.107. *Cranzium* Metropol. lib. IX. c.I. p.232. *Sabellicum* Opp. part. II. Ennead. IX. lib.3. p.678. Plures alios mihi non visos *Sandius* citavit, in Notis & animadv. ad Vossii librum de Histor. Lat. p.195. & 196. quem vide. Tertiò *Henricum* seu *Guilielmum* (utroque enim nomine appellatum invenio) *Archi-Episcopum Eboracensem* An. 1154. idem mortis genus subiisse, invenio apud *Rogerium de Hoveden* scriptorem Anglum coætaneum *Annal.* part. prior. paginâ (inter scriptores Rerum Anglicarum An. 1601. Francofurti editos) 490. *Eodem Anno* (1154.) *Willielmus Eboracensis Archi-Episcopus in sedem suam honorificè est susceptus, sed multo post proditione clericorum suorum post perceptionem Eucharistiæ infra ablutiones liquore lethali infectus extinctus est.* Gemina habet Anonymus auctor in *Antiquitate Britannicæ Ecclesiæ & Historia Archi Episcoporum Ecclesiæ Cantuariensis* Londini primum An. 1572. atque iterum An. 1605. Francofurti excusa p.128. Confer de eodem facto ex *Matthæo Parisiensi* & *Iohanne Eversdeno* differentem *Baleum* in Scriptor. Illustr. Britan. part.1. Centur. II. p.178. & 194. Adde *Baronium* Annal. Eccl. Tom. XII. ad An. 1140. n.16. p.305. *Raynerius* Episcopus Magalonensis facit, ut de quarto etiam exemplo nobis constet, quippe qui, testibus *fratribus Sammarthanis* in Gallia Christian. Tom.II. p.590. An. 1248. Id Januar. intoxicatâ sacrosanctæ Eucharistiæ hostiâ sublatus fuit. Verba hæc sunt istorum Fratrum: *Ceterùm inaudito hactenus scelere, intoxicata S. Sanctæ Eucharistiæ hostia Raynerius morte sublatus est Anno* 1248. *Id. Ianuarii, indeque statutum communi Canonicorum decreto in Ecclesia S. Petri Magalon. ut Presbyter sacra-sacrificia*

 pera-

peragens, Diacono & Subdiacono in altari sibi ministrantibus, hostiæ consecratæ fragmentum & sacri Calicis stillam impertiret, ad evitandum deinceps tale sacrilegium. Confer quæ de simili Historia *Sandius* scribit, in *Nucleo Histor. Eccl.* lib. III. sect. VI. ad An. 534. p. 324. Mandaveram jam hæc literis, & in eo eram, ut primæ parti Dissertationis finem imponerem, quum Româ ab amico quodam literæ mihi afferrentur, quas quam avidè resignabam legebamque, tam me reddebant tristem, & in non levem perturbationem conjiciebant, quod ea ex illis intelligere non poteram, quorum causâ tantopere atque inprimis desideratæ abs me fuerant. Nescio enim quî factum fuerit, ut dum ego de *Ptolomæi Lucensis* supra §. 2. adducto testimonio è *Vaticana* Bibliotheca tanti amici ope certo certior fieri putaveram, & tantum non fide divina crediderам, alium planè diversumque locum (forte quod amicus inter plurimas, ut fieri solet, occupationes transmissam sibi schedam amiserat) ex codice *Ptolomæi* manu exarato transcriptum acciperem, qui & ipse tamen (en fati fortunæque fallaciam!) ad præsens caput peropportunè (amici illius judicio) videtur referri posse: *An.* MCCLXXVII. *circa finem anni venerunt Viterbum Philippus Rex Franciæ & Harolus Rex Siciliæ, precarunt Cardinales pro creatione expedienda summi Pontificis. Nunc accidit iste detestabilis casus in dicta civitate; contigit enim quod illuc pervenerat filius Regis Ricardi & Comitis Cornubie nomine* Henricus, *tunc scilicet venit Comes Guido Montisfortis, qui pro Rege Harolo in Tuscia vicarius erat. Audiens igitur de dicto Henrico venit armata manu contra ipsum & vindictam Patris, videlicet Comitis Symonis occisi in Anglia, ut super patet, dictum Henricum occidit in quadam Ecclesia* in manu sacerdotis missam celebrantis, *nec ulla vindicta fuit exercita per dictos Reges, cum eis præsentibus fuerit factum. Sed Deus ipsam postea fecit, quia captus fuit in mari cum gente Regis Haroli & à Rudgeo Dellaria, & in Siciliam deductus est, & fertur mala interemtus morte, sua etiam uxor adulteravit & ipsius comitatus, quem habebat ratione conjugis præfatæ totus est laceratus.* In margine eodem amico indice hæc leguntur: *Occiditur Viterbi in celebratione manibus sacerdotis filius Regis Angliæ, nulla exinde habita ratione justitiæ per Reges.*

Forte

Forte tamen miſſifex ſacerdos non tam cædem ipſe effecit, quam auxilium manuum præſtitit, ne captus *Henricus* aufugeret, ſeque in tanta plebis multitudine clam ſurriperet. Idem *Ptolomæus* alio in loco, nempe in *Annalibus* ſuis ad An. 1270. p. 167. non niſi altaris meminit, juxta quod occiſus fuerit Henricus: *Exiſtens autem comes Guido Montisfortis Vicarius in Thuſcia, & audiens Viterbii, (ubi erat Curia Romana) eſſe Henricum filium Riccardi Regis Angliæ, pro vindicta Patris & fratris, armata manu venit Viterbium & præſentibus Viterbii Rege Philippo & Rege Carolo invaſit dictum Henricum & juxta altare occidit eum.* Finiam hoc caput, ſi prius * inſcriptionem, quæ in ſepulchro *Henrici* VII. Piſano legitur, adſcripſero:

HOC IN SARCOPHAGO HENRICI OLIM LUZELBURGENSIS COMITIS ET POST VII. HUJUS NOMINIS ROM. IMP. OSSA CONTINENTUR: QUÆ II. POST EJUS FATUM ANNO VIDELICET MCCCXV. DIE VERO KALEND. SEXTIL. PISAS TRANSLATA, SUMMO CUM HONORE AC FUNERE HOC IN PHANO AD HUNC USQUE DIEM COLLOCATA PERMANSERE.

* Debemus eam *Cuſpiniano* de Cæſaribus p. 367. ex quo quoque *Bzovius* adduxit Tom. XIV. Annal. ad An. 1313. num. XIV. p. 213. Suſpecta videtur *Brovvero* in Annal. Trevir. Tom. II. p. 196 a. non item *Oſio*, cui in notis ad *Albertini Muſſati* Hiſtoriam p. 18, ſuſpecta potius eſt fides *Franciſci Svveertii*, qui tumulum eundem *in Selectis orbis Chriſtiani delitiis* inter *Piſana* epitaphia p. 337. his verbis attulit. *Hoc in Sarcophago non quidem ſpernendo Henrici olim Lucenburgenſis Comitis, & poſt hac ſeptimi ejus nominis Rom. Imp. oſſa continentur, quæ ſecundo poſt ejus fatum anno, videlicet* 1315. *die vero* 25. *Sextil. Piſas translata, ſummo cum honore fuere, hoc in fano ad hunc usque diem collocata permanſere. Quicquid facimus, venit ex alto.* Retinemus inſcriptionem in textu appoſitam, quam & placuiſſe invenimus *Octavio de Strada* De vitis Impp. p. 456.

:(o):

SE-



SECTIO. II.

§. I.

SEquitur, ut ad alterum non minoris momenti caput, quo eorum, qui hac in historia nobis adversantur, sententia continetur atque expenditur, progrediamur. *Hæc est* enim, secundum *Hieronymum* in c. IV. Epistol. ad Galat. Opp. Tom. IX. p. 349. *conditio veritatis, ut eam semper inimicitiæ persequantur; sicut per adulationem perniciosam amicitiæ conquiruntur. Libenter enim quod delectat auditur, & offendit omne, quod nolumus. Planc olim id est semper veritas odio est,* inquit *Tertullianus* Apolog. c. XIV. fol. 38. *Molesta veritas est, siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ,* ex re & vero dicit *Cicero* in Lælio. Jdipsum verò, dum aggredior, audax & vel Herculeo pectori impar facinus committere videri possim, eo quod examinare velim, quæ eruditissimorum etiam virorum vires atque ingenia sæpe immane quantum exercuere: Videndum igitur quousque possim, si non datur ultra. Minimum id efficere laborabo, ut constare omnibus possit, quam parum hostium nostrorum tela justæ causæ, quam defendendam suscepimus, officiant. In refellendis autem objectis atque conviciis, quæ ab iratis adversariis quandoque profecta sunt, medium tenebo, (ceu fieri par est in palæstra veritatis,) ut nec nimius sim in falsis refellendis, nec parcus fallaxque in veris confirmandis, quoniam & certam culpam tueri altera culpa est, & quascunque demum ineptas cavillationes aut accusationes refutare velle, lectoris esset otio abuti. Si quis etiam omnibus me objectionibus & quibusvis minutiis non penitus fecisse satis existimet, cogitet apud se, tanto difficilius esse respondere quam opponere, defendere quam accusare, quantò facere quam sanare vulnera facilius. Primo autem arma, quæ hostibus nostris communia fere sunt, veritatis gladio penetrare studebo, confutaturus post etiam, quæ unus atque alter sigillatim objicere dignum existimavit.

§. II.

§. II.

Communiter inficiali adversus nos utuntur argumento, quod nonnulli scriptores illius temporis, quique *Henrici* VII. ac *Florentinorum* gesta recensuere, hac de re vel taceant, ut *Iohannes Villanius* & *Leonhardus Aretinus*, vel aliud mortis genus, ex quo *Henricus* VII. obierit, commemorent, ut *Albertinus Mussatus* fecit, quod qualenam sit, age dispiciamus. Nemo non autem videt, copiam Historicorum συγχρόνων quos in præcedente sectione citavimus, numerum tacentium multis parasangis superare, ut necesse non sit Jesuitæ *Azorii* responsionem accersere, quam is in alio historiæ * capite occupatus ad objectum aliorum silentium dedit, *Institut.*

U *Moral.*

* Probare ibi servum Papæ pecus conatur, numerum septem Principum Electorum Papali auctoritate ab Imperatore *Ottone* III. constitutum fuisse, sed sine tali fundamento, cui tuto insistere liceat. Plures enim, quam septem, Imperii Principes ac proceres adhuc post *Ottonis* tempora convenisse, novosque Germanorum Reges elegisse, ex *Ottone Frisingensi*, *Abbate Urspergensi*, *Sigeberto Gemblacensi*, *Lamberto Schaffnaburgensi*, aliisque comprobatum dedit *Onuphrius Panvinius* eruditissimo libro de *Comitiis Imperatoriis* p. 373. Adde *Kœnigii* disputationem, quæ extat in *Goldasti Politicis Imperialibus* p [illegible] Quod argumentum *grave omnino esse & nullo modo à viris prudentibus contemnendum* ipse contrariæ sententiæ patronus Cardinalis *Bellarminus* judicavit, lib. III. de translat. Imp. c. 2. Tom. VII. Opp. p. 389. Nec verior est traditio præcitati *Panvinii* l. c. & ante eum *Aventini* Annal. Bojor. lib. V. p. 509. *Gregorium* X. auctorem septemviralis ordinis dicentium, quandoquidem jam ante *Gregorium* diserta ejus à non uno facta est mentio, quales utique sunt *Cardinalis Hostiensis*, *Albertus Stadensis*, Auctor *speculi Juris Saxonici* &c. Vid. *Conring.* Animadvers. in Bullam Innocentii X. c. 10. p. 352. Similis furfuris est, quæ *Ottonem* IV. apud *Melchiorem Goldastum* Tom. III. Constitut. Imper. ad an. 1209. p. 371. *et Petr. Bizarr.* Histor. Genuens. lib. XXIII p. 554. auctorem allegat opinio, cujus absurditatem ipse *Goldastus* agnovit & fassus est *Comment. de Reg. Bohem.* lib. III. c. 5. n. 9. p. 290. Eo pertinet etiam *Marci Zuerii Boxhornii* sententia, qui *Ludovici* IV. Arnulfi filii ævo institutos Electores credidit *Histor. Univers.* p. 560. Adversus aliam novam sententiam, quam *Baronius* primus omnium Tom. X. Annal ad an. 996. n. 56 p. 1053. proposuit, Septemviratum Electoralem ab *Innocentio* IV. Papa & quidem in Concilio Lugdunensi introductum esse dum statuit, eruditè disputavit *M. Antonius de Dominis* de Republic. Eccl. part. II lib. VI. c. XI. n. 32 p. 832. seqq. Alii aliter de hoc negocio arbitrantur, quorum omnium sententias hic referre inutile videtur. Tutissimum est cum maxima Doctorum parte asserere, Electoralem ordinem tacito quodam consensu Principum Procerumque Imperii enituisse, & paulatim per longam consuetudinem firmatum fuisse, ad quam ipse *Carolus* IV. in aurea bulla (sicut eam *Thulemarius* ex nostro Francofurtensi autographo descripsit, annoque 1682. edidit) cap. I. p. 8. provocat. Et *Principes Electores ad electionem hujus juxta antiquam laudabilem consuetudinem habuerunt proficisci*, cap. II. p. 18 *Et quia de antiqua, approbata & laudabile consuetudine inconvulse, quod subscribitur, semper extitit hactenus observatum*: Cap. IV. p. 21. *Sicut potestatem habuisse*

Moral. part. II. lib. X. c. 3. p. 1025. *plus ponderis & momenti habere communem recentiorum Historicorum sententiam, qui id aperte prodiderunt quam obscurum silentium Veterum historicorum, qui id vel sua culpa omiserunt, vel certe oblivione prætermiserunt.* Quibus igitur fides habenda potius, totine, ut sic loquar, ovium gregi, an verò uni atque alteri degeneri lupo vel capro? Quis me coget, ut istos citius à mendacio absolvam quam illos, quibus cur fingerent, neque amor, neque odium, neque invidia, neque spes alicujus præmii, quibus ad falsa comminiscenda homines impelli solent, causa esse potuit? An quod Itali fuerint, qui omnium optimè de re in Italia gesta scribere potuerint? Ita quidem videri posset, nisi constaret nobis, patriæ amorem apud ipsos veritati ac candori dominatum fuisse. Sic *Albertinus Mussatus* Patavinæ urbi suos debuit natales, cujus cives tum temporis *Guelforum* Anti-Cæsareanæ factioni cum Florentinis addicti (quod non negat *Felix Osius* in notis ad Mussati Historiam p. 140. b. & rectè *Carrionem* refutat *Gibellinis* urbibus eam nexentem) tanti criminis esse maluerunt

buisse dinoscitur ab antiquo, & iterum, *sicut invenimus hactenus competisse*: cap. V. p. 22. *sicut ex consuetudine introductum dicitur* p. 48. *Sicut autem hactenus observatum fuisse comperimus* p. 50. *Invenimus etiam ex clarissimis relacionibus, & tradicionibus antiquorum, illud à tempore cujus contrarii jam non habetur memoria, per eos, qui nos precesserunt feliciter, esse jugiter observatum &c.* ut adeo de certo aliquo initio illustrissimi hujus collegii constare omnino nequeat. Quod etsi *Freinshemio* de Electorum & Cardinal. Præced Diatrib III §. 39. p. 70. non placeat, placuit tamen Celeberrimis Viris, & quorum judicium atque eruditionem longissime anteponas, *Hermanno* nempe *Conringio* in not ad Lampad. part. III. c. 4 §. I. seqq & de Republ. Germ. Disp. V. de septemvir §. 31. *Henrico Hahnio* in tract. de iure Imp. Germ. p. 56. seqq. *Georgio Adamo Struvio* Syntagm. Iur. feudal. cap. III. n. 14. p. 103. *Iohanni Limnao* Jur. Publ. Tom I. lib. III. c. 1. n. 19. p. 5. *Philippo Andrea Oldenburgero* Discurs. ad Instrum. Pacis XIX p. 470. seq *Lud. de Montesperato*, vero nomine *Carpzovio*, Vindic pac. Osnabr. n. XVIII. p. 45. & *ad L. Regiam Germ. c. X. sect.* V. n. 19. p. 246. *Iohanni Strauchio* Dissert. Jur. Publ. Exoter. dissert. II. p. 44. *Caspari Zieglero* de Iur. Majest. lib 1. c 28. §. 3. p. 426. *Severino de Monzambano* dicto aliàs *Samueli Puffendorffio* de statu Imp. Germ. c. IV. §. 3. p. 58. *Arnisæo* de Republ. cap. 6. sect. V. n. 10. seqq. p. 856. *Iusto Gebhardo*, *Ant. Colero*, *Bernhardo Bertramo*, *Iohanni Nordermanno*, quos citat *Hoornbeckius* in Exam. Bull. Papal. p. 237. Adde ex nostris Theologis *Hopffnerum* in Saxon. Evangel. sect II part. 4. c. 1. seqq. p. 303. & 357. & *Nicolaum Hunnium* Innocent. Luth. §. 693. p 444. *Ludovicus Maimburgius* multa quoque nuperrime eam in rem disputavit dans son *Histoire de la Decadence de l' Empire* lib. II. p. 107. non verò acu rem omnem tetigit, ostendente summo Viro *Iohanne Schiltero* de Libert. Eccles. Germ. lib. III. c. IIX. §. 15 p. 384. cui non pœnitebit addidisse *Lehmannum* Chron. Spirens lib. V. c. 17. p. 407.

runt auctores quam videri. Quo digitum responsione sua intendit *I.B.de Rocoles* dans son *Histoire de l'Empire d'Allemagne* p.373.*l'Historien de Padoue Mussat n'avoit garde de choquer les Florentins.* Mirum pariter non est, *Iohannem Villanium* scriptorem Florentinum, & illis temporibus proximum, (quippe qui sub initium *Caroli* IV. Luzelburgici vivere desiit) factum istud silentio præteriisse, quin omni arte, ut memoria rei adeò fœdæ atque ignominiosæ supprimeretur, enixum fuisse; Mirum potius foret, si aliter egisset: *Florentinus* enim cum esset, *Florentinisque* cumprimis imputatum nosset, Monachum eos ad hoc parricidium patrandum induxisse, sibi minimè fas esse norat, crimen Florentinorum propalare, quod & haud quaquam impune fecisset. Tum nec negat, quod alii asserunt, sed de hoc dundaxat silet, quod recitant. Verba igitur ex ipsius Chronico Florentino, *Chroniche Florentine* (Italico enim idiomate exaratum est) lib. IX. c. 51. p. 134. a. sine ulla offensa legere hic poterimus: *la* (à Bonconvento) *aggravo forte & come piacque à Dio passò di questa vita, il didi sancto Bertholomeo Addi* XXIV, *d' Agosto.* Rarum insuper novumque non esset, si hostem cum hic experiremur, quem in pluribus adhuc aliis *Ptolomæo Lucensi*, præ cæteris in hac historia supra à nobis laudato, inique contradicere nimis quam manifestum est. Vide exemplum apud *Blondum Flavium* Histor. Decad. II. lib. IX. p. 345. A. De *Leonardo Aretino* lib. V. Histor. Florent. p. 92. tragicam *Henrici* mortem similiter dissimulante satis erit audire, quæ de ejus & *Poggii Florentini* fide in rebus Florentinorum *Gerhardus Iohannes Vossius* existimavit lib. III. de Histor. Latin. c. 5. p. 558. *Ambo in illis, quæ Florentini foris gessère ita silentio prætereunt magnam eorum partem, quæ pertinent ad intestina odia civilesque discordias & mala quæ inde sunt consecuta. Nempe uti videtur, quia offensam metuerunt eorum, quorum majores reprehendere cogerentur. In quo neglexere historici* * *boni officium:* & quæ

U 2 Nico-

* Neque enim sufficit ἡ ἀλήθεια, sed requiritur etiam παῤῥησία, quam non habuit L. *Cornelius Sisenna*, cum de Syllæ rebus in suis Historiarum libris scriberet. Unde sic de eo *Sallustius* de Jugurthino bello cap. XCV. *Idoneum visum est, de natura cultuque ejus* (Syllæ) *paucis dicere. Neque enim alio loco de Sulla rebus acturi sumus; & L. Sisenna optime*

Nicolaus Machiavellus præfat. in suæ *Florentinæ Historiæ* libros p. 24. scripsit : *Fuisse viros istos in describendis iis , quæ Florentini foris præclarè gesserunt diligentissimos , quoad verò civiles discordias , intestina odia , inimicitias , eaque quæ inde consecuta sunt , eos vel magnam eorum omnium partem silentio præteriisse , vel paucula quædam tanta brevitate attigisse , ut inde in lectorem nihil nec utilitatis nec voluptatis redundare possit , quod quidem factum conjicio , aut quod istiusmodi actiones non ejus momenti esse arbitrarentur , quas memoriæ posteritatique committerent , aut quod eorum offensiones metuerent , quorum majores calamo perstringendi veniebant : quæ quidem causa , quod pace ipsorum dictum cupio , Viris magnis mihi prorsus indignæ videntur.* Hæc *Machiavellus*, qui & ipse tamen lib. I. *Histor. Florent.* p. 37. & lib. II. p. 88. silentio utitur , siccoque rem pede præterit. Commodum in mentem venit *Actii Synceri* epigramma de *Poggio* Florentino , apud *Petrum Opmeerium* in Dedicat. *Chronograph.*

Dum patriam laudat , damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est civis , nec bonus Historicus.

Non repugnabo , si quis eandem de allegatis modo scriptoribus Italis tulerit sententiam. Mutuamur à *Felice Osio* , quod in notis ad Mussatum p. 16. b. de *Vecerio* Lucenburgico dixit : *Aut tale illi dictum condonandum est , & cogitandum ex amore Patriæ promanasse* ; Ita nos silentium istud Italis condonamus , & ex amore patriæ promanasse non cogitamus modo, sed & credimus. Certè non rarum est , Italos in rebus Imperatorum consignandis adulatione , studio ac metu a regia veritatis via deflexisse , libentiusque *Placentiam* quam *Veronam* iter direxisse. *Cuspinianus* jam in libro *de Cæsaribus* odium eorum in *Henricum* VII. notavit, scribens de *Blondo Flavio* p. 362. *Licet Blondus ei nunc avaritiam , nunc stultitiam , nunc fatuitumè & diligentissimè omnium , qui eas res dixere , persecutus parum mihi libero ore locutus videtur* Quantò melius *Otho Frisingensis* Cæsaris nepos, frater , & patruus , si verè de eo *Æneas Sylvius* in Australis historiæ fragmento (quod Historiæ Ottonis præmissum fuit à *Cuspiniano* primo illius editore) scripsit : *Licet fratris nepotisque gesta memoriæ traderet , qui Romanorum Pontificum hostes fuere , ita tamen historiæ legem servasse , ut neque cognatio veritati , neque cognationi officeret veritas.* Antiquorum exempla non affero , ut *Thucydidis* , *Polybii* atque aliorum , quæ *Vossius* attulit de arte historica c. X p. 57.

tuitatem objiciat, ut eſt odium Italorum in Germanos, & p. 367. de Georgio Merula: *Nullo autem honoris titulo tantum Principem dignatur, quam ut ipſum * Barbarum appellitet ſua petulanti lingua.* De ejuſdem *Merulæ* atque aliorum Guelforum calumniis *Felix Oſius* ipſe natione Italus in notis ad *Muſſati* Hiſtoriam p. 75. ait: *Locum his in illo probris & calumniis non fuiſſe, cum ex hoſtium ore prodierint.* Unde etiam Merula *Vir maledicentior & mordacior* audit P. *Pithoeo* in præfatione Chronico *Ottonis Friſingenſis* præfixa, edit. Baſil. 1569.

§. III.

Quoniam *Albertini Muſſati* totiens & ad nauſeam usque in hoc hiſtoriæ capite ab hoſtibus noſtris adverſum nos producti opus, quo *Henrici* VII. geſtas res recenſuit, in paucorum manibus eſt, verbaque ejus mortem Imperatoris deſcribentia multum lucis toti

 Diſpu-

* Eodem modo *Merula* Fridericum I. & *Blondus Flavius* ac *Platina* Fridericum II. pluresque Itali Henricum IV. traduxerunt, quod jure in illis notat *Bernhardus Herzog* Chronic. Alſat. præfat. Non aliter Florentini cives animati erant, quando *Henrici* VII Legatis ad ſe miſſis ſuperbè admodum reſpondebant: *Imprudenter agere Principem, qui Barbaros in Italiam duceret, quam deberet à Barbaris tueri.* Vide *Platinam* de vitis Pontif. p. 250. *Cuſpinian.* de Cæſar. p. 366. *Aretinum* Hiſtor. Florent. lib. IV. p. 86. Animadvertit eundem in Italis ſcriptoribus faſtum *Arnoldus Buchelius doctus Heda commentator* (ita *Conring.* Animadv. in Bull. Innoc. X. p. 311) in notis ad Guilielmum Hedam p. 69. lit. n. *quos*, ſcribens, *Imperatores Barbaros ſæpe ipſi ex Barbarorum face progeniti appellare non verentur.* Rectius ipſi Barbari vocabuntur, cum ſic dicti quondam fuerint, quicunque Romano Imperio non parebant uti patet ex *Canonibus Eccleſ. African.* can. LII. ubi Mauritania, quæ Imperii pars fuerat τῷ βαρβαρικῷ ibidem in Africa opponitur. Et *Concilium Chalcedonenſe* can. 28 ἐπισκόπους τοὺς ἐν βαρβαρικοῖς appellat Epiſcopos omnes extra Imperii Romani terras degentes. Vide plura alia auctorum loca apud *Chriſtoph. Juſtellum* in notis p. 16. Quin ipſa illa *Barbari* appellatio de barbara atque agreſti eorum arrogantia teſtatur, non aliter atque etiam Græcorum olim faſtum prodidit. Nimirum Græcis, ac qui horum imbuti eſſent doctrinis & moribus, ſordebant omnia, quarumcunque etiam ſapientiſſimarum gentium inſtituta & dogmata, eoque devenerant inſipidæ arrogantiæ, ut cum de ſapientia & eruditione humana potiſſimum quæſtio eſſet, totum orbem in duas quaſi partes dividerent τὸ ἑλληνικὸν καὶ βαρβαρικὸν, & ca-tam, doctam, politamque orbis partem ſibi tribuerent, alteram ferocem, rudem, impolitam ſermone quam moribus gentibus cæteris aſſignarent, quas omnes præter ſe appellabant *barbaras*, ne Romanis quidem vel Judæis exceptis. Vide ex veteribus *Strabonem* emendatiſſimum auguſto ſeculo Geographum ac Tiberio Imp. æqualem *Geograph.* lib. XIV. p. 455. ex recentioribus *Caſaubonum* ad dictum Strabonis locum, *Salmaſium* in Oſſileg. p. 353. *Stuckium* in Comment. ad Arriani Periplum maris Eryther. p. 33. *Meurſium* ad Lycophron. Caſſandram p. 143. 204 347. *Cognatum* in Adagiis Variorum p. 372.

disputationi adferre videntur, illa hic expendi; sunt autem p. 93. hæc: *Cæsar apud Senas nil ea parte proficiens, calle altero qui ad urbem vehit digressus iter divertit ab adversa Senarum parte, ubi Ispianum nuncupatur: Et protendit gressum ad Origiam fluvium* XII. *à Senis millibus passuum, ibique æstu itinerisque longi ac velocis labore; defessus respirandi causa, ut se suosque fatigatione recrearet, positis stativis descendit. Ipse autem peracta paulisper cœna perambulans, demum in fluvii ripa consedit, mersis in torrentem cruribus, ubi diu aquæ refrigeratione oblectatus, veluti languore subeunte lectisternium ante solitam abeuntis lucis horam petiit, quietique accommodatus nequaquam sopitus est. Sed prima vigilia sub dextri cruris genu pustululam obortam deprehendit, qua multo dolore cruciatus noctem duxit insomnem: At antequam dimotis tenebris aurora rutilaret pervigilatæ noctis tædio affectus, signo tollendorum castrorum dato consurrexit, & ad Bonconventum contendit, pagum à Senis* XII. *millibus passuum distantem: Ibique gravescente morbo apud S. Bartholomæi Basilicam triduo recubuit. Ubi* VIII. *Septembrias Kal. hora nona ipso S. Bartholomæi festo expiravit. Anno ætatis suæ uno & quinquagesimo, mense uno, diebus* XII. * *Regni sui anno quinto; Imperii vero anno uno, & mense primo*

& die-

* Variè de hoc statuunt Scriptores, neque consensus etiam est inter veteres. *Ptolemæus Lucensis*, vel quisquis auctor est additionis supra p. 5. ex Bzovio adductæ dicit, *Henricum obiisse regni sui anno quinto Imperii autem anno primo, mense uno & diebus* XXIV. Non ita *Benevenutus de Rambaldis* Tom. II. script. Freh. p. 13. *annos*, numerans IV. *menses* IIX. & *dies* XVIII. Aliter *Vecerius* Tom. II. script Urstis. p. 72. *anno, quam imperium accepisset, quinto, mense octavo.* Nec cum hoc consentit *Ravisius Textor*, qui in Officin. lib. II. c. 97. p. 200. *anno Imperii quarto Imperatorem veronum accepisse*, scribit. *Onuphrius Panvinius* de Roman. Princip. lib III p 216. dividit annos regni ejus & Imperii, aitque *eum regnasse & imperasse annos* III. *menses octo dies* VI. *vixisse annos* LI. *menses* I. *dies* VII. Sic & ante cum *Trithemius* in Chronico Hirsaug. p. 271. sensit, nisi quod regnandi vocabulo utrumque complexus sit. Adi quoque *Brouverum* Tom. II. Annal. Trevir. lib. XVII. p. 195. b. Dissensum istum cumprimis causatur discrepantia opinionum, quo anno quove die ac mense *Henricus* electus in Imperatorem & consecratus fuerit, quo de vide *Spondanum* Continuat. Annal. Baron. ad An. 1308. n. VII. Tom. I. p. 366. & inprimis *Felicem Osium* in notis ad Mussatum p. 134. Certissimum dubio procul erit, quod Anonymus & σύγχρονος auctor, qui gesta *Balduini* Henrici fratris recensuit, lib. II. c. 1. Tom I. Miscellan. *Baluz.* retulit An. 1308. D. XXVII. Novembr. *Henricum* Francofurti in Regem Romanorum electum, & die Epiphaniorum sequentis anni imperio inauguratum fuisse. Explicandi inde anni sunt signati in diplomate *Henrici* adversus *Robertum* Siciliæ Regem lato An. 1313. VII. Calend. Maji. quod suum fecit ex *Alberico de*

Rosa

& diebus XXIV. *Triplex illi interitus causa deprehensa est. Una in nate sub genu lætalis ulceris, quod Physici Antras vocant. Altera scissæ abstringuria vesicæ, quo morbo assidue laborabat, Tertia pleuresi, quam misso jam spiritu vomuisse constitit. Admirabilis hæc mortalibus, & veluti fatalis notata loci ac diei intervenientium identitas, cui admirationi Corradini destoph adjiciebatur ejusdem sancti Bartholomæi memoranda festivitas, qua & ipse in Italia ab Carolo Rege conflictus capitale post supplicium sustulit.* Discere hinc est, solum atque unum *Mussatum* ex omnibus illorum temporum Historicis esse, cui de moriente *Henrico* ejusmodi narrationem texere in mentem venit. Cæteri omnes, illi etiam, qui de veneno silent, si non ex intoxicatione periisse *Henricum* scribunt, aliud tamen diversumque eunt de morte ejus recensitum. Atqui unius testimonium rejicitur *Num.* XXXV. 30. *Deut.* XVII. 6. c. XIX. 15. *Unius hominis testimonium infirmum est*, ait *Minutius Felix* in fine Dialogi, quem *Octavium* inscripsit: *duorum ac plurium testimonia veritas requirit*, Matth. XVIII. v. 16. 2. Cor. XIII. 1. *Nulla causa est* * *regulariter*, præcipiente *Lancelotto* in Institut. Jur. Canon. lib. III. Tit. XIV. §. 8. *quæ unius testimonio quantumvis legitimo terminetur.* Quis dubitat porro, Dominicanos ob Cæsaris mortem pessimè audiisse, multasque afflictiones fuisse perpessos? Annon ad malum illud avertendum Monachum examinatum, literisque apologeticis instructum fuisse, nobis iidem qui *Mussati* auctoritatem objiciunt? Atqui *Mussatus* ne verbulo ejus rei meminit, quam quæso ob rem, nisi quod planum fit,

Rosate JCto *Goldastus* Tom. I. Constitut. Imp. ad An. 1311. p. 321. itemque *Bzovius* in suis Annalibus ad Annum 1313. n. 2. Tom. XIV. p. 202. & ex his *Hermannus Conringius* de Finib. Imp. lib. II. c. 22. p. 477. seqq. Legitur etiam integrum in Annalibus *Rebdorffiensis* Monachi, quibus *Freherus* illud inseruit Tomo I. scriptor. Germ. p. 413.

* Idem observatur in rebus matrimonialibus, ubi per *unum* testem etsi omni exceptione majorem sponsalia probari nequeunt. Vide ex Jurisconsultis *Brunnem.* Jur. Eccles. lib. II. c. XVII. §. 15. p. 684. è. Theologis *Gerhardum* LL. Theol. Tom. VII. de Conjug. §. 145. p. 78. Quomodo autem quibusque casibus unus testis fidem interdum facere possit, ex *Tiraquello*, *Carpzovio*, *Berlichio*, *Perezio* aliisque explicat seculi nostri Papinianus *D. Caspar Zieglerus* Jur. Canon. pag. 817. quæ vero nos non tangunt, sicut nec nobis efficit, quod *H. Grotius* in notis ad Deut. XIX. 16. ex *Maimonide* docet, unum quandoque testem ad inquirendum, non vero ad damnandum, itemque in pecuniariis apud Judæos sufficere potuisse. Quot testes sufficiant, ut Clericus alicujus criminis convinci possit, variant Canonistæ, ut rara fratrum concordia est. Vid. *Laurent. Banck.* de Tyrannid. Pap. c. X. p. 306. & 307.

ſit, vel *Muſſatum* boni fidique Hiſtorici nomen hac in re non mereri, vel reliquum omne de datis Monacho literis confictum eſſe ac ſuppoſitum, quorum utrumque difficiles nequaquam ſumus ex dicendis poſtea cauſis credere, & non coacti concedere. Sed bene eſt, quod ipſe *Muſſatus* in verbis præcitata ἀμέσως ſequentibus, cujus ſpiritus filius ſit, prodiderit, quæ ita ſe habent: *Cavenda nimis ſacroſancta matris Eccleſiæ offenſa Chriſticolis, cum & hujus prædeceſſorem ſuderit Apoſtolica ſententia Fridericum, in quem cum prole tota velutifulmen jaculata, irreparabile tulit exitium; & hic quoque Henricus ſecundæ pacis vexillo in Italiam auſpiciis ductus Eccleſiæ, quæ voluit, obtinuit, ſimul arridente Fortuna. Verùm mutatis velis, verſis ad oppoſitum gubernaculis, adverſo ſydere ſoluta claſſis profundum oppetiit. Siquidem reſcripti jam ſola mente transgreſſor Apoſtolici, quo inhibitus Roberti regnum invadere, adverſo ferente Spiritu, ſuopte fruſtratus ingenio, adjuratum ſibi Fridericum Siciliæ Dominatorem ad Cathonam Calabriæ Inſulam invadendam, quà ſibi transgrediendi pateret aditus, obſtinata animadverſione præmiſerat. Et hæc quippe deteſtandæ litis exordia, ad totius terrarum orbis ſcandala ſolo advertentis DEI ſopita judicio. Tulere cadaver Commilitones Germani, & ſuperpoſuere lecticæ vivum Virum; ſed ægrum ſimulantes, ſed intolerabiliter olentis in Paganico Senenſe Colonia noctu conſumpto ignibus humore conditas aromatibus in utres reliquias per maritima maturo greſſu ad ſuas Piſas advexere, ubi multo ſuorum luctu ſecus altare Baſilicæ Cathedralis humatus eſt.* Nil dicam de poſterioribus verbis, iisque contenta narratione, cui ſimilem apud neminem ſcriptorum *Muſſato* æqualium reperio, judicium, quod de exceſſu *Henrici* è vita hujusque cauſa fert, ſatis ſuperque *Muſſatum* Paparum mancipium fuiſſe teſtatur. Quis verò ab ejusmodi *iniquitatis ſervo* liberam veritatem expectabit? Quam vapulâſſet Cliens, ſi Patroni honorem, quibus poterat modis, defendere neglexiſſet? Nolo pluribus manes Optimi Principis à *Muſſati* obtrectationibus vindicare, aut lati ab illo judicii abſurditatem plenè detegere, quamque abſonè ex obſequio erga ſedem Romanam proſperum rerum ſucceſſum, vitæque & mortis jura derivet, oſtendere, cum me etiam non monente ipſa legentium juſtum ze-

lum

lum atque indignationem meritam ultrò subeant. *Laurentius Pignorius* in spicilegio ad Mussati Historiam p.30.a. *Mussatum Cæsareanum fuisse Henricoque favisse* dicit, cujus certè veritatem ex verbis istis *Mussati* discere nequeo: Si tamen fuit, non nisi vivente *Henrico* florentibusque illius rebus fuisse, animumque Imperatore vitam cum morte commutante pariter mutâsse crediderim, more * parasitorum omnium communi, apud quos illud *Plautinum* Stich. Act.IV. scen.I.v 16. firmissimi instar canonis obtinet:

Vt cuique homini res parata est, firmi amici sunt: si res lassa labat,
Itidem amici collabascunt. Res amicos invenit.

& quod *Ovidius* cecinit lib.II. Epistol. ex Pont. Epistol III.

Diligitur nemo, nisi cui Fortuna secunda est,
Quæ simul intonuit, proxima quæque fugat.

X En

* Primas eos inter tenere, qui solis sibi *Iesu* nomen contra jus fasque tribuunt, *Iesuitas*, multoties his objectum hactenus fuit. Quod tametsi non repetam, scio tamen mutare & mutari planè in legem penes illos abiisse. Confessi id certe ipsimet Parisiis sunt A.MDCXXVI. quando senatui interroganti: *num summo Pontifici jus in Reges esset?* & quum id negarent, porro urgenti: *quid si Romæ essent sentirent?* Interprete *Cotono* in Parisiensi Provincia societatis primario Viro respondebant: *Mutaretur nobis cum cœlo animus, sentiremus ut Romæ.* vid. *Grammond.* Histor. Gall. lib. XV. p.654. Vates ejus rei fuerat jam An 1604 *Achilles Harlæus* senatus Parisiensis Princeps, quando gravi vehementeque ad *Henricum* IV oratione ostenderat, nunquam fidendum Jesuitis esse, quicquid etiam dicant jurentve, aliter enim sentire illos Romæ & in Hispania, aliter loqui in Francia, & ut in hanc aut illam ditionem demigrent sumere opiniones ac deponere: Nullamque adeo in eorum doctrina certitudinem reponi posse, quæ mutatione locorum mutet, & pro temporis ratione aut bona aut sequior censeatur. Vid. *Thuan.* Histor. lib. CXXXII p m. 1124. Easdem inflabant quondam tibias Episcopi illi ac Cardinales, qui An. CMLXIV *Iohannem* à se paulò ante condemnatum sedi Romani præfecerunt, *changeans d'avis selon la diversité de temps, & tousjours tout prests à faire tout ce qu'on voudroit: mutantes sententiam cum tempore, semperque quod petebatur facere parati*, quemadmodum *Maimburgius* habet, *Histoire de la decad. de l'Empire* lib.I. pag 50 & 53. Similem inconstantiam in *Vincentio Barone* notavit *La[illegible]* part. VI. Epistol. p.408. & in Gallis in universum *Limnæus* notit. Regn. Franc. lib.I. c.3. lit. bb p.4 - *Temporarii*, dicebat quondam *Fridericus* Palatinus ad Fratrem Electorem, apud *Hubertum Thomam Leodium* Annal lib IV, de vit. Frider. II. Elect Palat. p.69. *sunt amici Galli, non perpetui, tam diu servant amicitias, quamdiu ex re sui regni esse intelligunt*, idque apud eos *commune proverbium* quibus sic vel ipsius *Maimburgii* judicio *Histoire du Luther.* Tom II. lib.IV. p.61 Germani hac in parte erunt laudabiliores. Levitatis indicium est, cum hoc quis cupit hodie & cras spernit, hocque probat rursum atque illud damnat. vid. *Lipsium* de Constant. lib.I. c.5. p.8. & 9. *Versipelles* dixeris hujusmodi adulatores eleganti vocabulo, cujusque originis investigatio apud *Plinium* Histor. Natur. lib. IIX. c.22. p.136. perapposite hic evolvetur.

En ego, non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura secunda meis;
Ut fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In mediis lacera puppe relinquor aquis.

Et lib. I. *Tristium* Elegia VIII. (quæ plena ejusmodi querelarum:)

Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis, ut veniant ad candida tecta columbæ;
Accipiat nullas sordida turris aves.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Utque comes radios per Solis euntibus umbra
Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit:
Mobile sic sequitur Fortunæ lumina vulgus:
Quæ simul inducta nube teguntur, abit, &c.

Cujusmodi amicitiam *temporariam* appellavit *Seneca* epistol. IX. p. 400. quem *Seneca* locum dignum ut reliquis arbitror, qui huc transcribatur; *Qui se spectat & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat: quemadmodum cœpit, sic desinet. Paravit amicum adversus vincula laturum opem: cum primùm crepuerit catena, discedet. Hæ sunt amicitiæ, quas Temporarias populus appellat. Qui caussa utilitatis assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumsedet: circa eversos ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, ubi probantur. Hac re ista tot nefaria exempla sunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. Necesse est initia inter se & exitus congruant.* Epicuri dogma erat, amicitiam ob usum fructumque esse; Ast, quæ ad commodum accedit, quæ quid consecutura sit spectat, negotiatio est non amicitia. Reclamabant igitur *Stoici*, & per se amicitiam expetendam esse tenebant, illud tamen præter communem sensum addentes *solum sapientem amicum esse, & amare.* Vid. *Iustum Lipsium* Stoæ admiratorem summum *Manud. ad Stoic. Philos.* lib. III. Dissert. XVI. p. 181.

§. IV.

Nil igitur argumento isthoc suo inficiali hostes nostri lucrantur

tur; quod tantò etiam minoris æstimamus, quantò pluris facimus consensum cordatiorum, iramque *Clementis* Papæ ac Florentinorum insuper habentium, qui mox ab *Henrici* excessu vel palam id asseruerunt, vel saltem tale quid *Henrico* accidisse suspicati fuerunt. Si qui ex Veteribus silentio rem involvunt, quorum exiguus admodum numerus erit, vel partium eos studio abreptos fuisse, vel Ordinis Monachorum *Prædicantium* honori consuluisse, vel denique in dubia & periculi plena re certi quid pronunciare noluisse, dicendum erit. Quis enim, quod magni Principes Virique in dignitate constituti patrant, suis coloribus ausit depingere; nisi si forte sit in finibus hostium aut extra imperii pomœria positus? Et *temporis filia* ideo *veritas* vocatur apud *Gellium* Noct. Attic. lib. XII. c. XI. quod turpia facinora per iniquitatem ævi quandoque obruta, suo tamen tempore erumpant, cum nullo id fieri potest periculo publicantis. Addi ratio potest, quam *Ranulphus Hygden* lib. V. c. 32. * *PolyChronici* reddit in silentio scriptorum de Johanna Papissa: *Propter deformitatem facti hæc historia ab aliis est omissa.* Ranulpho adstipulatur *Martinus Polonus* Chronic. ad An. 855 p. 152. *Nec ideo ponitur in Catalogo sanctorum Pontificum, cum propter muliebrem sexum, tum propter deformitatem facti*, ita & loquuntur *Sigebertus Gemblacensis* Chronogr. ad An. 854. p. 565. edit. Pistor. *Trithemius* in Chronico Hirsaug. ad An. 854. p. 17. Plura certus sum inventuram huc facientia, si loculos scriptorum pro *Johanna Papissa* diligenter excutere vel animus esset, vel etiam materiæ temporisque ratio admitteret. Unum tantummodo mutuari ex illis liceat, quod nempe non omnium ejus ætatis, qua *Henricus* interfectus est, scriptorum, maximam partem Monachorum, monumenta hodie extent, plurimis per bellorum atque incendiorum calamitates absumtis; quod nec, quæ extant, omnia lucem aspexerint, carceresque

* In vero sinceroque Hygdeni manu exarato Codice, cujus plura exempla in Anglia dari *Vossius* testatur de Histor. Latin. lib. III c. 2. p. 532. Extat enim Oxoniæ in Bibliotheca Collegii novi Manuscriptum *Ranulphi Cestrensis* (ita quoque eum in quibusdam codicibus appellari *Seldenus* ait, & cum illo *Sandius* in notis ad Voss. p. 202) ex quo historia Johannæ Papissæ cultro exemta est, teste *Alexandro Coocke* in Johanna Papissa toti orbi manifestata p. 26. (cujus dictum *Coockium* auctorem esse præter *Maresium* Papiss. Restitut. p. 12. D. *Mullerus* docet in Dedicat. sui Anti *Iansenii*.)

Bibliothecarum reliquerint. Lætamur interim impensè, quod ex ipso illo ſeculo, quo ſcelus perpetratum eſt, teſtimonia in * promtu habeamus, queis ſine victas tamen nequaquam daremus manus. Unde enim quincti decimi ſeculi ſcriptores Monachos Clauſtris incluſos & id genus alios homines, vel ipſum factum, vel ſpeciatim homicidæ nomen, homicidiique locum, tempus, occaſionem atque alias περιστάσεις ita exactè, niſi ex libris aut ſermonibus majorum, hauſiſſe exiſtimabimus? Illis videlicet copia fuit auctorum, quibus nos hodie ex parte caremus. *Iohannes de Launoy* inſignis Pariſienſis Theologus ante paucos annos fato functus, Pariſiis An. 1662. elegantem libellum edidit *de Negantis argumenti auctoritate*, in quo multis exemplis, Patrumque ac Conciliorum, ſcriptorum etiam Paparorum dictis propoſitam à *Baronio* Tom. I. Annal. regulam: *Quod a recentiori auctore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris auctoritate profertur contemnitur*, confirmare propugnareque ſtuduit, quocum ut ad exemplum ** *Iohan. Baptiſtæ Thierſii* itemque *Natalis Alexandri* litigare multùm nolo, ita libenter & utraque, quod ajunt, manu explicationem illius amplector, quando in præcitato libro p. 178. quousque ſilentium rejiciendum extendere ſeſe debeat, catholica hac propoſitione ſignificavit: *Ex generali ſilentio, quod ducentorum plus minus annorum æſtimari poteſt, efficax depromitur argumentum*, quam ſuam θέσιν poſtmodum à *Thierſii* objectionibus vindicavit p. 190. Etſi igitur ex quarti atque decimi ſeculi ſcriptoribus non eſſent, qui factum illud commemorarent, cujus tamen contrarium Diſſertatio hæc manifeſtum puto reddit, auctoritas nihilominus eorum, qui ſecuto illud ſeculo vixerunt, deque facti veritate certiores nos fecerunt, ſperni juxta *Launojum* minimè poterit. Liberaliores etiam hac in re ſumus

* Quod cum aliis *Brovverus* veritati noſtræ aliàs periniquus hoſtis non vult nec audet negare *Tom. II Annal. Trevir p. 194. b.* apud quem ideo nil de *Muſſati* aliorumque ſilentio nobis objectum videas.

** Quorum cum illo lites hanc circa rem recenſet *Iournal des ſçavans.* An. 1665 p. 213 & An. 1675 p. 273. *Thierſii* labores adverſus *Launojum* laudat *Franciſcus Bona ſpes* Appendice Apolog. pro Joanne 44. Patriarch. Jeroſ. contra *Chriſtianum Lupum* § 134. p 510. b, quos in mala cauſa præſtaret non laudaſſe.

mus, atque *Georgius Calixtus* in hac palæstra exercitatus pugil præcipit, *de Conjug. Cleric.* p. 475. *Si nullus auctor nisi* αὐτόπτης *vel rei gestæ* σύγχρονος *fidem meretur, & quicquid ad nostram notitiam non nisi indicio scriptorum ducentis annis re gesta recentiorum pervenit incertum est; incerta erit potior pars universæ Historiæ cum Ecclesiasticæ tum Civilis.* Quid dicam de favente nobis *Bellarmino?* Ait is enim lib. II. *de Rom. Pontif.* c. 8. Tom. I. Controv. p. 740. *Respondeo nihil concludi ex argumentis ab auctoritate negativè. Plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus, modo isti non negent, quod alii affirmant.* Et lib. I. de Extrem. Unct. cap. 6. Tom. II. Controvers. p. 1196. *magis credi debet tribus testibus affirmantibus quàm infinitis nihil dicentibus.* Plures scilicet silentii causæ auctoribus sunt, quam divinando sæpe consequi nos possumus. Hunc absterret rei obscœnitas, alterius scopus non fert sigillatim omnia commemorare, est sæpe, qui factum ignorat, nec scire potuit, multos arcet metus & periculum, aliis alia obstaculo esse solent. Egregium de cæteroo usum iste *Launoji* tractatus adversus Papistas disputaturo præstare potest, (quo & nomine impensè commendatur à *Iohanne Dallæo* in præfat. ad librum *de Cultus Religiosi objecto*) quando hi plurimas fabulas ac ceremonias, quas tanquam a Christo servatore nostro illiusque discipulis traditas præceptasque credi à nobis, & cœco assensu recipi postulant, ex vera sinceraq; antiquitate probare tenentur. *Verbi gratia*: quando putidissima illa sed ordini sacro valde lucrosa, & ob id innumeris recentis ætatis auctoribus asseverata fabula de *Lauretano Cubiculo* probanda est ac justificanda, in quo B. Virginem *Mariam* natam, educatam, ab Angelo salutatam, à S. Luca depictam dicunt, & quod Nazarethi per annos mille incolume, invalescente Muhammedana impietate suis fundamentis avulsum tenues per auras terque quaterque ab Angelis bajulatum, in Italia in agro Lauretano Picenæ provinciæ, ubi etiamnum visitur, consedisse fingunt ac * mentiuntur, nullo plane ve-

 terum

* Egregiè *Vdalricus Zasius* JCtus Cæsarum Maximil. I. & Caroli V. Consiliarius An. 1525. de æde ista Lauretana ad Amorbachium scripsit Tom. V. Opp p 178. *Si Theologorum Vulgus cubiculum Virginis toto pene orbe circumtulit, per terras, per maria fatigavit, quanto magis diver-*

terum in subsidium vocato auctore, prout ex relationibus *Baronii* Tom. I. Annal. ad An. 9. num. I. p. 96. *Bzovii* Continuat. Annal. Baron. Tom. XIII. ad An. 1296. n. 14. & Tom. XIV. ad An. 1300. §. 25. 26. p. 13. *Ughelli* in Ital. Sacr. Tom. I. p. 831. seqq. nec non *Canisii*, *Turfellini*, *Turriani*, *Angelitæ*, *Richeomi* eam in rem scriptis libris videre est, quorum anatomen habemus apud *Matthiam Berneggerum* eruditissimo tractatu *de Idolo Lauretano Argentorati* An. 1619 edito, adde *Causabon.* Exerc. in Annal. Baron. VII. p. 187. seqq. *Dallæum* de Cult. Relig. Obj. lib. IV. c. 18. p. 682. seqq. *Stoschium* de Præced. p. 89. seqq. *Rivet.* Apolog. pro Sanctissim. Virgin. lib. I. c. 12. p. 54. Quando item divam Virginem *Mariam* Domini matrem, postquam tres dies in sepulchro jacuerit, & corpore & anima sub jubilo Angelorum in cœlum * *assumtam* fuisse cum ex aliis argumentis, tum & [illegible]

diversorium in quo Salvator natus est, peregrinari & tot terrarum spatia permetiri [illegible] *Paulus pericula maris & naufragii diligenter exequitur. Lauretanum cubiculum S* [illegible] *agnoverunt, quod supra Ulyssis errores, si fides sit commentis, fatigatum est. Ego L*[illegible] *Italis relinquo, Virginem in cœlis veneror.* Rectius nos Lauretum credulis Italis [illegible] & Christum cum Patre & Spiritu in cœlis adoramus: ἐν τιμῇ ἔςω Μαρία, ὁ δὲ πα[illegible] υἱὸς, καὶ ἅγιον πν[εῦμ]α προσκυνείσθω. *Sit in honore Maria, sed Pater, Filius, & S*[illegible] *adorentur*, dicimus cum *Epiphanio* Hæresi LXXIX. sive *Collyridianorum*, Tom. I. [illegible] 1064. Quæ *Nicolaus de Brahon* Congregationis Oratorii Presbyter ante hos vigi[illegible] Parisiis in contrarium post nominatos in textu auctores scripsit, tanti non sunt, ut P[illegible] *Vergerium* sequi desinamus, qui edito publicè libro fabulam esse jam olim demo[illegible] *Journal des sçavans* An. 1666. D. IIX. Febr. Tom. I. p. 266 & 267.

* Fabulæ hujus ideo cumprimis meminimus, quia *Henricus* noster in die festo [illegible] *tionis B. Mariæ Virginis* venenum à Monacho accepit, prout Historici communiter [illegible] H[illegible]mus autem hic confitentem reum ipsum *Baronium*, Antiquitatis Ecclesiasticæ ma[illegible] mum he[ll]uonem, Tom I. Annal. ad An. 48. §. 9 Tom. I. Annal p 467. *Quæ ad hanc histo-riam pertinent, neque ex Canonicis scripturis, neque ex antiquorum Patrum testi*[illegible] *rari possunt.* Eodem modo ante Baronium *Fulbertus* ait, (si ejus est homilia illa XXXV de [sa]nctis apud *Augustinum* Tom X. opp. p. 852.) *Quo ordine hinc ad superna transierit re*[illegible] *nulla Canonica narrat historia. Non solum autem respuere apocrypha, verum etiam* [illegible] *[no]tur hac eadem Ecclesia.* Quod credo *Suarezium* movit, ut in *Thom.* III. *Disp* XXI. [illegible] Sect. [illegible] Tom II. p. 200 negaret, Mariæ corpoream ex hac vita in cœlum [illegible] de[fini]sse, *quia neque sit ab Ecclesia definita, nec sit testimonium script., nec Ecclesiæ* [illegible] *[s]piciens, quæ infallibilem faciat fidem.* Equidem legitur in *Eusebii* Chronico [illegible] Tom II p. 72 b. *Maria Virgo Christi mater ad filium in cœlis assumitur, ut quid*[illegible] *tur fuisse scribunt*, sed non abs re *Suarezius* loc. cit. suspicatur, *ab alio ad*[illegible] *[ad]ditionem*, quodque suspicatur *Suarezius*, idipsum evincit *Eusebii* editio a *Scalig*[illegible] in qua p. 160. & 190. neque Græcè quicquam hujusmodi reperitur, neque La[illegible]

inprimis ex Veterum unanimi silentio rectissimè impugnatur, ceu factum præ aliis eruditè est ab eodem *Launojo* in peculiari tractatu, quem iterata vice *Lutetiæ Parisiorum* sub titulo: *Iudicium de Controversia super exscribendo Ecclesiæ Parisiensis Martyrologio exorta* edidit, & adversus Advocatum quendam nomine *Nicolaum Billialdum* vindicavit. Cujus argumenta si *Petrus Lambecius* & *Franciscus Maria Florentinius* probè ponderâssent, non futurum fuisset, ut diversa ab iis nuper traderent, ille quidem in *Diario Itineris Mariæ Cellensis*, hic vero in annotationibus ad *Vetustius Ecclesiæ Occidentalis Martyrologium* ad D.XV. Calend. Febr. & D.XVIII. Calend. Septembr. Vide cui hæc debemus *Antonium Reiserum* in Launojo Verit. Confess. p.763. Simili difficultate premitur disputatio, quæ *præputium* Christi servatoris in ejus circumcisione amputatum Romæ adhuc haberi adstruit, de qua *Franciscus Collius* in spisso *de Christi sanguine* volumine lib.V. Disp.VII. c.2. p.846. hæc audacissimè scribit: *Constat ac certissima traditione creditur, eam numero membranam, quam infans Iesus nostri caussa in circumcisione cultro abscindendam obtulit, nunc in celeber-*

sit, neque ab *Eusebio* scriptum, neque ab *Hieronymo* additum fuisse, sed à recentioribus derivari, quibus satis frequens omnia contaminare. Quemadmodum & constat, *Chronicon* istud *Eusebii* perplures passum fuisse mutationes, quo de vide *Hanckium* de Byzantin. Scriptor. part.1. c.1. p.87. seqq. Tempore adhuc *Caroli M.* certi nihil definitum fuerat, ut ex illius libro 1. *Capitularium* §.158. liquet, ubi de *festivitatibus in anno* agens *de assumtione*, inquit, *Sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus*. Donec An.813 Episcopi in Concilio Moguntiaco congregati, festivitatem eam in catalogo reponendam esse dicerent. Vid *Steph Baluzii* notas in Capitular. p.1171. Liber *de transitu Mariæ*, quem Biblioth. Patr. Tom VII. f.1711. edit. 2. legimus, quique commentum istud ut firmaret scriptus est, nequaquam *Melitonis* Sardensis Episcopi *sed indignum esse*, ut *Bellarminus* ait de script. Eccl. Tom. VII. Opp. p.34.a. *qui tanto Viro tribuatur*, multi ex ipsis Pontificiis agnoverunt apud *Vossium* de Histor. Græc lib II. c. 14. p.229. *Dannh* Christeid p 888. *Bebel* Antiq. Eccl. secul. II. art.I p 189. Ad octo rationes, quibus Jesuita *Gerardus* Assumtionem istam præpostero disputandi modo firmare conatus est, solidè respondit ex nostris D. *Gerhardus* Confess. Cathol. lib.II. part 2 art.10. c.8 append. p 795. atque ex Reformatis *Daniel Chamier* Panstratia Catholica (*qua*, quod *Calovii* judicium est *Isag.S. Theolog.* lib.II. c.4. p 201 *universam turbam præcipuorum Papatus propugnatorum non infeliciter in plerisque profligavit*) Tom.III. de Pecc. Orig. lib.V c.XI. § 19. p 73. Absurditatem *Nicephorianæ* narrationis egregiè ob oculos posuit *Iacob Heilbrunner*. Papat. A Cathol. Artic.XI l.c.I p.215. In reliquis vide prolixè *Rivetum* Apolog pro Sanctissim Virg. lib I. c. XXI. & XXII p.17 seqq. & lib.II. c.13 p.346. Quo ætatis anno virgo Deipara obierit resuscitataque & in cœlum assumta credatur, lege apud *Ricciolium* Tom I. Chronol. Reform. lib.VIII p 329. seqq.

leberrimo S.Ioannis Lateranensis templo asservari summa cum omnium pietate ac religione, in ea videlicet ipsa templi parte, quæ ob eximias Christi & aliorum sanctorum reliquias Sancta sanctorum appellatur; ast quibus quæso *Colli* hæc firmas auctoribus? *Sicuti*, ita pergit, *memoriæ prodiderunt Innocentius III. Pontif. Max. Card. S. Petri ad Vincula veritate octava sui tractatus, Carthagena, & nostri ævi scriptores omnes ad unum, qui hunc lapidem evolverunt, quorum omnium nomina & concordes sententias longum nimis esset recensere.* Atqui vetustissimus horum *Innocentius* III. Papa seculi decimi tertii limites non egreditur, sedere cum cœperit in sede Romana Anno 1199. & sederit usque ad Annum 1126. *Odoric. Raynald.* Continuat. Annal Tom. XIII. ad An. 1216. num. 1 seqq. pag 249. Is autem testari debet de re, quam primi seculi historia peperit! Quod magis est, ne hic quidem fabulæ illi favet, quemadmodum verba ejus liquido ostendunt, adducta a D. *Dorscheo* in Anti-Cornæo c.26. §§.13. p.335. Mendacium mendacio auxit Card. *Toletus* annot. 51. in c. II. Luc. & ex eo *Ja. Salianus* in Annal. V. T. Anno M. 4053. n. seqq. apud quos miraculis omnia plena in relatione, quomodo *præputium* Dominicum Anno 1527. in militari urbis Romæ direptione in hostium manus pervenerit, tandemq; An. 1557. repertum rursus agnitumque fuerit. Lege *Dannhauerum* Mysteriosoph. sect. II. Art. I. §§. 19. & 20. p. 255. Contrarium plane habet Jesuita *Costerus* in Meditat. XIV. *Anno* 1566. *hæreticorum furorem præputium Antverpiensibus abstulisse* dum contendit, quem Jesuitarum dissensum non abs re *Rivetus* notavit, *Apolog. pro Sanctiss. Virgin. Mar.* lib. I. c. 17. p. 174. *Si hoc verum est, mirandum est*, possumus in hoc ipso negocio cum *Durando* Ration. Div. Off. lib. IV. c. 42. n. 8. p. 173. affirmare, qui verum non esse certo certius novimus. Omitto recensere innumeras similis furfuris alias fabulas, quarum multas laudatus *Launojus* in Scriptis multijuga eruditione refertis passim confutavit, adeo ut fere Parisiis in proverbium abierit, *Launojum quotannis sanctum aliquem cælo eripere, metuendumq; esse ne post reliquos ipsum quoque Deum inde auferat atq; avocet*, quemadmodum *Guido Patin* certos nos reddit, in *epistolis* suis *Gallicis* p. m. 102. Dignus proin laude est, quam

ill

illi impertiuntur *Martinus* * *Schoockius* Fabul. Hamel. part. 2. c. XX. *Launojus ſerius atque eruditus veritatis antiſtes ac Vindex, ſcriptaque illius uni veritati eruendæ dicata ſunt. Dallæus* de Vero uſu Patr. lib. I. c. 4. p. 97. φιλαληθέστατος *Launojus*. D. *Eiſenhartus* in Comment. de Fide Hiſtor. c. XI. p. 109. *accuratiſſimus Veritatis arbiter & Cenſor veritatis Hiſtoricæ*. D. *Reiſerus* cum alibi in ſcriptis paſſim, tum in *Auguſtin. Vindic.* Tom. I. Controv. II. p. 68. & 69. *Eruditiſſimus Sorboniſta, cujus opuſcula omnia digniſſima, quæ ob non paucos raræ ſinceritatis & mentis apertiſſimæ radios hic & ibi ſatis clarè transparentes ab omnibus orthodoxæ veritatis Cultoribus ſtudioſè legantur*. Vide ejusdem præfationem in *Launojum Teſtem & Confeſſorem Veritatis Evangelicæ*. D. *Bebelius* Antiquit. Eccleſ. ſecul. IV. Tom. I. p. 572. *Launoji eruditiſſimi Viri*, & Tom. II. p. 1110. *accuratiſſimus Launojus*. Non ita Romæ ** mendaciorum nutrici ac genitrici videtur, quæ candorem iſtum in *Launojo* tolerare proſcriptione ſua noluit, Vid. *Iournal des ſçavans*

* *In quo magis religionem & æquitatem quam eruditionem deſideres*, ait *Mabillon* de re diplom. lib. II. c. 28. n. 7. p. 214.

** Ex meritò ira illa audit, quandoquidem mentiendi licentia in Romana Eccleſia impune & diſcitur & docetur, *mentalibus reſervationibus* teſtibus, pro quibus Jeſuitæ inprimis pugnant *Toletus* lib. IV. Inſtr. c. 21. p. 294. *Suarez*, *Leſſius*, *Sanchez*, *Becanus*, *Reginaldus*, *Eudæmon Iohannes* aliique apud *Voetium* Diſpp. ſelect. part. IV. p. 646. ſeqq. *Meisner*. Philoſoph. Sobr. part. III. ſect. I. c. 7 p. 500. ſeqq. *Caſaubon.* in Epiſtol. ad Front. Ducæum p. 764. Mendacii enim nomine illas inſigniri omninò debere oſtendunt *Rivetus* in Explicat. Decalog. ad c. XX. Exod v. 15. p. 397. & *Heerboord* in Meletem. Philoſoph. Exerc. Ethic. LVII. p m. 641. ſeqq. Quapropter etiam multi inter ipſos Pontificios dictæ ſententiæ adverſantur, eamque nobiscum impugnant, allegati à *Dorſcheo* noſtro Anticrit. Theol. ſect. IV. q. 8. p. 153. Quo nomine laudem omninò meretur moderni Pontificis *Innocentii* XI. ſolicitudo, qua An. 1679. inter alia dogmata *Moraliſtarum* è Societate Jeſu, illud de *reſervationibus mentalibus* (numero XXVI. & XXVII.) Papali quoque anathemate ferit, atque è regno Pontificio proſcripſit. Planè autem impium ac Diabolicum eſt, quod *Adamus Tannerus* Theol. Scholaſt. Tom. III. Di p. I. q. 1 p. 45. & *Martinus Becanus* Tom. I Opp. p. 384 referunt *Gabrielem*, *Aliacum*, *Holkoth*, & alios quosdam ſtatuiſſe, *Deum de potentia abſoluta & per ſe, & per alium falſum dicere aut teſtari poſſe*. Rectè enim *Alfonſus à Caſtro* adv. eti. hæreſ. lib. I. c. 2. fol. 2. aſſerit: *Credi par eſt, non ſolùm à Chriſtiano, verùm etiam ab ethnico vel mediocriter pio & de Deo ea ſolùm, quæ naturali luce haberi poſſunt, ſentiente, Deum adeo veracem eſſe, ut mentiri nequeat.* Unde & obſervat *Grotius* de Jure Bell. & Pac. lib III. c. 1. §. XV. p. m. 483. *Platonem* agnoviſſe *Deo licet jus ſummum in homines habenti non convenire mendacium, quia infirmitatis nota ſit*, & bene quidem hæc: quomodo enim magna *imperfectio* ſit, contra mentem ire in ſermonibus, aliudque dicere aliud intendere, egregiè, ut ſolet, enucleat *D. Clozius* Theolog. Natur. Diſp. VIII. §. 12. p. 433. ſeqq.

An.1665. D.XII. Januar. p.29. seqq. Conferri in reliquis adhuc possunt, quæ de vera *inficialis argumenti* ratione ac pondere *Ioannes Dallæus* in præfatione Doctissimi sui libri *de cultus Religiosi objecto*, nec non in fine sui non minori eruditione referti tractatus *de vero usu Patrum* p.361. non minus verè quam eruditè disputavit: nisi pigeat lege etiam *Iacobum Gretserum* Jesuitam in Apolog. pro Baronio contra Goldast. p.296.

§. V.

Nimis ferme si non omninò frustra diligentes fuimus in refutando argumento à quorundam Veterum silentio desumto: Altera enim, eaque maxima, hostium nostrorum objectio ipsamet infirmitatem, dico & nullitatem, illius agnoscit ultroque largitur. Continet illa *literas apologeticas*, quas Dominicanorum Ordo innocentiæ suæ comprobandæ ergò mox ab Imperatoris obitu hinc inde à variis acceperit. Quem autem in finem eas ordo vel petiisset vel impetrâsset, nisi eopse tempore fuissent, qui domi ac foris, clamque palamque Monachum sceleris accusâssent? Et *Brovverus* Jesuita concedit cum aliis *Annal. Trevir. Tom. II. p.*194.b. *famam rei per omnem Italiam omnium sermonibus pervagatam esse*: Silentium igitur quorundam συγχρόνων Historicorum cadit sic atque evanescit, suspectum imò magis illorum silentium reddit, quam commendat. Literas verò illas quod spectat, datæ ex dicuntur partim à *Iohanne* Bohemiæ Rege defuncti Imperatoris *Henrici* filio, partim à *Balduino* Trevirensi Antistite atque Electore *Henrici* fratre, partim denique à *Iohanne* Episcopo Argentinensi, postquam antè *Bernhardus*, quem nos Cæsaricidam credimus, cum sociis suis coram *Nicolao* Ostiensi Episcopo reï cognoscendæ arbitro causam dixissent, seque sceleris puros coram ostendissent. *Iohannis* Bohemiæ Regis diploma Dominicanis *ad eluendam maculam sanctissimo ordini injustam datum*, ipse, qui hæc locutus est, *Stephanus Baluzius* Tom. I. Miscellaneorum pag.162. nuper *ex Veteri*, ut ait, *membrana authentica, quam servent fratres Prædicatores Virdunenses* exhibuit, à quo integrum mutuari atque huc transferre rei me jubet necessitas. *Iohannes DEI gratia Bohemiæ Rex, Luccemburgen-*

burgensis Comes, universis præsentes literas inspecturis, salutem in eo, qui custodit veritatem in secula, & facit judicium omnibus qui injuriam patiuntur. Quia Salvator noster in hunc mundum venit, ut perhiberet „ testimonium veritati, & nos secundùm modulum nostrum debe- „ mus ipsum quantum possumus imitari, & maximè, quando per „ vanitates & insanias falsas veritas corruit in plateis, & salus popu- „ li gravius impeditur ex eo, quòd aliqui diminuant bonam famam „ illorum, qui pro veritate fidei mittuntur, ut sint in lucem gentium, „ & loquendo & exhortando usque ad extremum terræ proficiant „ cuilibet ad salutem. Quicunque enim sic cogitant infamia vel „ procurant contra Dei nuntios seu ministros, restat procul dubio „ quòd contra populum Dei consilium malignantur. Unde ait „ Propheta: *Super populum tuum malignaverunt consilium.* Et causa „ ilicò subinfertur: *quia cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Et se- „ quitur. *Ut non memoretur nomen illorum ultra.* Nuper autem re- „ tulit coram nobis Religiosus Vir Frater *Petrus de Castro-Reginal- „ di* ordinis Fratrum Prædicatorum, quòd in magnum ipsius ordi- „ nis dedecus & contemptum facti sunt * Romancii, Chronicæ & „ moteti, in quibus continetur, quod claræ memoriæ Dominum „ & Genitorem nostrum Imperatorem *Henricum* frater quidam „ *Bernardus de Montepeluciano* ordinis supradicti, administrando „ ei sacramentum Eucharistiæ venenavit, & propter hoc ad defen- „ sionem veritatis prædictus Frater *Petrus de Castro-Reginaldi* habe- „ re super hoc litteram testimonialem humiliter supplicavit, & nos „ ipsius supplicationi prout possumus inclinantes, notum facimus „ universis, quod à principio, quando rumores audivimus de „ prædictis, nos & amici nostri de his inquisivimus diligenter, & „ contra dictum fratrem *Bernardum de Monte peluciano* nihil inveni-

 mus

* Absque dubio hic illa poemata intelliguntur, quæ in *sectione* I. § 8. & 9. allegata fuere. Differentiam autem inter poemata & fabulas Romanenses esse, erudito libro *de fabularum Romanensium origine* p. m. 3. docuit *Petrus Daniel Huetius*, hujus sanè antiquitatis unus omnium maximè peritus. Aliam *Romancii* significationem habet *Carolus du Fresne* Glossar. Tom. III, p. 626. de nostra verò tacet. De Fabulis Romanensibus nuper etiam quædam publicavit Celeberrimi Ratisbonensium senatoris *Joh. Ludovici Praschi* uxor, cujus nobilissimi paris laudes recensere supra meas vires est. Vide *Acta Eruditorum* Lips. *A.* 1684. p. 434.

„mus fide dignum. Idcirco ipsum credimus prædictum facinus „nullatenus commisisse, quia prædictum Dominum Genitorem „nostrum in sua infirmitate ultima ipse frater Bernardus diligenti „obsequio custodivit, & pacifice in sua religione inter fideles Im-„perii commorando, ubi à familiaribus prædicti Domini Genito-„ris nostri longo tempore supervixit; & hoc fuit non modicum „ipsius innocentiæ argumentum. Duæ etiam amitæ nostræ sorores „prædicti Domini genitoris nostri habitum prædicti ordinis susce-„perunt, quarum una fuit Priorissa in quodam monasterio, & sic „professæ in dicto ordine usque ad mortem permanserunt. Postea „etiam Domina Maria soror nostra germana suscepit habitum or-„dinis memorati. Tamen antequam esset professa, inclytæ recor-„dationis Carolus Rex Francorum eam sibi in uxorem petiit co-„pulari, & sic facta Regina Francorum, quandiu vixit, habuit Con-„fessorem de ordine supradicto, & post mortem, sicut elegerat, „habuit inter sorores ipsius ordinis * sepulturam. Et similiter a-„via nostra Domina Beatrix mater dicti Domini genitoris nostri, „quæ post eum aliquo tempore supervixit, fecit se inter sorores „prædicti ordinis sepeliri. Nos etiam & carissima consors nostra „habuimus postea de prædicto ordine Confessores. Et si nobis et „amicis nostris apparuisset, quòd aliquis de fratribus ordinis su-„prædicti in Dominum Genitorem nostrum tam dolorosum & „nefandum flagitium perpetrasset, nunquam voluissemus tot & „tantas familiaritates fratribus ipsius Ordinis exhibere. Ideo ro-„gamus, quantum possumus, universos, sicut docet Apostolus, „deponentes mendacium, loquatur unusquisque cum proximo „suo veritatem, quod non credat narrationem ignorantium, & „romancii in quibus contra veritatem plurima continentur, quia „hoc esset in detrimentum salutis eorum & præjudicium animæ „Patris nostri. Rogamus etiam quemlibet, qui super hoc à fratri-„bus prædicti ordinis fuerit requisitus, ut procuret, sicut poterit, „quòd adversarii à prædictis æmulationibus arceantur, ita quòd

totus

* Baluzius p. 163. in margine adjecit : *obiit anno 1324. sepulta apud Moniales ordinis S. Dominici juxta Montem Argisum in dioecesi Senonensi. Tilius.*

„totus prædictus ordo fratrum Prædicatorum possit Deo sine cor-„dis molestia liberius deservire, & populum ad viam salutis effica-„cius revocare. Quod ut perpetuæ firmitatis robur obtineat præ-„sentibus nostris litteris nostrum fecimus apponi sigillum. *Datum „in castro nostro de Magduno super Euram Bituricensis diocesis* XVII. *mensis Maij Anno* MCCC XLVI. Non verò sumam mihi in destruendo hoc adversariorum nostrorum antemurali, quod sibi sumsere *Rocolesius* dans son Histoire de l'Empire d' Allemagne p. m. 373. nec non *Schilterus* de libertat. Eccles. Germ. lib. VI. c. 1. n. 5. p. 744. ut de * sinceritate literarum istarum dubitem, quamvis scriptorum illius temporis subsecutorumque annorum constans silentium, illorum etiam, quos tacuisse nobis nocere debet, ut *Albertini Mussati, Iohannis Villanii, Leonhardi Aretini &c.* non levem de ea re suspicionem apud nos excitare possit, & forte debeat. Fatetur enim ipse *Baluzius* l. c. pag. 162. veteriores, qui literarum istarum meminerint, haud haberi *Tritenhemio, Serario* ac *Brovvero*, in quo tamen falli eum dicerem, quandoquidem *Bzovius* in Continuat. Annal. Baron. Tom. XIV. ad an. 1313. n. 16. p. 216. in *Iacobi Susati* (qui seculi XV. initio vixit) Chronicis earum jam mentionem fieri testetur, nisi *Bzovii* * fides in producendis vete-

 rum

* *Martinus Zeillerus*, dum in Manuali Historico Germanico c 26. p. 168. *Naucleri* verba, de literis istis, à nobis quoque in prima sectione adducta allegavit, hæc adhuc quasi à *Nauclero* scripta addidit: *Sed fortean legibiles amplius illæ literæ non sunt*, quæ vero nec in Tubingensi editione A. 1516. procurata, nec in Coloniensi A. 1564. *Surio* promotore publicata inveni, ut fere in eam sententiam adducar, verba illa, etsi eodem cum reliquis typo expressa, non tam *Naucleri* esse quam ipsius *Zeilleri*.

* Audi *Bzovii* Antagonistam *Hervvartum* Bavariæ Cancellarium *in Ludovico Bavaro*, sive Appendice ad Tom. XIV. Annal. Bzov. ad an. 1324. n. 59. p. 51. a. *Nominat quidem Bzovius MS. Biblioth. Vatic. sed quia alias subinde fallit, etiam hic ei sine hesitatione credere non possum, nisi postquam eam Ludovici epistolam Notarii manu signoque munitam ediderit.* Et ad an. 1337. n 6. p. 131 b. *Quis est iste Richardus, cujus nec Bellarminus in Scriptor. Eccles. nec Possevinus in Apparatu, nec Gesnerus in Bibliotheca, nec Iohannes Clessius in elencho editorum decimo sexto seculo meminit? Quisquis tamen sit, eum illud de Ludovico memorare, nisi videro non credam: tanta est apud me Bzovii vel authoritas vel fides.* Inter Regulas Iuris Canonici lib. VI decretal. una (numero *octavo*) est, hoc tenore: *Semel malus semper præsumitur talis*: quemadmodum & Notario, qui semel falsum instrumentum fecit, amplius non creditur. Vide *Brunneman.* Prælect. ad istas Regulas, p. 65. quod axioma quin per apposite hic locum inveniat nullatenus dubito.

rum testimoniis suspecta adeo esset, passimque jure vapularet, cujus specimen in sectione præcedente dedimus §. 4. p. 15. Quicquid ejus sit, mirum certe est, literas istas tantum Monachorum patrocinium continentes, tam serò publicam lucem aspexisse, eamque nonnisi in Gallia, beneficio eruditissimi *Baluzii* Canonici Rhemensis. Dominicani alicujus in Germania aut Italia labor iste fuisset, eoque exantlari debuisset tempore, quo superioribus seculis multi ex odio, (sic illi dicunt,) erga Italos ordinemque *Dominicanorum* fabulam ore ac calamo propagarunt, ut patefactæ sic statim eorum criminationes fuissent. *Bzovius* certè, qui præ omnibus aliis in contraria sententia propugnanda laboriosus fuit, in *Vaticana* aliisque Italiæ Bibliothecis nihil invenire de istis literis potuit, non omissurus alioquin illud communicare, quemadmodum in minoris momenti controversiis, & quæ ordinis sui honorem ita prope non tangunt, sæpe cum nausea talia suæ Annalium Continuationi inseruit. Et cur *Virdunenses* Prædicatores in Lotharingia diploma illud soli habuerunt & cum *Baluzio* communicarunt? An Germaniæ atque Italiæ ejusdem professionis Monachi non indiguerunt illo, vel si acceperunt, negligentiores *Virdunensibus* fuerunt in eodem asservando? Quæ utique falsimoniæ luculentissima testimonia sunt. Sed esto, admittantur ut genuinæ, demus, accepisse *Dominicanos* literas apologeticas, largiamur etiam *Baluzio* literas, quas ipse protulit, esse easdem, (* ut ut *Hottingerus* in Analectis Historico-Theol. Dissert. VII. p. 346. moneat, *meritò suspectos nobis esse debere, qui vel ex Medicæa Bibliotheca vel Parisiensi vel Vaticana aliisque extrudantur*) nondum tamen falsitatis inde nostra narratio postulari poterit. Dico enim *Dominicanos* illas subreptitiè à *Iohanne* Imperatoris filio accepisse, eique fucum fecisse. Abfuisse enim illum, cum Pater intoxicaretur, atque in Germania mansisse *Vecerius* in libel-

* Cui consona dixit *M Antonius de Dominis* part. II. de Republ. Eccl. lib. V. c. 6. §. 116. p. 252. *Si præsertim opusculum ipsius* (Paschasii) *nullam sit passum corruptionem & imposturam. Iam enim Indices isti expurgatorii suspecta reddunt omnia veterum opuscula, ne prout jam in Bibliothecis istis nuperis eduntur, vere sint passa corruptiones illas, quas sub titulo correctionis & emendationis frontispicia ipsa Bibliotheca pollicentur.* De quo infra etiam quædam monebuntur.

libello, quo *Henrici* VII. vitam deſcripſit, part. II. Hiſtor. German. *Urſtis.* p. 68. annotavit, & ante hunc *Æneas Sylvius* Hiſtor. Bohem. c. XXXII. (inter ſcriptores Rerum Bohemicarum Hanoviæ A. 1602. à *Marquardo Frehero* editos) p. 138. *Iohannes potenti manu regnum gubernavit, & Patre in Italia agente apud Germanos vicario nomine adminiſtravit imperium. Patre verò defuncto, quum plurimæ Italiæ civitates ei ſe dediſſent penetravit Alpes cum exercitu*: itemque *Antoninus* Archi Epiſcopus Florentinus *Chronic.* part. III. tit. 21. c. 2. §. 8. p. 204. a. *Quem* (Iohannem) *in loco ſui* (Henricus) *ut vicarium in Alemannia reliquit.* Et *Dubravius* Olomuzenſis Epiſcopus Hiſtor. Bojemic. lib. XX. p. 163. *Atque hæc adeo Parenti Cæſari grata acciderunt, ut profecturus in Italiam coronæ Imperialis ſumendæ gratia * vicarium Imperii in Germanos filium ſubſtituerit.* (Ex quibus liquidò pateſcit, quam verè *Bzovius* Tom. XIV. Annal. ad an. 1313. n. 18. p. 218. à. ſcripſerit, *Iohannem* Bohemiæ *Regem cum aliis Illuſtribus viris in morte Imperatoris præſentem fuiſſe.*) Quam facile igitur Prædicatores Monachi perſuadere *Iohanni* potuerunt, falſa omnia atque in odium, ut Italorum, ita cumprimis ordinis ſui conficta eſſe, quæ in illius abſentia contigerint? Quid enim non audet Monachus, & quoties impudentiæ fines non tranſilit? Maximè apud illos, in quorum cordibus ſuperſtitio, junctaque cum fatua ſimplicitate pietas dominium tenet, ut tenuiſſe in *Ioannis* animo, literæ ipſæ clarè admodum teſtantur. Totus terrarum orbis innumeris exemplis confirmat, *quantus ſæpè*, ut verbis *Wolfii* utar, Tom. I. Memorab. p. 522. *Diabolus ſub Monacho latuerit, & quid auſi ſint Monachi prætextu ſanctitatis in miſeros & ſibi derelictos homines ſtatuere.* Coincidit fere cum hoc altera reſponſio *Schilteri* Viri Clariſſimi, & qui fugientes Germaniâ Muſas cum paucis moratur,

* Quemadmodum & alii fecere Imperatores, *Fridericus* I & *Ludovicus Bavarus* Vide *Carpzovium* ad L. Reg. c. XI. ſect. XIV. n. 7. p. 319. Imperator *Sigiſmundus* vices ſuas in Imperio tradebat Archi Epiſcopo Moguntino *Conrado*, invitis licet reliquis Imperii proceribus. *Serar.* Rer. Moguntin. lib. V. p. 874 *Carolus* V. ſui vicarium conſtituebat fratrem *Ferdinandum*, literis publicis eam in rem A. 1556. datis, apud *Cruſium* Annal. Suev. part. III. lib. XII. c. 2. p. 698. Ad quem verò, abſente vel peregre eunte Imperatore vicariatus pertineat, *Freberus* docet *Origin. Palatin.* part. I. c. XVI p. 113.

ratur, lib. VI. de *Libertat. Eccles. Germ.* c. 1. §. V. p. 744. *potuit fieri, ut hoc eodem animo factum fuerit, quo Pater Henricus Imp. mortem oppetere maluit, quam contra venenum remedium applicare cum ejectione benedicti panis ac vini*: de qua Henrici Patris superstitione in sectione I. §. 5. p. 18. dicta quædam à nobis fuere. Legimus sic, olim & Ecclesiæ homines ad veterum scriptorum depravationem quandoque aliquid contulisse, si pietatem remque Ecclesiasticam inde promotum iri crediderunt, fraude pia licet, non tamen excusanda; vide exempla apud *Dallæum* de usu Patrum lib. I. c. 4. p. 65. & *Rivetum* Critic. S. de Patr. Auctor. c. 13. p. 84. Attendendum porro ad illud est, videri omnino *Iohannem* studiosum admodum fuisse conservandi honoris Prædicatorum, ex quo videlicet ipse ac Parens confessores habuerunt, & cui necessariæ quædam & consanguinitate ipsi junctæ se vitamque suam manciparunt, vid. *Wilthemii* Vitam venerabilis Yolandæ p. 158. seqq. Olim enim magni Principes se in numero Ecclesiasticorum haberi summæ pietatis esse crediderunt, quod probat multisque exemplis illustrat *Arnoldus Buchelius* in notis ad Guilielmi Hedæ Historiam p. 149. lit. f. Proin argumentum in diplomate contentum, *quòd verosimile non sit consanguineos Henrici ab amore suo erga Dominicanos non destitisse*, tam nihil concludit, quam ridiculus evaderet, qui quod Jesuitæ hodie in Galliis principatum fere inter Ecclesiasticos tenent, eo trahere vellet, quòd nunquam * olim ob *Iohannis Castelli* crimen regno exularint. Quis scit etiam, quibus fallaciis verborumque lenociniis

Petrus

* Anno videlicet 1594. IV. Kalend. Januar. vide sententiam adversus *Castellum* latam apud *Stephanum Pasquier* lib. III. des recherches de la France c. 32. p. 173. & adde Tomum VI. *des Memoires de la Ligue* p. 255. ubi proscribuntur *Jesuitæ* tanquam *corrupteurs de la Jeunesse, perturbateurs du repos public, ennemis du Roy & de l' Estat. corruptores juventutis*, ita latine interpretatur *Thuanus* Histor. lib. CXI. p. 653. *publicæ tranquillitatis perturbatores, Regis regnique hostes.* Quod senatus consultum Parisiense Romæ ab Inquisitoribus [illegible] mansit usque ad annum 1609, quo ab illis Censura notatum & Indici prohibitorio [illegible]ptum est VII. Idus septembris, menses septem & dies XXIV. ante infaustum *Henrici Magni* obitum, quo consilium moraque censuræ patefiebat. Vide querelas *Launoii* part. VI. Epist. p. 357. & adde *Limnæi* Notit. Regni Franc. part. II. p. 161. Quando autem restituti Jesuitæ, reductique in Galliam fuerint, disces ex *Thuano* Histor. lib. 132. Tom. III p. 1044. item [illegible] *Grammondo* Histor. Gall. lib. III p. 197.

Petrus de Castro - Reginaldi diploma istud ab *Ioanne* Bohemiæ Rege tunc impetrarit? quemadmodum & *Iohannis* Patri *Henrico* Imperatori dolose impositum fuit, ut A. 1310. tabulas perliberales in Romanum Pontificem, multum vero Imperii bonorum prodigas ederet. Vide pluribus *Conringium* de Finibus Imperii lib. II. c. XX. p. 422. seq. Unde constat, annon precibus minisque, quin & pecunia Principis & Administrorum animos idem à verò flexerit? Eò facilior locus fraudi esse potuit, quo obscurius apud *Iohannem* oculorum lumen fuit, quippe quo ab acceptum venenum carere cogebatur, ut habetur in *vita* filii ejus *Caroli* IV. (*inter scriptores Rer Bohemic.*) p. 102. Unde & cognomen *Regis cæci* apud plurimos sortitus fuerat, teste *Bertelio* in Histor. Luxenburg. p. 52. lapidem etsi omnem moveret, ut cœcitatem dissimularet, cujus gratia *ludicra hastatorum, quibus inprimis delectabatur, sæpius etiam quam integris oculis solebat, spectare sibi permisit & nunc istum, nunc alium, quem in spectaculo superiorem evasisse ex nomenclatore audivit, nominatim magna voce laudabat*, ceu refert hæc *Dubravius* in Histor. Bojem. lib. XXI. p. 176. Posset quoque non immerito suspicax quis quærere, cur adeo serò, triginta videlicet & tribus post *Henrici* mortem annis, Dominicani interprete *Petro de Castro Reginaldi* literas illas & flagitarint & impetrarint, quandoquidem non tunc demum, sed mox post commissum scelus Dominicani passim (magis tamen in Germania quam Gallia) malè audire coeperint? Cur item datæ literæ fuerunt adeò brevi tempore ante *Iohannis* obitum? Contigit is An. 1346. D. XXVI. Augusti in notissimo ad Cressiacum prælio, in quo Principes undecim, equites 1200. peditum 30000. ceciderunt. Vid. *Auctor Gestorum Baldevvini Luczelinburgensis* (Patrui *Iohannis*) lib. III. c. VIII. Tom. I. Miscellan. *Baluz.* p. 153 nec non *Dionys. Petav.* Rationar. Tempor. part. I. lib. IX. c. 6. p. 587. Cogitet tandem prudens lector, annon, quod communi proverbio dicimus, *dandum quid bestiæ* fuerit, ne porro noceret, Monachis *Prædicatoribus*, ne socium suum imitati filio Patris vestigia monstrarent? Quemadmodum legimus, multos olim inter gentiles impurissimos spiritus & Cacodæmonas adorasse, non quod

 boni

boni quid ab iis peterent, sed quod impedire solum precibus vellent, ne nocerent: apud *Augustinum* lib. IIX. de Civit. Dei c. 13. Tom. XI. Opp. 250. Idem de veteribus Saxonibus tradit *Fabritius* in Saxon. Illustr. lib. I. p. 62. (qui & rectè *in rebus Memorab. Saxon.* lib. II. p. 255. nobiscum veneno *Henricum* necatum esse agnoscit) quod atrum Deum coluerint, *ne noceret & malum Deum inauspicatumque dixerint.* Similiter ex Historia Ecclesiastica novimus, fuisse seculo post natum Christum quarto hæreticos ex *Massilianis* ortos, qui *Sataniani* vel *Satanici* vocabantur, quod Satanam submissè revererentur, ne noceret. *Epiphan.* hæresi LXXX. Tom. I. opp. p. 1069. ex recentioribus *D. Bebel* Antiquit. Eccl. secul. IV. Tom. II. art. XI. p. 1334. Sicut refert *Zieglerus* de Jur. Majest. lib. I. c. 13. p. 243. à Persis olim *Arimanium*, a Græcis *malas mentes & Cacodæmonas*, à Latinis *Vejoves*, ut ne nocerent religioso cultu adoratos fuisse. Similem cultum etiamnum in India occidentali vigere, ex *Acosta* lib. V. Rerum Amer. c. 27. nos *Vossius* docet *Theolog. Gentil.* lib. I. c. 8. p. 57. Referas huc etiam illud Ethnicorum Poetarum: *Primos in orbe Deos fecit timor*; ex quo religiosum erga Mosen cultum, timorem ab *Ægyptiis* plerisque expressisse vir singularis doctrinæ *Petrus Daniel Huetius* Demonstr. Evang. propos. IV. c. 4. §. 10. p. m. 127. & 128. adversus *Bochartum* erudite disputat; confer in universum de Dæmonum cultu *Filesac.* Idolol. Magic. §. 7. p. 48. seqq. sed pergendum ad cæteras Apologias.

§. VI.

Literæ, quas *Guido* Aretinus Antistes, *Fredericus* Comes *Pelter.* *Capitanei Imperiales* & post hos *Iohannes* Argentinensis Episcopus in favorem *Dominicanorum* exarasse dicuntur, exhibentur à *Bertelio* Abbate Epternacensi in *Histor. Luxenburg.* p. 49. seqq. ex quibus illas in Lectoris gratiam & argumenti nostri illustrationem subjungere libet. *Nos Iohannes Dei gratia Episcopus Argentinensis ad universorum notitiam cupimus pervenire quod nos vidimus & per legimus literas missas per fideles Imperii de partibus Tusciæ Reverendo Domino Cardinali Ostiensi sub sigillis duorum Pœnitentiariorum, quarum tenor sequitur & est*
„*talis*: Venerabili Patri suo Domino Nicolao Ostiensi Episcopo,
„ Guido miseratione divina Episc. Aretinus cum recommodatione

„ se ipsum ad vota paratum. Noverit R. V. per præsentes, quod post „ turbationem, quam fideles Imperii maximè per Italiam recepe- „ runt de morte serenissimi Principis Domini Henrici Romano- „ rum Imperatoris, in quo spes omnis nostræ salutis & pacis, qua- „ si certa & infallibilis quiescebat, alia surrexit ab ipsis fidelibus non „ utique contemnenda, eo quod in totius Italiæ redundat injuriam, „ nec non & ordinis sancti Prædicatorum, quem ob DEI & ve- „ stram Reverentiam præcipuè diligo & amplector. Nam cum so- „ lus Italicus Religiosus Vir Frater Bernardinus de Monte Politia- „ no ordinis memorati, eidem Domino in camera ministraret, „ eum informaverunt, quod cum sacra hostia (quod auditu hor- „ rendum est) præfatum Dominum venenavit. Ego autem & cæ- „ teri fideles Imperii, qui fidem & sanctitatem novimus dict: Fratris „ certa fide tenemus, dictum Fratrem nequaquam tantum facinus „ admisisse, nec quisquam sani capitis unquam posset fidem credu- „ lam adhibere, quod homo prudens, religiosus, sacerdos de claro „ genere natus, cum proprio damno, sui ordinis injuria, sui gene- „ ris dedecore ac patriæ infamia tantum facinus perpetrâsset, & il- „ lum interimere voluisset, à quo honor, vita, salus sua suorumque „ pendebat, qui eo vivente in honore etiam Principibus Viris æ- „ quabatur, cui cameræ patebant ostia, cui accessus ad Principem si- „ ne cujusquam prohibitione patebat. Nunc autem post Domini sui „ necem cum aliis fratribus ex more pro victu & vestitu mendicare „ tenetur. Non enim tanti sceleris conscius fugit ad inimicos, sed „ cum amicis & devotis Imperii trahit moram, paratus pro verita- „ te sua & sinceritate tuenda cum magna spe & fiducia respondere, „ & inter tales se reputat esse tutum. Quod si ad credulitatem hu- „ jus sceleris ex modica circumstantia ducerentur, eum dentibus „ laniarent. Faveat igitur, supplico, Paternitatis vestræ favor atque „ industria, & Patria & ordo & fratris persona de tanta infamia li- „ berati Venerandæ Dominationi vestræ uberes gratiarum refe- „ rant actiones. Datum Arecen XIV. die Septembris. *Item aliæ lite-* „ *ræ*: Venerabili in Christo Patri, Domino Fratri Nicolao Ostien- „ si & Vercellensi Episcopo, eorum Domino & benefactori, Fre-

„ dericus Comes Feltri poteſtas, conſilium & communitas civita-
„ tis Arecii cum recommendatione ſe ipſos. Nuper audivimus,
„ quòd in plerisque locis Religioſus Vir, frater Bernhardinus de
„ Monte Politiano ordinis Fratrum Prædicatorum de morte incly-
„ tæ recordationis, Domini Henrici olim Imperatoris Domini no-
„ ſtri contra veritatem eſt multipliciter diffamatus, & quod ejus oc-
„ caſione tam ultromontani quam Italici fratres dicti ordinis, &
„ Religioſos cæteros & eorum Eccleſias crudeliter perſequuntur.
„ Verùm ſi nobilitatem generis ipſius fratris nec non ſcientiam ho-
„ neſtatem & fidem, quam ad Dominum noſtrum habebat, dili-
„ genter attenderent, de dicto fratre tam horrendum facinus non
„ proferrent. Nam vita ſua & ſuorum à Domini noſtri vita meritò
„ dependebat, & ſua mors ipſum & ſuos continuè cruciat & tor-
„ mentat. Non enim fuiſſet Religioſus, ſed Diabolus, qui ſacratiſſi-
„ mum Dominum noſtrum in perniciem totius Chriſtianitatis ſic
„ inhumaniter occidiſſet. Veſtræ ergò Reverendæ Paternitati ſup-
„ plicamus, ut DEI intuitu non ſinatis dictum fratrem de tanto fa-
„ cinore diffamari. Ipſe enim frater eſt in Civitate Arecii, & ſi ve-
„ riſſimè puniremus eundem, ſi ipſum culpabilem putaremus. Sci-
„ tis enim quòd error, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas op-
„ primitur, cum minimè defenſatur. Datum Arecii XIV. Sept. XI.
„ Indictione. *Item*: Venerabili Patri Domino Nicolao de Prato O-
„ ſtienſi & Vercellenſi Epiſcopo Cardinali, Capitanei Imperialis
„ partis quæ extra Florentiam, eorumque Concilium cum debita
„ reverentia ſeipſos ad vota paratos. Quanta ſimus conturbatione
„ conterriti & damnis expoſiti propter mortem sereniſſimi Domi-
„ ni noſtri Henrici ſanctæ memoriæ Romanorum Imperatoris
„ quia calamus non ſufficeret explicare, veſtræ diſcretioni relin-
„ quimus æſtimandum. Licet autem veritas ſe ipſam ſua aliquando
„ fortitudine manifeſtet, decet tamen bonos dare operam efficia-
„ cem, ut veritas producatur in lucem & falſitas deſtruatur. Quia
„ igitur Vir religioſus frater Bernardinus de Monte Politiano, or-
„ dinis fratrum Prædicatorum, inſtigante humani generis inimico,
„ ab aliquibus invidis & facinoroſis de venenatione Sereniſſimi
Domini

„ Domini nostri quondam Imperatoris prædicti extitit diffamatus,
„ quæ fama apud multos fuit, & est mendaciter evulgata, vestram
„ Dominationem reddimus certiorem, quod dictus frater nullam
„ culpam habuit in prædictis, sed eidem Domino semper devotus
„ extitit & fidelis. Est enim dictus frater in Aretio paratus pro sua
„ innocentia & veritate propugnanda omni homini respondere, &
„ nos suam sinceritatem & fidem semper fulcire ac defendere testi-
„ moniis veritatis. Hoc enim Paternitas vestra plenè novit, quòd si
„ culpabilis in hoc facinore, possemus ex quacunque circumstantia
„ suspicari, eumque tanquam nostri nostrorumque destructorem
„ & hostem atrocissime puniremus. Bene semper valeat vestra Do-
„ min tio Veneranda. Datum Arecii, decima quarta Septembris.
In testimonium ergò visionis harum literarum nos prædictus Iohannes Argentinensis Episcopus sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum Argentinæ Millesimo trecentesimo decimo quinto, 3. idunm Februarii. Hactenus istud *Iohannis* Argentoratensis Episcopi diploma. Ut verò planius meliusque falsitatem ejus & nullitatem cognoscamus, per capita res explicanda erit. I. Ipse ejus primus editor *Bertelius* loc.cit. mendosum diploma esse, nec nisi *probabiliter* probari quid inde posse, fatetur his verbis: *Sic igitur in ejusmodi scriptis quoque neglectu scriptorum mendosis; unde probaliter admodum colliquescit, rumorem eum, qui de commisso per dictum Religiosum flagitio passim apud quosdam volabat, commentatium esse & nullo inniti certitudinis fundamento.* II. Negligenter admodum idem in hoc negocio processit: neque enim vel fontes unde turbidi hi rivuli profluant, indicavit, vel etiam quam ob rem datæ illis, à quibus eas accepit, fuerint, certiores nos reddidit. Si *Dominicani*, qui Luzelburgi degunt, *Bertelio* illas suppeditârunt, ut quidem *Brouverus* in Annal. Trevir. T. II. lib. XVII. p. 295. *Bertelii* silentium supplere videtur, non imperitè quis quæret, cur Luciliburgi solùm neque potius in Italia, ubi commissum scelus fuit, monumentum istud compareat? Caussam vix aliam dabis, nisi quòd simplicioribus Germanis glaucoma citius objici posse falsarii (si scapham scapham dicere licet) crediderunt, quam Italis oculatis testibus. Forte & in *Luzelburgensium*

gratiam fingendum aliquid callido consilio arbitrati sunt, ne cives incolæque Luzelburgensis ditionis, (quam patriam *Henricus* habebat,) præ aliis Domini ac Imperatoris sui mortem adversus *Dominicanos* severè ulciscerentur. III. Nemo Veterum, (vel illorum, qui nobiscum sunt, venenique propinati mentionem faciunt, vel qui silentii peplo rem involvunt, nobisque contrariari videntur) ne verbulo literarum istarum, quæ ipsis non potuissent non notæ esse, in bonam aut in sequiorem partem meminerunt; ne *Leonardus Brunus* quidem, à patria *Aretinus* dictus, qui quæ in patria urbe gesta scriptaque sunt, scire omnino poterat debebatque, maxime cum ejus hac in re nobis dissensus exprobretur. IV. De *Johanne* Argentoratensis Episcopi præsidio Prædicatorum ordini præstito, simile ferendum judicium est. Quis credat quæso, *Albertum Argentinensem* res illius Episcopi in Chronico suo recensentem hanc ipsius actionem præteriisse, nec diploma commemorâsse, quo is sceleratum Monachum absolvisse fingitur? An ex adverso impune laturus fuisset *Albertus* audaciam, qua facinus Monacho tribuens (ut in sectione præcedente §.12. audivimus) Episcopo suo *Johanni* in faciem planè contradixisset: Vix crediderim ego. Unde & *Jacobus à Konigshoffen* in Chron. MSS. c.IV. quod *de Episcopis Argentinensibus* inscribitur, fol. CXCIX. de *Johanne*, nil verò de datis ab eo literis recensuit. Quemadmodum & *Bernhardus Herzog* in Chronic. Alsat. lib.IV p.93.& 94. item *Wimphelingius* & *Guilimannus* in suis de *Argentinensibus Episcopis* commentariis muti magis illa de re fuere, quam pisces & lapides. V. In literis dicitur homicida Aretii mansisse, quem verò *Bzovius* Tom.XIV. Annal. ad An. 1313. n. IV. p. 295. b. ait, *nullius criminis sibi conscium mortuo Imperatore se se non subtraxisse, sed constantissime apud Pisas perstitisse.* Pecunia haud indiget, qui suffragium meum pro priore opinione redimere volet. Largior illi ne munere, Monachum μισάνθρωπον Aretii mansisse, qui ex *Leonardo Aretino* Histor. Florent. lib.V. p.94. novi, *Aretinos à partibus Florentinorum Regisque Roberti Henrico Imperatori inimicissimi stetisse*, quo verò literarum præcipuum argumentum non parum labefactatur. VI. Nec major vis reliquis telis inest. *Factum* objicitur nempe

esse atrox, ut revera est, superat tamen illud hominum & sigillatim Monachorum nequitia. * Quid non audet semel amissa honestate malorum hominum malitia, qui etiam nephanda, ubi spes refulserit nummi, patrare non recusant? In quas Respublicas pessimis artibus se se non insinuavit? Quæ regna, ubi aliquando nidum suspendere cœpit, non extremè commovit ac seditiosissimè turbavit? Quos Principes, Reges, Cæsaresque male tractando non infecit? Cujus familiam non corrupit vel saltem non solicitavit? Non faciam meum, referam tamen ex *Voetio* Desperat. Caus. Papat. lib. 3. sect. II. p. 665. *Pii* II. vulgatum distichon:

Non audet Stygius Pluto tentare quod audet
Effrenus Monachus, plenaque fraudis anus.

Dicitur etiam in literis, *hominem prudentem, religiosum, sacerdotem & de claro genere natum proprio cum damno tantum facinus haud quaquam perpetraturum fuisse*, quod quin rectè dictum sit nulli ambigimus. *Bona enim arbor non potest malos fructus ferre*, est effatum Servatoris nostri Matth. VII, 18. Quale est & *Menandri* illud apud *Grotium* in notis: Οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηστὸς ὢν ποιεῖ. Eodem tamen capite vers. 15. dixit quoque Christus, *dari* & *cavendos esse Pseudo-Prophetas, qui in vestimentis ovium veniant, intrinsecus autem lupi rapaces sint, quos a fructibus cognosci debere* ibidem monet. Sæpe pi[illegible] *prudens, religiosus*, &c. videtur qui non est, sæpius est nec videtur. *Cucurbita, cuburbita, ex germine cognoscitur*, dictum est Talmudi-

* Sensa fere hæc & cogitata animi sunt personati *Udelonis Cymbri Cusani*, in epistola An. 1520. data, *de exustione librorum Lutheri, & Monachorum Dominicanæ factionis nequitia ad Germaniæ Proceres & Cives*, quam *Melchior Goldastus* Politicis suis Imperialibus inseruit part. XXIV. § 3. p. 1081. ubi etiam de *Henrici* nostri morte sequens querela: *Quæ impostores isti perficere non verentur? Num Romanæ sedis Imperatorem sustollere. & quod multo omnium horrendissimum in sacrosancto eucharistiæ sacramento toxico de medio auferre non ausi sunt?* Similem querelam in *Iohannis Vitodurani* Manuscripta Historia deprehendemus, apud *Hottinger.* Histor. Eccl. part. III. c. XIV p. 745. seqq. Literæ systaticæ dabantur olim τοῖς ἐν ὑπολήψει, ut canon XI *Synodi Chalcedonensis* dicit, quo *Zonaras*, *Balsamo*, *Blastares* personas suspectas intelligunt, rectissimè si ad præsens negocium accommodes, licet cæteroqui *Gabrieli Albaspinæo* non placeat, qui in *notis & observationibus* suis illos intelligendos putat, qui in aliqua existimatione existunt, quocum facit *Cujacius* Græcè doctissimus, qui in *cap. 5. X. de Cler. non resid.* reddit: *Qui sont en reputation.* Vide plenius hæc deducentem acutissimum *Stranchium* in Amœnit. Jur. Canon. Semestr. II, eclog. VII p. 36.

mudicum Babylon. *Beracoth* fol. 48. apud *Iohannem Lightfoot* Hor. Hebr. & Talmud. in IV. Evangel. p. 308. Sunt hujus generis homines, qui pietatem in vultu linguaque gestant, intus autem Dubolum fovent, hoc est, remedium capsarum instar in Pharmacopolarum tabernis in titulo habent, & venenum in pixide. E fœtu igitur cognoscenda arbor, è factis judicandus homo: *Vestis sordida*, inquit *Erasmus* magnus ille Monachorum osor *in Adagiis Variorum* p. m. 125. *rasus vertex, jejunium, oratio, frons tetrica folia sunt, quæ sæpenumero mentiuntur, quemadmodum illa ficus mentita est Christo.* Nec video, quod damnum prævidere potuerit Monachus, quippe qui *Omnipotentis sui Domini Sanctissimi Papæ* voluntatem noverat esse quoque cum magna potestate conjunctam. Multa etiam, quod porro in literis opponitur, beneficia ab Imperatore accepisse credo homicidam, scio simul tamen, quod *Seneca* dixit lib. I. de beneficiis c. X. p. 259. *Erunt homicidæ, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores. Infra ista omnia ingratus est, nisi quòd omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix ullum magnum facinus accrevit.* Quo testimonio nihil evidentius, nihil gravius, nihil certè aptius est ad hanc sententiam in præsens confirmandam. VII. Cogitandum relinquo, annon literarum istarum auctores in gratiam *Dominicanorum*, maximeque *Ostiensis* Cardinalis atque Episcopi illorum socii, hæc finxerint? Certos enim nos reddidit *Ferdinandus Vghellus* in Ital. S. Tom. I. p. 80. *Nicolaum* Ostiensem Cardinalem *Ordinis Prædicatorum socium fuisse*. (Qui ipse etiam *Vghellus*, quod loc. cit. & p. 472. ubi *Guidonis* Aretini Episcopi res & facta describit, de hac re taceat planè sileatque, tota veritati non parum quoque derogat.) Item, annon ordinis totius internecionem metuentes avertere sic ab illo odium vulgi voluerint? Non obscurè id *Hugvvaldus Mutius* prodit, Chron. Germ. Tom. II. scriptor. Germ. *Pistor.* p. 219. *Prædicatorum ordo propter hominum judicia mala à Pontifice Romano* (memoria hîc eum vel fama fefellit) *literas acceperunt illum fratrem innocentem fuisse, sic ferunt, nihil hic assero.* Scilicet è plebe homines unius aut paucorum crimen ab universæ familiæ honore secernere nescii, omnes passim Dominicanos sceleris reos habebant & persequebantur.

tur, ex quorum animis ut odium malaque persuasio tollerentur, nihil non agendum esse rati forte sunt, qui Clerici vocari amant atque *Ecclesiastici*. VIII. *Brovverus*, qui tantum in literis monumentum statuit, *Annal. Trevir.* Tom. II. lib. XVII. p. 194. uti totam nostram historiam repudiat, ita inprimis illud ridet, quod nonnulli venenum in hostia Imperatorem accepisse tradiderunt, *quoniam (si quidem factum id revera fuerit) in ablutione dici debeat illud accepisse:* Ridemus & nos, quod in istis literis adversus illos solum disputetur, qui in hostia venenum fuisse asseruerunt. IX. Quamcunque tandem crimini nebulam obducere conentur Dominicani, *aliud* erit & manebit *esse innoxium aliud declarari*, (ut rectè *Vecerio* respondit *D. Dorscheus* in Mysar. Miss. c. V. §. 75. p. 163.) Illud in nostra situm est potestate, hoc largiri alii possunt. Confer adhuc & explica hinc, quæ apud auctorem veteris Chronici *Rudimentum Novitiorum* inscripti fol. 399. b. de literis istis habentur.

§. VII.

Ad *Balduini* Trevirensis Antistitis & *Henrici* Imperatoris fratris germani diploma quod attinet, in Trevirensis Archi-Episcopi chartophylacio asservatum id olim, atque A. 1575. *Maximiliano* II. Imp. exhibitum fuisse *Latomus* refert in quodam Manuscripto Chronico, quem suppares cœco ductu citant & sequuntur, *Serarius* nempe Rer. Moguntiac. lib. V. p. 851. & *Brovverus* Annal. Trevirens. Tom. II. lib. XVII. p. 195. qui posterior *nullibi id amplius comparere* ait, eoque majoribus adhuc, quam in præcedentibus paragraphis commemorata diplomata subjacent, (quæ certè haud exiguæ sunt,) difficultatibus illud obnoxium reddit. Præterquam enim quod superioris seculi scriptorum nemo tale quid oblatum *Maximiliano* fuisse referat, certè si illo adhuc tempore superstes fuisset, nequaquam eruditus orbis eo nunc careret. Major namque cura in asservandis, custodiendis, quin & publicandis ejusmodi tabulis publicis hodie visitur, quam olim cum ruditas hominum Monachorumque pigritia passim dominaretur. Hinc & *Brovverus* l. c. tutos nos ab hoc telo esse agnoscit, dum scribit: *Quod utinam ut lectum cognitumque majoribus fuit, ita ad*

 nostras

noſtras manus conquiſitum veniſſet, ariete hoc ſubruta jacuiſſet manifeſta vanitas. Quamdiu igitur ad noſtras manus non perveniet, manifeſta Veritas immota perſtabit. *Latomi* hominis ignoti apud nos tanta auctoritas non eſt, ut ad imperium ejus fidem aſſenſumque noſtrum dirigamus, maximè quum ineditus adhuc ſit, ſoliusque *Serarii* (quem dum *Jeſuitam* dico, reliqua ſubticeo,) manibus monſtretur. Nil hic metuo, cum uti mihi eo jure licere perſuaſus ſum, quo *Gretſerus* in Apolog. pro Baronio p. 300. uſus eſt contra Goldaſtum: *Multum argumentorum eſt, cur, cum iſte ineditos autores laudat, fallaciæ & impoſturæ formido nos ſubeat, propter Calviniſticum maximè candidum ingenium.* Riſuri forte eſſemus, ſi qua ſpecie inter privatos parietes ab uno vel altero *Prædicatorii ordinis* Monacho commendata iſta fabula *Latomo* fuerit, * noſſemus. Quod maximum eſt, tacent non modo de diplomate iſto noſtræ contrariæque partis Hiſtorici, ſed ipſe etiam ſilet *vitæ Balduini auctor* à *Baluzio* Tom. I. *Miſcellan.* editus, qui tamen res à *Balduino* poſt Cæſaris mortem geſtas diligenter ac egregè ſummaque fide expoſuit. Quin non ſilet modo, ſed & contrarium, ut in ſectione I. §. 13. edocti ſumus, apertiſſime teſtatur. Erunt forte hæc legentes, qui dicent obgannientque, gladio nos noſtro jugulare, qui parvi momenti eſſe argumentum ab auctoritate negata deſumptum paulò ante docuerimus. Facilis aſt reſponſio eſt, quando obſervamus, modum hac in re ut ubique ſervandum, neque omnem argumento abnutivo vim atque efficaciam denegandam eſſe, ſuppoſito videlicet, quòd ſcriptor rem perfectè tradiderit, quemadmodum *auctorem vitæ Balduini* tradidiſſe pro certo ſumimus. Unde id argumentandi genus doctoribus Eccleſiæ noſtræ non infrequens eſt, qui ejuſmodi argumenta ab auctoritate negativè deducta, & ipſi

non

* Occaſio eſſe potuit, quod A. 1576. Ratisbonæ coram Imperatore *Maximiliano* cauſa Trevirenſis populi adverſus Archi Epiſcopum agebatur, prout *VVilhelmus Kyriander* narrat Annal Trevir. præfat. p. 5. & poſt ipſum Antagoniſta *Brovverus*, Proparascev. *ad Antiquit Trevir.* Tom. I. c. II. p 3. b. (Nil enim poſt Tom. II. lib. XXII. ad dictum annum habet, quo tamen jure pertinuiſſet.) Si cui fabulæ iſtius probabilior occurrat ratio, per me eam edat licet, mihi quidem ea viſa eſt veriſimilima. In mentem revocet Lector lepidam hiſtoriam, qua occaſione nova linguæ Græcæ pronunciatio *Eraſmo Roterodamo* perſuaſa fuerit, quam qui non novit legat apud *Voſſium* in Ariſtarch. Grammat. lib. I. p. 106. 107.

non ſemel uſurpant, & legitimè uſurpari defendunt; id quod vel inprimis fit in controverſiis Papiſticis, quando *ſeptenarius ſacramentorum numerus, locus limbi ac purgatorii, Petri inter Apoſtolos Principatus & Monarchia, Papalis ſucceſſio atque infallibilitas, immunitas Mariæ ϑείως à peccato originali, adoratio ac invocatio Angelorum, ſanctorum horumque reliquiarum, efficacia ſigni crucis & ſtatarum precum, penetrans vis aquæ luſtralis pulſusque campanarum, coacta auricularis confeſſio, pleniſſimus nundinationum ac indulgentiarum theſaurus, jejunium quadrageſimale, diſcrimen ciborum, communio ſub una, transſubſtantiatio, ſacrificium miſſaticum quotidie & in mortuorum gratiam conficiendum, Epiſcoporum præ Presbyteris prærogativa, diſtincti Clericorum ut Angelorum ordines, Cœlibatus ſacerdotum*, ſimilesque plures controverſiæ ex ſilentio Scripturæ S. rectiſſimè deciduntur, ubi probatum antè firmatumque eſt, nihil ad divinarum rerum motarumque circa illas contentionum ſalutarem notitiam neceſſarium oſtendi poſſe, quin in divino ſacroque Numinis afflatu exarato verbo, licet non adeo apertè ſemper atque expreſſè, reperiatur. Quod egregiè præſtitum eſt à D. *Huttero* LL. Commun. de Script. S. quæſt. VI. General. p. 64. ſeqq. *Dorscheo* Penta Dec. *D*iſp. X. p. 319. ſeqq. *Gerhardo* Tom. I. LL. de Scr. c. III. p. 7. & Exeges. Loc. I. §. 366. p. 142. *Calovio* Syſtem. Theolog. part. I. Gener. c. III. ſect. II. q. I. & c. IV. ſect. II. q. XI. p. 610. Harmon. Calixt. Papiſt. de verb. Dei c. II. ſect. II. p. 153. *Dannhauero*. Hodom. Spirit. Pap. part. I. p. 151. & 168. E Calvinianis adde *Chamieri* Panſtrat. Cathol. Tom. I. de Canon. lib. IIX. c. 1. p. 100. ſeqq. confer etiam, quæ *Chemnitius* noſter adverſus Papiſtarum traditiones, Scripturæ ſufficientiæ ac perfectioni immane quantum detrahentes, diſputat *Exam. Concil. Trid.* part. I. p. 60. ſeq. Imò quidam ex ipſiſmet Pontificiis vel inviti pro hac veritate militant apud *D. Gerhard.* Confeſſ. Cathol. lib. I. part. I. c. 1. p. 30. ſeqq. & D. *Dorsch.* Thom. Confeſſ. ſect. I. Thes. 1. p. 6. Unde & Philoſophi hanc argumentandi rationem admittere ſolent, concludentes v. gr. *Ariſtoteles* lib. VI. *Ethic.* c. 3. non recenſet aliquem *ſextum habitum inſtrumentalem* à reliquis diſtinctum, ergò talis non datur. Quamvis ut, quod verum eſt, fatear, *Ariſtotelis* auctoritas

ritas ex plurimorum Philoſophorum ἀποθεώσει omnem ſæpe Philoſophandi libertatem tollit, *abitque fere in tyrannidem*, quemadmodum conqueritur in moralibus *H. Grotius* in prolegom. ad lib. de Jur. Bell. & Pac. §. 42. in Phyſicis *Galilæus à Galilæis* eruditiſſimis *de Syſtemate mundi dialogis*, in univerſum *Lipſius* in Manuduct. ad Philoſ. Stoic. lib. I. p. 12. *Heerboord.* Meletem. Philoſ. Vol. II. p. 367. ubi plures auctores citati. Utinam excipere liceret Theologica, neque *Ariſtoteles* toties Deo Domino noſtro in verbo ſuo ad nos loquenti dominaretur! Pleni ſunt Theologorum libri iſtarum querelarum, quas parvi tamen ſæpe illi faciunt, quibus aliâs *Lutheri* præcepta non de nihilo ſunt. Videantur autem, quæ ut in aliis locis ita inprimis Tom. I. *Altenb.* p. 505. & 680. aſſertum is ivit. De aliis taceo, revertorque in ſemitam: Non enim de Philoſopho ſed Imperatore diſſertatio noſtra inſtituta eſt, tametſi cæteroqui non ineptum putemus ſcitum illud *Platonis*, apud *Ciceronem* in epiſtola ad Quintum fratrem: *Tum denique beatas fore respublicas, ſi aut Philoſophi & ſapientes eas regerent, aut qui regerent* * *omne ſuum ſtudium in doctrina & ſapientia collocarent.* Ad extremum obſervo adhuc, quod *Cuſpinianus* de Cæſaribus p. 367. cum *Richardus* quidam iſtud *Balduini* teſtimonium allegâſſet, in dubium jam vocarit iſtam relationem, eo quod *Balduinum* domum reverſum aliter longè illa de re exiſtimâſſe conſtet. Vide verba ejus in ſect. I. §. 40. Concludo verbis, quæ apud *Petrum Aurelium* Oper. Theol. Tom. III. p. 291. & (ubi ea adverſus Sirmondum defendit) p. 390. de *Manuſcriptis* generaliter dicta reperio, *deberi eatenus illis* (& ſic iſti etiam manuſcripto *Balduini* diplomati) *fidem, qua lux major & rerum graviorum explorata ratio nihil obſtat; deberi in dubiis, cum veritas aliunde nulla cernitur; deberi cum eorum authoritas nulla re inſigniori præponderetur; deberi denique cum nihil eſt, quo eorum errorem apertè coarguamus*, qualia abunde hic adeſſe prima noſtræ Diſſertationis ſectio docuit ſufficientiſſime.

§. VIII.

* Ne quid tamen nimis; quemadmodum *Iulianus* παραβάτης magnus alias & multiplici virtute Imperator malè audivit, tanquam *Græculus litterio* & Philoſophis nimium deditus. *Ammian. Marcell.* lib. XVII. inter *Scriptores Hiſtor. Auguſt. Minores* p. 505. Quis autem Principi aptus modus ſit *Lipſius* Politicorum Princeps docet *nos. ad lib. I. Polit.* p. 21.

§. VIII.

Ægre non ferent, spero, Romanenses, quod diplomata ista falsa esse suspicatus fuerim, fidemque *Monachorum* in dubium vocaverim; quemadmodum malè habuit *Mabillonium* de re Diplom. lib. I. c. VI. n. 2. p. 22. quod *Papebrochius* Jesuita *in Propylæo ad Aprilis Tomum secundum* A. 1675. editum n. 103. falsorum diplomatum labem seculo XI. & sequentibus obtinentem præcipuè in Monachos refuderat. Et alio in loco lib. III. c. III. p. 226. idem *Mabillon* vehementer in *Conringium* (quem lib. III. c. V. n. 3. Juris-Consultum nominat) debacchatur, quod is *in Censura Diplom. Ludovic.* p. 341. * *Benedictinis* Monachis primas inter falsarios partes assignaverat. Bene tamen est, quòd idem *loc. cit.* Monachos non immunes omninò esse fateatur, etsi solos illos accusandos non esse contendat, in quo nec nos difficiles sumus largiendo, qui perspectum habemus, quantum etiam in his fraudibus Jesuitarum sodalitio debeatur. *Omnia cum judicio sunt legenda*, bene monet *Rivetus* in Critic. S. lib. IV. c. 25. p. 472. *ne in quibusdam corruptorum calamus simplicioribus imponat, cum vix fieri possit, ut manum abstineant Jesuitæ, quin vim faciant autoribus qui de novo emergunt, assueti jam ante editos mutilare & pervertere.* Exempla pete ex *Dallæo* de usu Patr. lib. I. c. 3. p. 43. & adde ex *Goldasto* Replic. pro Imper. c. 5. p. 18. quod magnus ille Juris-consultorum Parens *Iac. Cujacius* testamento suo caverit, ne quis librorum suorum Jesuitis vel precio, vel gratis manciparetur. De Monachis autem (quos *omnia magnorum Auctorum scripta spurcis suis manibus contaminare* ait *Ludovicus Vives* in not. ad August. de Civit. D. lib. XXII. c. 8. lit. I. Tom. II. p. 1054.) testem αὐτόπτην habemus *Iacobum Kimedontium* lib. II. de Auctor. script. c. 6. *Testes appello passim tot Monasteriorum per Papatum Bibliothecas, in quarum quibusdam ipsemet vidi Monachos audacter admodum falsarias manus intulisse scriptoribus Ecclesiasticis, sen-*

 ten-

* Atqui *Naudæus* Raisons peremptoires p. 25. viginti argumentis sive exemplis insignibus fusè demonstravit, *Benedictinorum proprium esse quarto modo, ut falsis, adulteratis ac interpolatis documentis in omnibus suis negociis utantur*; à quo non abludit, quod *Iohannes de Launoy* habet in Discuss. c. X. p. 127. Confer omninò *Conringium* in Censura Diplomatis Ludovic. p. 338. 339. & in Appendice ad censuram p. 372.

tentias & paginas totas obliterando, imò integris ternionibus & libris excisis auctores indignè castrando. Suspecti ut meritò nostris (ex *Riveti* deducta inde conclusione *Critic.* S. de Patr. Auctor. c. 12. p. 837.) sint de novo editi libri à Romanis Bibliothecariis ex Vaticano vel ex Monachorum Claustris. Exemplo sunt *Epistolæ*, quas urbis Romæ Præsulibus à B. *Clemente* ad *Siricium* nefando ausu *Isidorus* cognomento *Mercator* supposuit, & infelice eventu adversus Magdeburgensium ἐλέγχους præter alios *Franciscus Turrianus* Jesuita defendere conatus est, egregiè vapulantes * *Davidi Blondello* in eruditissimo tractatu, quem *Pseudo-Isidorum* inscripsit, Genevæque A. 1628. publicavit. Nugas *Annii Viterbiensis* Ord. Prædicat. Monachi *Berosum* Babylonium, *Megasthenem* Persam, & *Manethonem* Ægyptium orbi erudito reddentis rident etiamnum * eruditi atque explodunt. Vide *Gerardum Iohannem Vossium* de Historic. Latin. lib. III. c. 8. p. 609. & 610. & *Martinum Hanckium* de Scriptor. Rer. Roman. lib. I. part. 1. c. 49. p. 208. & lib. II. part. II. p. 345. seqq. à quibus plures alii citati. De ficta *Constantini M. donatione* næ riderer, apertumque ostium totis viribus atque incredibili conatu effringere velle dicerer, si chartam multis citationibus complerem, crambenque centies imò millies ab aliis coctam hîc rursum apponerem. Levarunt me hoc onere *Gerhardus* in LL. Theol. Tom. VI. de Minist. Eccl. §. 320. p. m. 186. & in Conf. Cathol. part. spec. lib. II. Art. III. c. 9. p. 941. & 942. *Voetius* Dispp. select. part. II. p. 869. seqq. à quibus innumeros auctores deprehendes cita-

* In Romana Ecclesia præter *Baronium*, *Bellarminum*, *Contium*, *Perronium*, *Antonium Augustinum*, *Sirmondum*, *Ducaum*, *Petavium*, *Bosquetum*, *Marcam*, aliosque contradixit nuper istis Epistolis *Christianus Lupus* Not. ad Synod Gener. & provinc. Canon. p. 362. Cardinalis *Bona* de Reb. Liturg. lib. I. c. 3. p. 22. *le Cointe* Annal. Eccles. Tom. VI. p. 265. & quorum verba *Reiserus* in Launojo veritatis teste p. 4. citat, *Labbeus*, *Schelstratius*, & *Natalis Alexander* Scriptores Ecclesiasticæ Historiæ novissimi.

* *Historia ab Annio Viterbiensi Monacho tam crasso mentis stupore supposita, omnium ut doctorum aut indignationem aut contemptum sibi consciverint*, sic nuper admodum judicavit *Petrus Daniel Huetius* de origin. Fabul. Roman. p. 7. *Eximium* (scilicet) *mendaciorum & imposturarum compositorem* Annium vocat *Theophilus Rainaudus* Erotem. de Bon. & Mal. libr. part. I. Erot. X. Tom. XI. Opp. p. 300. b. Adde *Pinedam* lib. VII. de Salom. c. 25. n. 4. p. 548. Omnium acerbissimam censuram adversus eum publicavit *Beatus Rhenanus* lib. III. Rer. Germ. p. 347. seqq.

citatos. Integram autem vide apud *Laurentium* Banck. de Tyrannide Papæ c. V. p. 61. & adde ejusdem ſtricturas p. 330. ſeqq. An autem ſeculo IIX. juſſu *Pauli* Papæ & conſenſu *Pipini* efficta ſit, ut *Petrus de Marca* arbitratur *de Concord. Sac. & Imp.* Tom. I. lib. III. c. XII. p. 186. & Tom. II. p. 81. num verò ſeculo demum X. quæ *Maimburgii* atque illorum, quos is *Hiſtoire des Iconoclaſtes* lib. II. p. m. 271. citat, ſententia eſt, doctioribus me diſcutiendum permitto; addo id ſolummodo, *Henrico* etiam noſtro impoſitum ab Eccleſiæ Romanæ paraſitis fuiſſe, ut iſtud curiæ Papalis commentum editis tabulis confirmaret. Vide *Conringium* de Finibus Imperii lib. II. c. XX. p. 423. Fert hic locus, ut recorder * mendaciſſimæ epiſtolæ, à *Iohan-*

* Puduit fabulæ *Maimburgium* noviſſimum Lutheranæ Hiſtoriæ ſcriptorem; Unde eam non omiſit modo referre, ſed & contrarium non obſcurè indicavit, quando de *invicta* Electoris *Iohannis in hæreſi* (ſic idem vocat) *pertinacia* teſtimonium perhibuit, *Hiſtoire du Luth.* Tom. II lib. IV. p. m. 58. Quomodo ſi ſe in ſcribendo geſſiſſet ſemper *Maimburgius*, non invideremus ei elogium, quo Calvinianorum adverſus Pontificios Gallos hoc tempore Promachus *Jurieu*, mox poſt *Lutheraniſmi* editionem, & cum *Hiſtoria Calviniſmi* futura adhuc erat, incautus eum mactavit: *Le Pere Maimbourg eſcrit en honneſte homme, ſes ouvrages n'ont pas le caractere de Moine, il eſt tres habile.* Vid. *le Preſervatif contre le changement de la Religion* (cujus *Jurieu* auctor eſt) p. 23. Egregiam alias occaſionem loco illo *Maimburgius* habere potuiſſet, Principis Electoris reſipiſcentiam commendandi, quam non neglexit, cum *Chriſtina* Suecorum Reginæ recordaretur lib. VI. p. m. 267. ubi tamen vel ſtudio, vel quod ignoraret, veras illius mutationis cauſas reticuit, quas meum non eſt prolixè vel indagare vel ſignificare. Dum verò *Maimburgius* l. c. Patri gloriſſimæ recordationis Heroi longiſſimè filiam anteponit, ſuccurrit, quod *Ælius Spartianus* in *Severo* Cæſare *in Scriptor. Hiſtor. Auguſt. Minor. p.* 301. multis exemplis declaravit, uſu ita fere veniſſe olim, ut viri ſeu virtute, ſeu literis, ſeu fortunæ indulgentia inſignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales reliquerint, ut magis ex uſu rerum humanarum fuerit, illos abſque liberis deceſſiſſe. Adde illud *Homeri* Odyſſ. 6.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται
οἱ πλέονες κακίες, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείες.
Æquat raro Patrem ſoboles, ſed plurimi ab illis
Degenerant, pauci ſuperant probitate Parentem.

& quod ex *Plutarcho* in vita Arati *Eraſmus* citat *in Adagiis variorum*, p. 162.

Τίς πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί.
Quis Patrem laudet, niſi proles indiga laudis?

Exempla ejus lege apud *Felicem Oſium* in notis ad *Muſſati* Hiſtor. p. 23. Scilicet errant illi, qui ex ſanctis Parentibus liberos ſanctos naſci aſſerunt. Vid. *Diſput. Gieſſenſ.* Tom. V. Diſp. XIII. q. 2. p. 383. *Dannh.* Hodomor. Calvin. Phantaſm. X. p. 3227. & 3240 *Meiſner.* Anthropol. S. Dec. I. Diſp. V. p. 120. & Diſp VI. p. 192. *Hutter.* Irenic. c. 28. art. 9. p. 103. Sacra hæc autem ſpectant, non civilia, quæ alterius fori ſunt.

à *Iohanne Friderico* Saxoniæ Septemviro ad Bavaricos Duces *Wilhelmum* & *Ludovicum* de morte, teſtamento & poſtrema declaratione Parentis ſui IOHANNIS in recipiendis Pontificiorum ſacris A. 1532. D. 24. Auguſti ſcripta fertur, verè autem Jeſuiticus fœtus eſt, ut contra *Andream Fabritium*, *Chriſtophorum ab Ungersdorff*, (qui ἀυλόγραφον Monachii aſſervari nugatur, perinde ut *Latomus Brouverusque* de *Balduini* diplomate Treviris olim extante ſomniarunt,) aliosque anonymos Jeſuitas clariſſimè demonſtravit D. *Zeamannus* in Refutat. ſcripti Ungersdorff. germanic. part. 2. c. 18. p. 318. ſeqq. nec non D. *Gerhardus* in Confeſſ. Cathol. lib. I. Gen. Append. p. 918. ſeqq. Quumque nuper Jeſuita quidam editis A. 1679. Coloniæ *ephemeridibus* peſſimas iſtas & adulterinas merces venum rurſus exponeret, famæ piiſſimi Principis Vindices extitere Dn. D. *Calovius* & Dn. D. *Brucknerus*, quorum proſtant editi publicè libelli. Quibus artibus *Paulus* V. Romanus Pontifex contraria invicem *Brevia* (ut vocant) in cauſa Veneta ſecretò ediderit, ut ſuo honori & Venetorum deſiderio ſatisfieret, lectu digniſſimum eſt apud *Dallæum* de Vero Uſu Patrum lib. I. cap. 3. p. 46. qui id ex Manuſcripto hominis Veneti Commentario didicit. Multa ejus generis afferre adhuc poſſem, ſed hæc, ut videtur, ſatis ſunt ad id, quod inſtitueram, probandum, ut nemo nunc miretur, quod literas in gratiam favoremque *Dominicanorum* confictas auſus fuerim explodere. Latus adhuc dicendi eſſet campus de fraude Pontificiorum, in corrumpendis depravandisque ſingularibus auctorum, quos adverſari ſibi inveniunt, locis, ad quod eò felicius perpetrandum *indices librorum vetitorum & expurgandorum* confecerunt, (quos optimo jure *conſpurcatorios* cum *Hulſemanno* noſtro *Manual. Aug. Confeſſ.* Diſp. XIX. p. 1225. dixeris, *quia eradere Patrum & autorum dicta, & ſua ſubſtituere cum injuria totius poſteritatis non expurgatio ſed conſpurcatio eſt*,) ſed exſpatiantium in campum iſtum tanta copia eſt, ut locum illic nullum reperiam. Miror ſolummodo, (ne ἀσύμβολος abeam,) ſervos Pontificum nondum deſiſtere, quin ſtrenuè potius in iſta fraudulenta arte pergant, quemadmodum exemplum noviſſimæ editionis *Alphonſi Ciacconii* Hiſtoriæ Pontificum Romanorum

norum ab *Augustino Oldoino* procuratæ testatur, in qua, quæ in prima *Ciacconii* editione de *Alexandro* Pontifice collum *Friderici* Imperatoris calcante habebantur, omissa fuére, ut indignabundus refert *Reiserus* in Launojo Veritatis Teste p.858. Recentius illo adhuc est, quod auctor *Expostulationis de S Iohannis Chrysostomi epistola ad Cæsarium Monachum, adversus Apollinarii hæresin à Parisiensibus aliquot Theologis non ita pridem suppressa* An.1682. Londini editæ & *S. Anastasii Sinaitæ Anagogicarum Contemplationum libro XI.* præmissæ, pluribus exposuit, quæ in epitomen contracta sunt ab *Eruditis Actorum Lipsiensium Collectoribus* An. 1683. p.25. Edidit epistolam istam integram inter *Varia sua* Doctissimus Batavorum Theologus *le Moyne*, cujus eruditissimæ notæ plura scitu digna jucundaque significant. Quæ omnia optimo jure liberare nos à culpa poterunt, si qua est, quòd non ita faciles simus in admittendis spuriis istis literis. Uti præterea hoc telo nobis licuit adversus τοὺς ἐξ ἐναντίας, quia ipsis nō raro idem argumenti genus adversus nostros usitatum est. Ita * *Baronius* (ut exemplis aliquot dicta illustrem) in Annal. Eccles. Tom. I. ad An.57. n.64. p.602. criminatur, vocem *Pauli* in epistolam Ignatii ad Philadelphienses *vel à Novatoribus, vel à recentioribus Græcis* infultam fuisse; & Tom.XI. ad An.1196. n.63. p.1056. *Matthæi Parisiensis* occasione scribit: *Nisi probra illa fuerint additamenta potius ejus, qui edidit, Novatoris hæretici hominis, quum peculiare sit illis libros, quos potuerint, depravare.* Sic & *Bellarminus* de scriptor. Eccl. Tom.VII. Opp. p.128. *Marci Eremitæ* opuscula, quod multa continere videret ab hodiernis Romæ placitis aliena, infamavit: *Sed ea opera ita scatent erroribus contra fidem, ut suspicari cogar, vel ab hæreticis nostri temporis conficta, aut valde depravata fuisse*; & lib.II. de Bonis Oper. c.18. Tom.III. Controv. p.1467. *Posset fieri, ut tam in Canone Apostolico, quam in epistola Ignatii solum prohiberetur jejunium*

 diei

* Sed benè monet *Casaubonus* prolegom. in Exercitat. ad Baron. Annales, verius dici hoc de ipsomet posse, *quum non difficile sit loca Veterum Auctorum observare in illius Annalibus, depravata in gratiam Papæ contra fidem Veterum exemplarium.* Ut adeo *probus Vir spectataque integritatis Baronius* nequaquam fuerit, qualem eum esse *Huetius* in Demonstr. Evangel. propos. III § 13 p.m. 50. persuadere nobis voluit; Qui ipse tamen alio in loco *probitatem atque integritatem* hac in re *Baronio* satis levem inanemque tribuit. Vide ejus *Origeniana*, quæ nitidissimæ suæ *Origenis* editioni Rothomagensi præfixit lib. I. c.4. §.5. p.22. & 23.

diei Dominicæ, ſed poſtea à Græcis poſterioribus inſertum fuerit nomen ſabbati. (Ad quam criminationem reſpondit *Vedelius* Exercit. in Epiſtol. Ignat. ad Philipp. c.6. p.80.) Idem *Bellarminus* lib. IV. de Rom. Pontif. c.II. Tom.I. Controv. part.I. p.992. *Honorii epiſtolas*, ait, *fortaſſe ab hæreticis confictas & Concilio generali inſertas fuiſſe.* Alia adhuc ex eo loca collegit *Dorſcheus* noſter, in Scrupul. Relig. p. 229. ex aliis Papiſtis *Dallæus* de Uſu Patrum lib.I. c.4. p.109. Omnium impudentiſſimus ſimul & iniquiſſimus eſt Jeſuita Hiſpanus *Ioannes Baptiſta Poza*, qui *quæcunque* (verba hæc ejus ſunt,) *in ſcriptis Patrum inveniantur minus Eccleſiæ fidei, aut ſedis Apoſtolicæ ſenſibus conſona, non ab eorum calamo aut mente promanaſſe, ſed à corruptione temporum, ab iniqua translatione, ab inſcitia aut ſocordia amanuenſium, ab erroribus typographorum, ab hæreticorum calumniis*, audaciſſimè aſſeruit, in *Elucidario Mariæ* Lugduni An.1627. edito lib. IV. tract. III. c.1. p.1128. Cui cum præcedentibus criminatoribus libet reſpondere verbis *Petri Aurelii* Romanæ Communionis Theologi, quæ *Oper. Theol. Tom. III.* p.291. ad Sirmondum direxit: *Si ea eſſemus confidentia, qua Poza ſodalis Tuus olim Complutenſis, nunc Madritenſis & Imperialis novi Collegii ac nominis Profeſſor, qui in opere audacibus deliriis referto, ſumma* * *ſapientia à ſede Apoſtolica proximè damnato* (Elucidarii lib. IV. tract. 3. toto) *libros integros poſuit, quibus hoc unum agitur, ut quæcunque ipſi adverſa in ullis SS. Patrum ſcriptis reperiri poſſint, ea vel à Typographis vel ab antiquis exſcriptoribus vitiata dicere liceat, nec reſpicienda ſit excuſorum vel manuſcriptorum ulla fides, quaſi fallacibus & plerumque imperitis hominibus nixa, haberes equidem cur de noſtra temeritate querereris.* Sed hæc quidem hactenus; ex quibus luculenter admodum conſtat, quam facile ſibi homines iſti perſuadeant, vitiata ac mendoſa eſſe Veterum ſcriptorum monumenta, quoties ea ad palatum coqui Romani non ſunt, cumque privatis ejus opinionibus pugnant. Accommodemus autem hîc illud *Claudiani Mamerti* Epiſcopi de Statu Animæ lib.II.

c.10.

* Ita eſt. *Elucidarium Mariæ* & omnia *Pozæ* Opera Cenſura Pontificis Romani damnavit, non verò obtemperavit illi *Poza* ſociique ejus Jeſuitæ, certiſſimo indicio, hos penes in Romana Eccleſia imperium eſſe. Plura nec aliis obſervata ea de re habet *Francus* de Papiſtarum Indicibus librorum prohibitorum c. V. §.75. p.86. & c. XIII. §.187. p.205.

c.10.Tom.V.Biblioth. Patr.*de la Bigne* p.707. *Gloriosum victoria genus est ab eo, cum quo decertes, arma capere*, & quod *Virgilius* habet *Æneid.* lib.II. v.387.

O Socii qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur:
Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus, dolus an virtus quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi.

Plura non addo, quæ enim de isto negocio dici possent porro, chartæ hujus angustia non capit, & progressus nunc faciendus est alia.

§. IX.

Demonstratum, nî fallor, jam est, argumentum hoc, quod dissentientes Herculeum putârunt, & pro umbone adhibuerunt, nihil planè ipsis prodesse, eorumque causam minimè juvare. Tertius aries, quo sententiam nostram iidem pulsant quatiuntque, eam non magis quam priores duo destruit aut prosternit. Dicunt permagnum inter Historicos, quos adduximus, intercedere dissensum, neque omnes eodem modo atque ordine gestam rem recensere; quo argumento & aliâs utuntur in historia de *Iohanna Papissa*, sicut in illo præ reliquis *Caspar Schottus* in Physic. Curios. lib. III. c. 17. p.430. seqq. laboriosus admodum fuit. Quanta verò, quæsumus, inter hostes nostros de obitu *Henrici* reperitur narrationum diversitas? Sunt, qui morbi genus planè tacent, obiisse eum contenti retulisse: Plurimi dysenteriam, plerique febrim, nonnulli malam ventriculi dispositionem, quidam etiam anthracem, alii apostema in coxa, aliqui pleurisim, multi scissam à stranguria vesicam, alii aliud morbi genus venenum sæpe, quod illorum encomiastæ non advertunt, includens potius quam negans adferunt, quo se vertant in tanta veritatis luce nescii. Tantam autem varietatem apud auctores mihi lectos & antea productos non deprehendo. Ut autem, si qua est, tollatur, pernecessarium arbitror moneri Lectorem: *substantiam facti esse*, QUOD IMPERATOR *HENRICVS VII.* CUM SACRA SYNAXI UTERETUR, A MONA-

CHO PRÆDICATORII ORDINIS INTOXICATUS „FUERIT ; hancque Historiam illo statim, quo contigit, & sub-„sequentibus etiam seculis à quam plurimis, monachis plerisque „& Viris Papatus alioqui studiosissimis, assertam, à paucis dissimu-„latam fuisse aut negatam: Convenire in hac summa rei auctores, „à quibus ea traditur, omnes: Si quid igitur in circumstantia una „vel altera varietur, imò etiamsi falsi nonnihil deprehendatur, „propterea veritatem ipsius facti non collabi, nisi pari de causa „magnam partem universæ historiæ, & præsertim Pontificiæ, qua „in enarrandis omnibus circumstantiis nulla sub sole incertior, everſum eamus. *Sæpissime*, ait *Bellarminus* lib. II. de Rom. Pontif. c. V. Tom. I. Controverſ. part. I. p. 731. *accidit, ut constet de re & non constet de modo vel alia circumstantia. Nam constat apud Christianos, Christum esse mortuum in cruce pro nobis, tamen maxima discordia est in tempore, quo mortuus est. At nunquid propterea negabimus Christum esse passum ac mortuum?* Doctè ut verè: Quæ enim historia, verissima licet, circumstantiarum ratione uni atque alteri contradictioni ac variationi obnoxia non est? Littus proin arant, & cribro aquam hauriunt, qui in his hujusmodi contradictionibus compilandis diligentes sunt. Nunquam objectiones talium, quæ multum negotii facessant, hîc non occurrunt: Præterea notæ nostræ, quas sæpius testimoniis auctorum subjecimus multas ἐναντιοφανείας tollunt. Non pigebit autem insigniora, quæ peculiari responso indigere videntur, discutere. Sic non adverſantur pugnantque invicem, qui historiam de *Henrico* simpliciter & sine omni dubitatione narrant, & qui notas istas, *ajunt, fama est, fertur*, interserunt atque attexunt. Solemus quippe ita, quæ ab aliis accipimus, præsertim inopinata, prodigiosa & detestabilia commemorare, quando cumprimis volumus, ne tantus nævus tantaque contumelia nostræ sectæ hominibus acciderit, aut quando timidi aliorum iram atque odium declinare cupimus & ostendere, sequi nos communem hominum assertionem, nequaquam verò proprii cerebelli commenta. Unde substituunt pro eo alii, *ut quidam scribunt*, plurimi verò *Ptolomai Lucensis* auctoritate se tuentur, ut supra jam dictum. Utrumque con-

conjungit, quod probè notandum, *Wernerus Rolevinck* in Fascic. ætat. VI. p. 83. *Hæc leguntur in libris & fama feruntur.* Neque repeto semel iterumque in præcedente sectione monitum, quòd dubitationes istæ sæpe apud auctores non totius historiæ complexum, sed unam saltem alteramque illius circumstantiam spectent. Taceo etiam, quod Clarissimus *D. Zvvingerus* De Festo Corpor. Christ. p. 151. præter alia observat, phrases has & similes in aliis historiæ capitibus (sedi Romanæ scilicet magis proficuis) patientissime ab illis tolerari. Quod si incertitudinem formulis istis subesse nō destiterint urgere, urgebimus & nos, quod *Nauclerus* in Chronic. ad An. 1313. p. 372. b. de literis Dominicanorum scripserit: *Dicitur tamen ordo Prædicatorum habere literas, &c.* Observandum præterea, non falsa omnia esse, quæ famâ accipimus, quandoquidem sæpe non nisi per eam scire possumus, quorum aliis veritas perspecta satis est & cognita. *Fama ejusmodi ad probationem sufficit*, inquit *Glossa publicè in cap. I. de post. præl.* quod ex ea dictum citat *Andreas Saussay* multæ & variæ lectionis Vir, in *Didascalica* * *sua de causa Convers. S. Brunon. epistola* p. 36. edit. *Paris.* Moderatè igitur, & cum cautione accipienda, quæ *Christophorus Adamus Rupertus* in observ. ad Besoldi Synops. c. 18. p. 671. in simili materia literis mandavit. Discordare porro videntur, quæ aliqui nostrorum Historicorum de hostia, plurimi autem de calice, in quo venenum Imperatori propinatum fuerit, tradiderunt, sed videntur tantùm: Facilis enim conciliationi locus est, quando utramq; Eucharistiæ partem, (si forte contingeret alteram ad producendum effectum ineptam minusq; validam esse,) à scelestis sociis infectam fuisse à vero non abludit. Sicut & post *Aventinum* Annal. Bojor. lib. VIII. p. 746. & *Cuspinianum* de Cæsaribus p. 366. *Petrus Bizarus* Annal. Genuens. lib. V. p. 99. utrumque bene copulavit, quando ait: *Monachum Dominicanum, perditissimum ac sceleratissimum hominem, veneno & hostiam & calicem infecisse.* Cui illustrando adjicere liceat ex *Annalibus Francorum Fuldensibus*

* Malè autem loco isto *Saussajus* canonem istum accommodat, ut *Iohannes Launojus* ostendit in Defens. Correct. Rom. Breviar. p. 73. Quando & quibus in causis forum spectantibus fama ad probationem faciat, ex *Berlichio* & *Mascardo* docet *Zieglerus* Jur. Canon. ad Lancelott. lib. III. tit. I. p. 659. & tit. 15. p. 844.

Tom.I. ſcriptorum *Freheri* p.46. quæ ad An.883. de *Iohanne* Pontifice Romano ibidem referuntur: *Romæ Præſul Apoſtolicæ ſedis Ioannes prius de propinquo ſuo veneno potatus, deinde quum ab illo ſimulque aliis ſuæ iniquitatis conſortibus longius victurus putatus eſt, quam eorum ſatisfactum eſſet cupiditati, qui tam theſaurum ſuum quam culmen epiſcopatus rapere anhelabant, malleolo dum usque in cerebro conſtabat, percuſſus expiravit.* Quis ſcit, quid nequiſſimi Monachi conaturi fuiſſent, ſi eventus apud *Henricum* ex voto non reſpondiſſet? Nemo non videt etiam, quam facilem lapſum memoria quorundam pati potuerit, *hoſtiam* pro *calice* intelligendo, ſi quidem immunis planè illa à veneno manſerit. Nobis ſpeciatim quæ mens ſit, paucis in tertia ſectione detegemus, in qua de ritu *ablutionis Calicis* in Romana Eccleſia uſitato, & in qua venenum latuiſſe credimus, tradere quædam promiſimus. Rei etiam noſtræ non obeſt, quod Monachi Cæſaricidæ nomen variat, dum alii eum *Paulinum*, alii *Iohannem*, plurimi verò *Bernhardum* nominant. Errore enim circa nomina in Hiſtoricis frequentius nihil eſt, nihil & facilius. Par ſi non major ambiguitas in Hiſtoria Pontificia paſſim reperitur, in qua ne de vero quidem nomine primi Papæ Romani Petriq; ſucceſſoris certa ſententia eſt. Ab auctoribus tamen, qui à nobis laudati ſunt, communiter *Bernhardus* appellatur; quidquid ſit de uno atque altero eorum, qui forte non tam ſceleris Principem quam ſocium aliquem, (non enim unum ſcelus perpetrâſſe conſtat,) ſignificare voluit. Placeant ut adeo, quæ *Felix Oſius* Vir magni judicii, & in hac *Henrici* hiſtoria præ omnibus aliis cum laude verſatus de diſſenſu ſcriptorum circa verum Uxoris *Henrici* nomen judicavit: *Quid hic conſultus reſpondeam? Quid decernam? Iuvat hic omninò regiam tenere viam & multitudinem ſcriptorum ſequi*, not. ad Muſſat. Hiſtor. p.95.b. Dici & fortean poterit, reſpexiſſe quosdam nomen, quod homicidæ fuit, antequam in ordinem *Dominici* adſciſceretur. Notum enim eſt, Monachos in *profeſſione*, ut appellant, nomen vetus & baptiſmale à parentibus inditum amittere, & à *ſuperſtitione* novum accipere. Vid. *Nebridius à Mundelheim* in Antiquario Monaſtico Epiſt.38. p.175. ſeqq. Quemadmodum & eorum idola Romani Pontifices, ſub auſpicium ſui

Pon-

Pontificatus immutare nomina solent, de cujus mutationis origine lis inter eruditos definita nondum est. Vid. *Montacut.* Origin. Eccles. part. 1. n. 114. p. 113. *Strauch.* Amoenit. Jur. Canon. Semestr. I. c. 16. p. 28. *Siricii* Idol. Papal. p. 33. 34. Non diffident denique, qui *Henrici* Medicos potione quadam vomitum efficiente venenum ex eo expellere voluisse narrant, & qui ejecturos se illud per oculi transennam ad *Alberti* Cæsaris exemplum promisisse referunt, quum dubium non sit, diversis Medicorum consiliis in tanta concertatione tantoque *Henricum* juvandi studio locum fuisse. Quamvis & egregium concentum percipiemus, si audiemus, hucque conferemus, quæ *Cuspinianus* in Comment. de Cæsar. p. 360. de *Alberto* recensuit: *Cum vinci Albertus nequiret, oblatum est illi venenum, quod ut ejicerent medici, omnem navantes operam Ducem inverterunt, machina ad hoc ingeniosè fabrefacta, ut continuò vomeret non tamen suffocaretur. Exclusum est itaque venenum per os, per nares, per oculos: visque ejus tanta fuit, ut alterum ei oculum corrumperet, unde sæpe Monoculus Rex dictus est.* Confer etiam *Lehmanni* Chronicon Spirense lib. VII. c. 1. p. 709. Reliquæ discrepantiæ, si quæ supersunt, leves admodum sunt, nec veritati generatim traditæ officere poterunt.

§. X.

Quid sigillatim veritati nostræ ab uno alterove hostium opponatur, nunc est dispiciendum. Ante autem, quam id fiat, non * abs re erit, si moneamus, plerosque, ut contrarium sentirent scriberentque, facti dedecore Monachorumque ac Pontificis honore con-

* Præceptum est non contemnendum *Hoornbeckii* in Summ. Controv. Dissertat. de Controvers. p. 25. *ut in elenchticis omni curâ attendere primùm debeamus, quis qualisve adversarius noster sit, qua eum causa impellat, & quo animo in campum prodeat.* Congruit illi, quod exacti judicii vir *Dionysius Halicarnasseus* olim dicebat, in ferenda sententia de aliquo Historico cum primis spectandam esse τὴν διάθεσιν τῦ ξυγγραφέως, *quomodo animatus ad scribendum accessisset*: Vix enim ac ne vix quidem fieri potest, quin scriptio affectum animi prodat. Vid. *Casaubon.* prolegom. in Exercit. ad Annal. Baron. Simili autem nostro egit modo *Goldastus*, quando ad criminationes *Bellarmini*, *Baronii*, *Gresseri* atque aliorum adversus *Bennonem* Cardinalem vitæ *Hildebrandi* scriptorem respondet, in Dissertatione de auctoribus pro *Henrico* IV. abs se An. 1611. Hanoviæ editis p. 14. *Si Benno pro Hildebrando in Henricum Imp. arma stili sui distrinxisset, nemo illo doctior, nemo eruditior, nemo nervosior, nemo orthodoxior, nemo καθολικώτερος, nemo beatior aut sanctior apud Papanos celebraretur: Nunc quia Christum & unctum ejus Imperatorem propugnavit, indoctus, insulsus, barbarus, & inconditus calumnioso horum judicio habetur.*

conservando impulsos fuisse. Omnia daturus essem, si tot tantique ponderis testimonia Pontificii scriptores in confirmando aliquo conficto miraculo, aut probando quodam de *Luthero* nostro mendacio haberent, num verior ulla certiorque historia futura apud ipsos fuisset, quam nostra hæc *de intoxicatione Henrici VII. Imperatoris.* Ast grates debemus summo Numini, quod luce superiori seculo ope *Lutheri* nostri aliorumque in bellis Domini exercitatorum Herorum rursum accensa illustrati, quemvis unctum lapidem Pontificiorum non adorare teneamur. Sed manum de tam prolixa invidiosaque materia, revertamur ad hostes nostros, eorumque obtusa tela. Antiquissimus, quem factum istud negâsse inveni, est *Richardus*, de quo nil nobis nisi hæc ex citatione *Cuspiniani* constant, scribentis *de Cæsar.* p.367. *Richardus negat eum veneno fratris prædicatoris periisse, sed ardentissima febre correptum sexta die vitam finiisse, atque corpus ejus tanquam venenati ob repletionem comparuisse, Ioannis filii ejus* Boemorum *Regis, ac Balduini Trevirensis Archi-Episcopi fratris sui testimoniis, ut ipse asserit, qui inquisitionem super hac re fecerint.* Quis fuerit iste *Richardus* non adeo in expedito est. *Bzovius* in Continuat. Annal. Baron. Tom. XIV. ad An. 1313. n.16. p.213. ubi eadem ex Cuspiniano verba citavit, addidit: *Fuit Monachus Cluniacensis Richardus*, quæ verò apud *Cuspinianum* non reperiuntur. Responsionem ergò mutuabor ex *Herwarto*, qui in simili argumento, dum Bzovius *Richardum Cistercienſem* Tom. XIV. Continuat. ad An. 1337. n.3. p.776. allegaret, quærendo respondit: *Quis est iste Richardus, cujus nec Bellarminus in scriptor. Eccles. nec Possevinus in Apparatu, nec Gesnerus in Bibliotheca nec Iohannes Clessius in elencho editorum decimo sexto seculo meminit?* Quemadmodum autem errantem hic *Bzovium* reduci in viam posse arbitror, si scribere cum *Richardus Cicestrius* voluisse dixero, qui fuit Monachus West Monasterii Benedictinus, medioque seculi XIV. vixit & libris V. *Anglo Saxonum Chronicon* complexus est. Vid. *Balæum* scriptor. Illustr. Britan. Centur. V. p.430. nec non *Simlerum* in Epitom. Biblioth. Gesneri p.602. ita & hîc lapsum illius per sanè fœdum & gravem deprehendisse mihi videor, quando observo, fuisse

quidem

quidem hoc nomine quendam *Richardum Cluniacensem* Monachum, sed qui ducentis propemodum annis *Henricum* VII. antecessit; (floruit quippe is *Conradi* III. & *Friderici Barbarossæ* temporibus. Vid. *Vossius* de Histor. Latin. lib. II. c. 53. p. 430.) Meliora igitur sunt quærenda. *Nicolaus Gerbelius* in Catalogo auctorum, quibus *Cuspinianus* usus est, & qui hujus Commentario præfigitur, scribit: *Richardus, qui ab aliis Ricoldus, contra Alcoranum scripsit.* Non dubito, quin hunc *Richardum* voluerit *Cuspinianus*, quanquam librum, in quo id * *Richardus* inficietur, non citet. Neque enim *Gerbelius* in indice isto alterius alicujus *Richardi* meminit, non neglecturus utique, si à *Cuspiniano* alium adductum fuisse novisset. At ille *Richardus* Alcorano-Mastyx & Florentinus fuit, & Dominicanorum familiæ socius. Vid. *Gesner.* in Biblioth. p. 582. Redit igitur observatio nostra sub principium statim hujus sectionis inculcata; scriptores nimirum aliquos patriæ ordinisque sui honorem cum dispendio veritatis salvare voluisse; sicut &, quæ de literis Dominicano ordini datis paulò ante disseruimus, repetenda hîc erunt. Neque, quod præterea observandum, cohærere videntur, quæ *Richardus* iste de genere mortis, ex quo *Henricus* obiit, recenset. Ardentissima enim febris, qua correptum eum scribit, vehiculum esse potuit veneni, quemadmodum non rarò in istiusmodi occasionibus contingere Medicorum me filii docuerunt, ut adeo *corpus ejus tanquam venenati* (nescio an ob *repletionem*, de qua *Richardus* memorat, quam aliâs *ardentissima febris* rarissimè post se relinquit,) *comparere*, & revera esse etiam potuerit, sicut *Blondus Flavius* Histor. ab Inclin. Rom. Decad. II. lib. IX. p. 347. eumque secuti alii *multos scripsisse*, ajunt, *signa veneni in cadavere apparuisse.*

§. XI.

Post *Richardum* alius adhuc scriptoris nobis adversantis *Cuspi*-

 nianus

* Notum est studium Doctoris nostri *Lutheri*, qui *Richardi* istius Ordinis Prædicatorum Monachi refutationem Alcorani in Germanicam linguam transtulit *Tom. IIX. Altenburg.* p. 12. Cujus versionem recudi nuper curavit *D. Ahasverus Fritschius* JCtus & Cancellarius Schvvarzburgicus pietate atque eruditione nemini secundus: (Præstantius elogium, qui quærit, inveniet apud *Spizelium* Infel. Liter. Common. XXXIII. p. 1045.) Ubi cum nihil, quod huc spectet, inveniam, plura *Richardum*, atque aliàs indicantur, scripsisse suspicor.

nianus meminit, absque tamen illius nomine, quem & ideo ἀνωνύμως tractabimus. *Addit*, verba sunt Cuspiniani, *alius scriptor hunc Bernhardum sexagenarium fuisse, & Gibellini nominis studiosum, à Montisfeltri Dominis in familiarem Henrici amicitiam insinuatum, atque ob id insontem fuisse*. Illi cum *Cuspinianus* respondens *Ptolomæi Lucensis, Annaliumque* tum temporis scriptorum auctoritatem rectè suoque muneri convenienter opponat, conjicio scriptorem istum ætate paulò fuisse inferiorem, unde qua facilitate ab illo innocentia Monachi affirmatur, eadem & à nobis negatur; imò & cum ratione negatur, tametsi cum ratione ab eo non affirmetur. Potuit enim hominum nequissimus & sexagenarius, & Gibellini nominis studiosus, & à Montisfeltri Dominis *Henrico* commendatus, simul tamen homicidii quoque reus esse, superaddito ingrati animi scelere, quo nihil scelestius. *Nil homine terra pejus ingrato creat*, ait ex Menandro *Ausonius* Epigrammat 130. *In * quo vitio nihil mali non inest*, ut ad *Atticum* scribit *Cicero* lib. VIII. Epistol. IV. Hinc & legimus, istud ἀχαριστίας vitium homicidæ ab Imperatore sat graviter fuisse exprobratum: Verba Imperatoris exhibuit *Ioannes Geerbrandus à Leidis* in Chronico apud *Svveertium* Annal. Belg. Tom. I. p. 247. Forte ideo *Henrici* amicitiam pessimo dolo aucupatus est Monachus, ut eo licentius vitæ ac conscientiæ ejus dominari posthac posset, quale quid toto die in Principum aulis evenire opus haud est, ned expedit, præco ego ut sim. Gibellini nominis Cultor

* C.tant communiter *Ciceronis* istud dictum sequenti tenore: *In ingratitudine nihil mali non inest*: Et sic allegatum inveni, præter alios plures, apud *Iosephum Langium* in Florileg. p 282. Sed præterquam quod, ut visum modo, aliter longè *Cicero* locutus sit, non advertcrunt isti, *ingratitudinis* vocem ut & *gratitudinis* antiquis planè ignotam fuisse, ut ne unquam vocabulo illo *Ciceronem* usum fuisse, bene observârit *Vorstius* de Latinit. merit. suspect. c. 7. p. 63 & ante hunc *Gerardus Ioannes Vossius* de Vitiis Sermon. lib. I. c. 16. p. 68. Sanè quam refugerit *Cicero* barbaram *ingratitudinis* vocem, ex ejus epistola secunda ad eundem *Atticum* lib. IX. liquet, ubi περιφράσει utitur & ait: *Sed quia ingrati animi crimen horreo*. Et eod libr. epistol. VI Græcam vocem ἀχαριστία præfert: *Sed ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam*. Fallere autem *Langium* in ista citatione nequaquam miror, cui compertum plures ejusmodi apud eum sententias reperiri, quas ex *Thoma Hyberaico* intempestivè desumtas nec revidit nec correxit. Quò confer D *Cunradi Dieterici* admonitionem in præfat. ad *Analysin* suam *Evangeliorum* (in quo ipso tamen libro part. II. p 414. diligentissimus Vir dicta *Ciceronis* verba corruptè allegavit.)

cultor fuerit nec ne parum refert, præceptorum modo DOMINI de non profundendo humano ſanguine, deque proximo diligendo cultor fuiſſet. Amor pecuniæ, cœcaque erga ſummum Pontificem obſervantia facilimè ſcintillas amoris, ſi quæ ipſum penes fuerunt, extinguere in eo valuerunt. Simul hinc inſcitia liquet *Johannis Caba ſſutii* in Notit. Eccles. Synopſ. ſecul. XIV. p. 479. b. *Henricum*, ſcribentis, *fautorem ſe ſe Guelforum exhibuiſſe, ut in oppoſitam, quæ Gibellinorum dicebatur, omni immanitate deſæviret.* Quod ſi eſſet, perabſurdum profectò foret, Anonymum *Cuſpiniani* ex Monachi ſtudio erga Gibellinum nomen inſontem eum fuiſſe voluiſſe demonſtrare. Sed poſtulat alius locus confutationem ineptiarum Caba ſſutianarum, ideoque aperto Marte aggredi hîc eum nolumus.

§. XII.

Felix Fabri in Hiſtoria ſua Svevorum, (quam *Goldaſtus* cum aliis *Svevicarum Rerum* ſcriptoribus Francofurti 1605. edidit,) lib. I. c. 14. p. 147. telorum vim ingentem, verè licet imbecillem, in nos effundit, quam paucis repellimus; Non enim nugæ ejus prolixam operam merentur. Sententia ejus de morte Henrici eſt, *quòd proficiſci ad maritimas regiones voluerit, & dum in quodam flumine refrigeraretur, quod peſtis eum invaſerit, qua & mortuus ſit.* Nova planè & antiquis omnibus incognita, hincque meritiſſimo jure nobis ſuſpecta relatio. Nimirum, ut fontem erroris aperiam, inaudiverat *Felix* (quemadmodum ipſe præcedente cap. XIII. p. 123. *multa ſe* * *auditu didiciſſe* ſcribit) *Henricum*, ex quorundam traditione, balneas Maceratanas adiiſſe, ægrumque fuiſſe ex illis reverſum, unde inſigni hallucinatione fabellam iſtam infeliciſſime concepit. Neque, quod porro cenſuram meretur, attendit *Felix*, haud quaquam cum noſtra Hiſtoria pugnare, quòd balneis Maceratenſibus *Henricus* uſus fuerit, ſiquidem oppoſitæ inter ſe hæ actiones non ſint, ſed ſuaviſſima harmonia ſe ſe invicem ſubſequantur. Deinde non video, quomodo *peſtilentes atque nepharii homines* (hæc eſt *Felicis Fabri* erga

* Atqui abeſſe Hiſtoricus debet ab omni ſecuritate & credulitate, ne parùm explorata, atque, ut *Polybius* loquitur, ἀκοὴν ἐξ ἀκοῆς *auditione ab aliis, qui itidem audiſſent tantùm, accepta* ſcriptis conſignet. Vid. *Voſſium* de Arte Hiſtor. c. 9. p. 47.

ga testes nostros modestia) *suadente Diabolo mendacii sui occasionem accipere potuerint ex morte Victoris Papæ III. qui occultè injecto sibi veneno in calicem, dum celebraret, mortuus fuerit.* Quid Papæ cum Imperatore, & quomodo seculi XI. historia traheretur ad seculum XIV? Annon multi ex nostris Historicis utrumque factum literis mandârunt? Nemo non videt atque intelligit, quantum veritas hac in re ab affectibus *Fabri* patiatur. Si ordinis sui (Dominicanus enim & ipse *Felix* fuit,) socios occasionem ex priore facto sumpsisse scripsisset, dixisset quod majorem veritatis speciem habuisset. Nondum satis ineptiarum: Dicit, *accusatum fratrem Dominicanum ad filium & ad uxorem defuncti accessisse, & sigillata testimonia ab eis aliisque Principibus atque ab ipso Papa bullam accepisse, quæ adhuc hodie habeantur in Eslinga & Argentina ad Prædicatores.* Atqui *Henrici* filius *Johannes* Bohemiæ Rex non iverat cum Patre in Italiam, sed manserat in Germania, (vide præcedentem paragraphum quintum) quò ad Regem *Johannem* Monachum ivisse ipsæ apologeticæ literæ negant, dum Aretii ipsum permansisse credi sibi postulant. Uxorem autem (quod planè ridiculum) tum temporis *Henricus* non habebat, quippe quæ duobus ante annis An. 1311. Idibus Decembris Genuæ decesserat, ceu præter illius temporis Historicos ex *Ephemeridibus mortualibus Mariæ* constat: *Idus Decembris obiit Illustrissima Domina Margareta quondam Imperatrix, quæ nobis multa bona fecit, & in promtâ pecuniâ nobis dedit D. libras Turonenses.* Vid. *Wilthemium* in vita Venerab. Yoland: in Appendic. p. 163. Et ne quis mortua illa uxore aliam *Henricum* duxisse suspicetur, quæ superstes post illius mortem fuerit, constat ex *Alberto Argentinensi* Chronic. p. 174. *Cuspiniano* de Cæsar p. 366. atq; aliis, habuisse quidem *Henricum* sponsam, (nomine *Catharinam*, ut *Argentinas* scribit, sororem Ducum Austriæ) nondum autem venisse illam in Italiam, sed adhuc fuisse in via, cum *Henricus* diem suum obiret. Unde quid de bullis, quarum mentionem *Felix* facit, habendum etiam sit non * difficile est con-

* Miror difficultatem istam insuperabilem fuisse visam *Stoschio* de jure Præced. p. 82 Magis adhuc miror, *Iohannem Cunradum Dietericum* in Breviar. Histor. Class. II. p. 331. inter affirmantium numerum referre *Felicem*, qui, si quisquam, nobis contrarius est.

conjectare. 'A * Papa *Clemente* V. (si quidem is adhuc in vivis tum fuit, qui anno post mortuus est,) non difficile fuit Dominicanis *decretum* impetrare, ut ut ipse Avenione in Gallia vivens de re apud Italos gesta sententiam decretoriam ferre nequaquam poterat: Ejus enim erga Deum hominesque fides labilis admodum & perexigua fuit. Lege quæ ex variis Historicis congessit D. *Zvvingerus* de Fest. Corpor. Christ. part. II. c. 1. p. 34. Et quæ venatores non audent finguntque, ut canes sui venatici illæsi maneant, ferasque indagare in sylvis porrò queant? Nescio verò, cur adeò negligentes fuerint Monachi *Dominicani* in asservanda bulla ista Papali, qua absoluti feruntur, è re cum fuisset ordinis, & custodire eam diligenter, & publici olim juris facere, quorum neutrum præstiterunt. Responsio tandem *Felicis* ad objectionem *æmulorum* (quo nomine proculdubio *Franciscanos* notat) *de communicatione sinistra manu à Prædicatoribus peragenda, quod ea jam ante Henrici nativitatem apud eos obtinuerit*, robur prius *ex ordinario & Rubrica ordinis* Dominicanorum *itemque ex notulis conventuum* (ad quæ provocat) non accipit, nisi & hæc certe ante *Henricum* in usu fuisse constet vel probetur. Id quod *Bzovio* etiam responsum esto, qui in *Continuat. Annal. Baron.* Tom. XIV. ad an. 1313. n. VI p. 209. *ceremoniam illam cum ipso instituto Prædicatorum coaluisse* dicit, non autem probat. Reliquos *Fabri* errores, quos l. c. habet, ut quod inter annum M.CCL & MCCCVIII. octo annos intercessisse scribat, quòd *Henricum* A.

 1308.

* De bulla, quam à *Clemente* V. Dominicani acceperint, altum apud veteres silentium. Meminere tamen ejus ex recentioribus *Conradus Vecerius* Tom. II. Scriptor. *Urstis* p. 73. *Hugvvaldus Mutius* Chronic. German. lib. XXIII. Tom. II. Scriptor. *Pistor.* p. 219. *Abrahamus Bzovius* Tom. XIV. Continuat. Annal. ad an. 1313. n. V. p. 209. Apud *Paulum Langium* Chronic. Citiz. Tom. I. Scriptor. *Freher.* p. 826. dicitur etiam *Ordinem Dominicanorum per bullas papales excusari*, quibus tamen (ut ex *Rolevinci* citatione apparet) alias, quam ab Episcopis *Aretino* & *Argentoratensi* datas supraque à nobis adductas, non videtur intelligere. Quemadmodum videlicet quemlibet Episcopum *Papam* olim appellare consueverunt, cujus exempla plurima prostant apud *Launojum* Epistol. part. VI. p. 302. seqq. Adde *Libertat. Eccles. Gallic.* Tom. I. p. 318. *Filesac.* de S. Episcop. Auctorit. c. IX. §. 5. p. 99. *Carol. du Fresne* Glossar. Tom. III. p. 129. D. *Bebel.* Antiquit. Eccles. secul. I. p. 8. & 532. secul. IV. part. prior. p. 546. Unde simul, quam bene ex hac *Papæ* appellatione *Bellarminus* lib. II de Rom. Pontif. c. XXXI. Tom. I Controv. p. 831. primatum Romanorum Pontificum probare annitatur, videre est. Lege fortissimum ejus Antagonistam *Danielem Chamierum* Panstrat. Cathol. Tom. II. de Oecum. Pontif. lib. XIII. c. 19 §. IV. p. 273. a.

1308. Romæ à *Clemente* V. coronatum fuisse tradat, &c. prolixè non examino, contentus historiam nostram ab ejus insultibus liberasse. Jacturam autem, quam in *Felicis Fabri* dissensu patimur, egregiè resarsit alius Suevicarum rerum Panegyristas nempe *Martinus Crusius*, in Annal. Suev. part. III. lib. IV. c. 3. p. 204. quem adi, si nobis favere cupis.

§. XIII.

Iohannes Tritenhemius Spanheimensis prius post *Wirciburgensis* ad S. Iacobum Abbas in *Chronico Hirsaugiensi* p. 273. edit. *Basil.* satis etiam indicat, nostram sibi non placere narrationem, nullas verò displicentiæ suæ affert rationes, ut abstinere tam insigni elogio potuerit *Bzovius*, quo ipsum Tom. XIV. *Continuat. Annal. Baron.* ad an. 1313. n. XVIII. p. 217. in hoc negocio ad cœlum usque extulit. Ait autem *Trithemius*, Henricum *dissenteriæ morbo resolutum obiisse*. Non urgebo dissensum aliorum *febrim*, *anthracem*, *pleuritidem* & nescio quid simile *Henrici* vitæ noxium afferentium, vellem tantum, ut suæ opinionis testes & auctores *Tritenhemius* adduxisset, quo fontes ipsos adire, & annon dysenteria illa ex propinato veneno ortum traxerit, accuratius inquirere possemus. Consultus enim à me Æsculapius, heu quondam! noster *Iohannes* Daniel *Horstius*, ad cujus nomen sola mors non contremuit, sequentia verba scheda quadam transmisit: *A veneno dysenteriam produci posse, in confesso est apud Medicos: hinc putant ex Ioh. Antonio Menavio Histor. Turcic. lib. 2. c. 22. Bajacetem interemptum, & Henricum VII. Imp. Roman. ex Aventino lib. VII. mediante Eucharistia, & ipsum Paracelsum. Putant excitatam à pulvere Adamantis. Sed lis est, an non potius Argyrodamantis subsidio usi fuerint. Plura coram. Vale.* Facit huc, quod in præcedente sectione §. 49. in simili argumento monuimus, quando quidam veterum *Victorem* III. Papam veneno extinctum, alii vero ex dysenteria obiisse scripserunt. *Vincentius Beluacensis* in Speculo Histor. lib. XXVI. c. 82. utramque sententiam conjunxit: *Ex Cronicis. Post hunc Desiderius Cassinensis Abbas in Papam eligitur & Victor vocatur, sed mox dysenteria dissolvitur & non multo post moritur. Fert autem opinio, quod veneno extinctus sit ad primam missam*

in

in calice misso. Enucleatè autem rem tradit *Platina* de vitis Pontific. p. 178. *Cujus* (Henrici) *fraude, ut Martinus scribit, veneno in calicem injecto dum sacrificat, necatur. Vincentius autem longè aliter sentit,* (Fallit *Platina* ut ex modo dictis patet) *cum dysenteria periisse hominem dicat, quod a suspicione dati veneni nequaquam alienum est. Unde in dysenteriam veneno petiti interdum vertuntur correptis & labefactatis intestinis,* Eum pressis vestigiis sequitur *Iohannes Baleus* in Scriptor. Illustr. Britan. Tom. I. Centur. II. p. 160. Agnovit idem quoque *Cranzius* in sua Metropoli lib. IX. c. 1. p. 232. *Victor III. anno secundo non sine suspicione dati veneni moritur. Alii dysenteria periisse testantur, quod ipsum non est alienum à suspicione dati veneni.* Quem conciliandi modum hic non debuisset negligere *Trithemius,* sicut eum non neglexit, cum *Victorem* III. intoxicatum in S. Eucharistia fuisse, Veterum traditioni convenienter assereret *Chronic. Hirsaug.* p. 107. Pergit *Tritenhemius,* & nostram quoque sententiam adducit: *Sunt qui scribant* (dolemus, non citari illos ab Abbate, fortè enim catalogum nostrum inde augeremus,) *ipsum veneno periisse per administrationem F. Bernardi Ordinis Prædicatorum, Confessoris & Capellani sui, à quo ipsum in die assumptionis B. Mariæ semper virginis communicantem in hostia sacra ferunt intoxicatum, & ob id Prædicatores omnes à Papa hac pœna notatos, ut usque in hunc diem ac deinceps communicantes in altari eorum sacerdotes, sinistra se manu communicent. Sed quoniam hoc omninò confictum putamus, idcirca fidem adhibere ista dicentibus, justa ratione contemnimus.* Non perspexit *Bzovius,* dum hæc l. c. laudat, adversari sibi ea, licet nec nobis faveant. *Justa ratio*, propter quam *Tritenhemius* totam historiam aspernatur, est infirmitas, ceu ipse existimat, argumenti, quod à more *Dominicanorum* sinistra manu communicandi nonnulli desumsere. Ritum istum confictum planè credidit *Tritenhemius,* non advertens, eo tamen nondum totius historiæ structuram collabi, quippe quæ ex aliis fortioribusque fulcris sustinetur: *Bzovius* autem confictum non esse ultrò fatetur, tametsi originem illius à facto isto deduci indignissimè ferat, quemadmodum ostensum est: Ex *Bzovii* igitur conclusione consentientem haberemus ipsummet *Trithemium*, *Virum*

(ut

(ut * *Bzovio audit*)*omni fide majorem, integritatis & probitatis laude inter Germanos scriptores præstantem*, si quidem obstaculum hic porrò nullum habeat, cum remotum à *Bzovio* fuerit. Obiicit porrò *Trithemius* testimonium multorum Illustrium virorum, *Bernhardi* innocentiam confirmantium, ad quod ut supra prolixissimè respondimus, ita observamus, quod addat, *Henricum Flandriæ Comitem, cæterosque Nobiles Curiales constanter affirmare*, *reum esse Bernhardum mortis Imperatoris, & eum in sacramento corporis intoxicâsse*; Non igitur obscurum esse potest, cur reliqui ex Clero pro Monacho pronunciarint; res scilicet eorum agebatur, dum proximus paries ardebat. In fine *Tritenhemius* ipse cedere nonnihil nobis videtur, quando narrationem suam sequentibus verbis concludit: *Unde magna in ordinem Prædicatorum persecutio minus justè fuit exorta, etiamsi frater ille innocens à crimine objecto non fuisset, cum crimen unius hominis in totum ordinem non fuerit referendum.* Utinam simili ipse modo egisset, neque nimio unius vel paucorum crimen excusandi studio plurium nobilissimorum hominum fidem iniqua supicione vexasset. Condonamus id tamen duriora non locuto, quæ alioqui Magister ejus ὁ Διάβολος Calumniarum fax & auctor facile inspirare ei potuisset, cum quo rem eum * * habuisse,

* Cui opponerem Jesuitam *Labbeum* Tom, II. Scriptor. Bellarm. p. 273. *suolestam sæpe Trithemii fidem esse* ajentem, nisi hujus maledicentissimum os erga amicos & inimicos notum omnibus esset. indice *Hottingero* Ennead. Differtat. Philol. Disput. IIX. p. 174.

* Ansam ipse suspicioni præbuit *Trithemius* anxius nimium & curiosus indagator magicarum rerum, (ita *Filesacus* de Idololatr. Mag. p. 53. & 61.) librum *Steganographiæ* edendo, quo carere Christiani facilimè poterant, quibus vetitum τὰ περίεργα πράττειν Act. XIX. 19. Vid. *Grotium* & *VValaeum* in notis ad h. l. Piè nec imperitè ait *Thomas à Kempis*, (quem non dubium *Trithemius* olim legit.) *de Imit. Christi* lib. III. c. IV. *Quidam non sincere coram me* (loquitur sic veritas apud sanctissimum Virum) *ambulant, sed quadam curiositate & arrogantia ducti volunt secreta mea scire, & alta Dei negligere, se & salutem suam negligentes. Hi sæpe in magnas tentationes & peccata, propter suam superbiam & curiositatem, me eis adversante, labuntur.* Adde *Ionæ Aurelianensis* Episcopi caput integrum 28. lib. II. de Laicali Institut. Tom. I. *Spicilegii Dacheriani* p. 140. seqq. Purgavit tamen *Trithemii* opus Serenissimus *Cryptographiæ* auctor *Gustavus Selenus*, quo sub nomine quis lateat, & quid præstitum ab eo fuerit, lege sodes judicium *Hermanni Conringii*, Viri utique multa eruditione clarissimi, *de Bibliothec. August.* p. 88. Nescio autem, quo munere *Benedictini* Monachi Jesuitam *Iacobum Masenium* sibi devinxerint, ut in notis & additamentis ad Tom. II. *Annal. Trevirens. Brovveri* p. 554. & 555. tanto ardore *Trithemium* à Magiæ Diabolicæ suspicione contra

Bro-

buisse, magicamque artem exercuisse, multi ex ipsis Pontificiis asseruere, *Carolus* Bovillus, *Iohannes Wierus*, *Iohannes* Bodinus, *Martinus Delrio*, *Robertus* Bellarminus aliique, quibus tamen hac in re adversantur, & *Trithemium* ab infamia illa magica liberant *Adamus Tannerus*, *Maximilianus Sandæus*, *Gabriel Naudæus*, *Sigismundus Abbas* Monasterii Seon. Vid. *Voetii* Dispp. select. part. III. p. 560. 614. & 1406. & Desperat. Caus. Papat. lib. I. sect. IV. p. 34. *Journal des sçavans* A. 1666. Tom. III. p. 198.

§. XIV.

Properamus armis nostris, petimusque iis *Conradum Vecerium* Maximiliano Imperatori (non Carolo IV. ut per immanem synchronismum *Felix Osius* arbitratur in not. ad Mussat. p. 16. b. & 27. b.) quondam à secretis. Non verò est, cur alio nos trahi patiamur, curque illius auctoritate magnopere moveamur, utpote privati scriptoris, & ab *Henrici* temporibus remoti, præterea non ita accurati, cujusque libellus *de rebus gestis Henrici VII. Imp.* (ab *Urstisio* parte altera *Germaniæ Historicorum*, nec non *Reubero* Tomo singulari *Scriptorum Rer. German.* editus) & nimia brevitate, & exiguo rerum, quas recenset, pondere, ad mediæ ætatis Historicos fere accedit, *inter quos non esse, quem pro mediocri Historico laudet*, dicit *Lipsius* in notis ad lib. I. Politic. p. 18, *adeò labente imperio barbariem statim & squallorem omnia occupâsse; & si qui scripserint, eos fere ad vana delapsos falsò vera aut majora vero miscuisse*; quo tamen mitius paulò sentit *Vossius* in præfatione ad Lectorem suo de *Historicis* Latinis doctissimo libro præfixa: *Sciebam*, ibi inquit, *quos vulgò barbaros vocant, ingenio non caruisse, imò sæpè iis pro ævo, quo vixere, & eruditionem & facundiam fuisse singularem.* Vera autem me de *Vecerio* dicere, vel ipsa operis ejus præfatio docet, qua *neminem ante se simili labore in re-*

Dd *censen-*

Brovverum (cujus utpote operis socii auctoritatem tueri potius debuisset) vindicet, nulla vel levi admodum accepta ab hoc ocasione. Meminisse cum fas fuisset, *Casparum Schottum* (cujus pro *Trithemio* vindicias ex ejus *Thaumaturgo Physico* part. IV. lib. I. Synt. III. tanto elogio citat,) in *Physica* sua *Curiosa* lib. XI. c. 4. p. 1288. *periculosos modos, quibus Trithemius artes suas intricaverit*, nequaquam defendere, sed *Bellarmini*, *Delrii* aliorumque censuram sequi, qua illi librum *Steganographia Trithemiana* percusserunt. Confer de noxia *Trithemii* & aliorum curiositate *Speculum* Felic. Literat. commonef. IX. p. 981. seqq.

censendis rebus ab Henrico gestis defunctum fuisse jactat, quod oppidò falsum, quum *Albertinus Mussatus* duobus fere ante *Vecerium* seculis idem XVI. libris præstiterat, quod vel ex aliorum citatione cognitum *Vecerio* esse potuisset, aut certè debuisset. Deinde in exordio statim sui tractatus penuriam bonorum auctorum veterumque monumentorum, quâ laborârit, ipsemet fatetur, dum scribit: *Qui majores Imperatori Henrico aut omninò Parentes fuerint, quamvis curiosa vestigatione cognoscere non potui, sed & uxor illi, quæ cujasque fuerit, itidem propè in ambiguo est*, & paulò post: *Hæc de Henrici origine patriaque, tametsi pauxilla tenuitatem confesso præmittere placuit.* Cum admiratione, fateor, legi, quod non puduerit *Vecerium*, Lucenburgicus qui fuit, hospitem se & peregrinum in patria Historia profiteri. Quamobrem & ab *Hadriano Barlando* notatus est in Histor. Comitum Holland. c. XXI. p. 148. nec non à *Felice Osio* in notis ad Mussati Histor. p. 27. b. & 93. b. quorum uterque dictis in locis defectum *Vecerii* ex Genealogiographis atque aliis Historicis egregiè supplet, sicut & fecerunt *Pignorius* in spicileg. Observat. ad Mussat. p. 4. & *Brovverus* Annal. Trevir. lib. XVII. p. 185. b. (qui & p. 196. alium adhuc *Vecerii* lapsum perstringit.) Etiamsi igitur *Vecerius* nobis contrarietur, non tamen desistemus sequi, quod antiquissimum est, quodque verissimum. Sed videamus, annon dimittere eum cum pace queamus, & absque omni armorum ope ac formidine. Non id concedere videntur, quæ p. 72. & 73. Tom. II. *Scriptor. Urstis.* de morte *Henrici* balnearum Maceratensium usum insecuta disserit, sequentibusque obsignat: *Varia de genere mortis opinio. Nonnulli venenum malum niveo libello inditum asserunt, quod per ineffabilia mysteria commutatum quotannis morituri que libamus. Monachos Prædicatorii ordinis, quibus ille ministris utebatur in sacrificiis, horrendi facinoris extitisse auctores, eamque rem Beneventus Imolensis seculi ejus in literas retulit. Fuisse tamen postea ex ea familia Cartusiensis in fasciculo tradit, qui re delata ad Pontificem maximum decretum causa cognita impetrarint, quo innoxius ejus veneficii ordo universus pronuntiatus fuerit: Dominicani qui Lucenburgi agunt, hoc amplius cœnobii sui auctorem non alium citant, quam Henricum, neque ergo fieri potuisse,*

uti

uti tantum scelus in tam bene meritum perpetratum extiterit. Bellum spirare hæc, & plena irarum litiumque esse videntur: At quod *Cicero* lib. IV. Academ. Quæst. ait: *Etsi mentitur, tamen est adversarius lenior*, huc egregiè quadrat, quando optimam pacem promittunt, quæ apud *Vecerium* sequuntur: *Nobis potius in medio relinquere placet disputationem funestam, quam de infandæ audaciæ fama certam proferre sententiam?* Nimirum *Vecerius* ausus non est de veritate facti *funestam disputationem*, ut ipse loquitur, proferre, ne & sibi funesta evaderet; maluitque silentio suo causam nostram juvare, quam propositionem quandam periculosam ponendo opem nostram frustra implorare, non intermissurus certè bellum nobis indicendo *Dominicanorum* gratiam demereri, si quidem nullam facto veritatem subesse verè in corde suo credidisset. Quamobrem etiam in sua obitûs *Henrici* descriptione ambiguus de industria fuisse videtur, quando non definivit, num post balnearum Maceratanarum usum *Henricus* sacra synaxi fruitus, & unde factum fuerit, ut malum mox, postquam Bonconventum se contulerat, ingravesceret, mortemque pedisse quam haberet. Reliqua autem duo adversæ partis argumenta, quæ ex mente illius *Vecerius* adduxit, haud quaquam difficilia nobis erunt solutu. *Ordo universus Dominicanorum* poterat omninò ob populi insultus *innoxius* declarari: Neque enim ejus omnes ac singuli sodales de crimine participabant. *Non debet quis alterius odio prægravari*, nec *delictum personæ in detrimentum Ecclesiæ redundare debet*, sunt regulæ *Juris Canonici lib. VI. Decretal.* Vid. *Brunnem.* prælect. Publ. ad Regul. Jur. Can. p. 80. & 151. Unde & inter testes nostros non infimus *Iohannes Vitoduranus* apud *Hottinger.* Histor. Eccl. part. III. p. 749. quantâ etiam vehementiâ facti scelus detestetur, tamen addit: *Non tamen dico, quod ordini, quicunque est, sit imponendum interficientis unica & singularis malitia.* Eodem modo *Iacobus Meyerus* in Annalibus Flandriæ lib. XI. Tom. I. Annal. Rer. Belgic. p. 136 ait: *Sunt qui ob honorem ordinis excusare importunissimum latronem & parricidam nituntur. Sed nemo unus homo, quamvis perditissimus totum ordinem denigrat, cum in omni vitæ ordine nulla non ætate inter triticum crescant & Zizania.* Confer quoque *Hugvvaldum Mu-*

tium in Chronic. German. lib. XXIII, Tom. II. Scriptor. *Pistor.* p. 219. similiter animatum. De Papali bulla non appono bis terque quaterque coctam cramben, nisi quod observo, *Wernerum Rolevinckium* in fasciculo non dicere, quæ dixisse eum *Vecerius* vult, ut credamus. Non enim scribit, *fuisse ex familia Dominicanorum, qui re delata ad Pontificem maximum causa cognita decretum impetrarint, quo innoxius ejus veneficii ordo universus pronuntiatus fuerit*, quemadmodum *Vecerius* nobis persuadet, sed hæc ejus verba sunt, quæ ex sectionis primæ §. 23. repetimus: *Sed tamen ordo excusatur de his per quasdam literas testimoniales quas apud se habet.* Nullius meminit actionis judiciariæ, neque etiam *literarum testimonialium* auctorem nominetenus exprimit, quas dubio procul alias nullas intellexit, quam quas *Johannes* Bohemiæ Rex & nonnulli Episcopi dedisse Dominicanis dicuntur, & ad quas plenissime jam respondimus. Alterum argumentum ex pari laborat infirmitate. Esto, habeant Dominicani Luzelburgenses *Henricum* Cœnobii sui auctorem, ceu & *Brovverus* Annal. Trevir. Tom. II. p. 172. b. scribit, (quamvis de virginum Dominicanarum * *Claustro* intelligendum id potius videatur, propter ea, quæ Jesuita *Alexander Wilthemius* in vita Venerabil. Yolandæ p. 165. tradidit) ergone fieri non potuit, ut tantum scelus ab uno alterove ex eorum ordine perpetratum extaret: Queis non bonis Israelitas Dominus Deus Jehovah cumulavit, ideone autem nemo illorum immemor fuit acceptorum beneficiorum, nec ollas Ægypti desideravit? An falsum quod *Deuteronomii* c. XXXII. 6. de illis dicitur: *Hæccine reddis Domino, popule stulte & insipiens?* Lege integrum caput, quo nihil illustrius. An non decem à Iesu Domino ac Servatore nostro mundi facti sunt, & tamen nonnisi unus grati animi signa exhibuit *Luc* XVII. 17. Idem sanctissimus Sospitator noster multa quà animam, quà corpus beneficia in Apostolos ac Discipulos suos contulit, li-

cebit-

* *Claustri* vocabulum ut variè, sic & pro Monasterio sumitur, in quo moniales degunt. Ortum inde Germanicum nostrum Kloster traxit, quo clausas Monachorum habitationes communiter significamus. *Claustrales*. vocantur illi, qui intra Monasterii *claustra* recluduntur, masculini sint, sive sequioris sexus Vide D. *Dorscheum* Relat. Anonym. S. Marc. Evang. notat. 38. & *Carolum du Fresne* Glossar. part. I. p. 1014. 1015.

cebitne verò inde argumentari: Ergò falsum est, quod Evangelistæ narrant, illorum unum nomine Judam, Dominum suum prodidisse, postque ex * suspendio vitam finiisse? Concludendi id genus omnem è mundo ἀχαριστίαν pelleret, & ò utinam posset! Ast ne-

* Consent ita quidem & veritati, quod diximus, adversari asserunt *Daniel Heinsius*, *Hugo Grotius & Johannes Pricæus*, Viri undiquaque celeberrimi, & in omni studiorum genere supra admirationem versati, quorum verba D. *Dorscheus* allegat *Theolog. Latron.* p. 164. seqq. sed levitatem argumentorum, quæ proferunt, vide sis apud *D. Calovium* Bibl. Illustr. N. T. Tom. I. p. 449. & D. *Dannhauerum* Christeid. p. 119. Alias veterum fabulas refutavit *Casaubonus* Exerce. Anti-Baron XVI. n. 69. p. 527. seqq. & *Richardus Montacutius* Orig. Eccl. part. II. n. 174. p. 386. Integram de morte *Judæ* controversiam nuper luculenter examinavit *Iacobus Gronovius*, litium similium felicissimus arbiter, in *Exercitationibus Academicis de pernicie & casu Judæ* τῷ προδότῃ *A.* 1683. *Lugduni Batavorum* editis, adversus quem tamen paulo post calamum strinxit suamque, quam à *Pricæo* didicit, sententiam breviter vindicavit *Gulielmus Saldenus* in præfatione suis *Otiis Theologicis* præmissa. Adde illis D. *Wedelii* Dissertationem de morte *Judæ & Arii*, quæ reperitur inter *Miscellanea Curiosa*, sive *Ephemerides Medico-Physicas Naturæ Curiosorum Decur.* II. Ann. II. p. 449. seqq. Fuere quondam pessimæ notæ hæretici *Cajani* dicti, qui ut *Cainum* fratricidam prædicabant, sic proditorem *Judam* mirum quantum extollebant. vid. *Irenæum* adv. hæres. lib. I. cap. 35. p. 139. & *Epiphan.* Hæres. lib. I. hæres XXXVIII. quæ *Cajanorum* est, Tomo I. p. 276. Misericordius, quam par est, de eo inde quidam judicant quod *Matthæi* XXVII 3. pœnitentia ductus fuisse dicatur, sed bene observat *Grotius* in notis, mœrorem illum fuisse sine vera vitæ emendatione: licet *salutarem pœnitentiam* appellet *Sandius* in Paradox. Interpretat. p. 106. Qui *Concilii Tridentini* anathema sess. XIV. can. 4. reverentur, sub quo tres pœnitentiæ partes, nec aliæ quam *Contritio Cordis, confessio oris, & satisfactio operis* credendæ præcipiuntur, non possunt non, si ἐθελεύειν ὑποθέσει volunt, *Judæ* impostori favere. Habuit is enim partes pœnitentiæ Pontificiæ omnes: *Contritus* est μεταμεληθεὶς, *confessus est*, & quidem sacerdotibus, demum *satisfecit* opere, argentum in templum abjiciendo, & laqueo se suspendendo, postquam (ut aliqui ex *Psalmo* 109. v. 7. conjiciunt) preces ad Deum fuderat. *Bellarmino* equidem lib. I. de Pœnit. c. XX. Tom. II. Controvers. p. 1514. & *Cornelio à Lapide* Comment. ad Matth. 27. p. 507. visum aliter est, sed utriusque oculi á nostris illustrati fuerunt, illius quidem à *D. Gerhardo* Tom. II. LL. de Pœnitent. §. 61. p. 214. & in Harmon. Evangel. Continuat. c. 190. p. 1851. b. hujus verò à D. *Dannhauero* Hodomor. Pap. part. post p. 774. Fabula etiam nonnihil *Judæ* patrocinatur, de S. *Brandano*, qua is in itinere suo Indico *Judam Ischariotem* singulis diebus sabbathi ex inferno à Dæmonibus eductum, & petræ cuidam in medio maris impositum vidisse fingitur, ad capiendum ibi dolorum suorum aliquod levamen vid. *Petrum de Natalibus* Catal. sanct. lib. 5. c. 117. p. 115 b. & *Legendam Brandani Ms.* apud *Zwingerum* de fest. Corpor. Christ. p. 215. Brevis hæc de *Juda Ischariote* digressio revocat etiam mihi in memoriam figmentum de superstite adhuc reste, qua sibi proditor vitam abripuit, & quam Romæ olim inter sacras reliquias pependisse, indeque à *Georgio Fronsbergio* rei insolentia moto instar singularis spolii Augustam Vindelicorum deportatam fuisse scribunt, qui fabulis delectantur. Meminit ejus *Johannes Conradus Dietericus* Antiquit. Bibl. N. T. vol. 1. p. 121. a. *Qui credit cito*, dicimus cum Syracide c. XIX. 4. *levis corde est, & minorabitur.*

cesse habemus cum veteribus quotidie adhuc publicam querelam repetere, apud *Homer.* Odyss. θ.

οὐκ ἔστι χάρις μετόπισθ' εὐεργέων.

Nec ulla est gratia post benefacta.

Senec. lib. V. De Benefic. c. 15. p. 336. *Beneficia in scelus versa sunt: & sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est. Gladio ac venenis beneficia sequimur.* (Quid *Seneca*, an scivisti ingratum Monachum veneno olim Dominum ac Imperatorem suum esse necaturum?) *Nemo habet*, idem præclarè ait epistol. LXXXI. p. 538. *tam certam in beneficiis manum, ut non sæpe fallatur.* Et *Plautus* in Captivis Act. II. scen. I. *Fere maxima pars morem hunc homines habent, quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt: sed id ubi jam penes sese habent, ex bonis pessimi & fraudulentissimi sunt.* Cumprimis novum non est apud Monachos beneficiorum oblivisci. Illi certè à Principibus ac Regibus nimis calidè initiò fovebantur, quos suos benefactores ejicere tamen postea è suis sedibus non erubuerunt. Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem. Secundæ scilicet res etiam sapientum sanctorumque hominum animos fatigant, & acrioribus quam adversæ stimulis solicitant, quia inter ambigua humiles gemimus, per prospera autem paulatim animum extollimus. Romanus Pontifex tamdiu Romani Imperatoris adulator fuit, donec eum Roma pelleret, repetens illud *Virgilii* Eclog. IX. v. 4.

- - *Hæc mea sunt veteres migrate coloni.*

Denique beneficia in *Dominicanos* Luzelburgenses ab *Henrico* collata planè huc non pertinent. Quis enim unquam inter prudentes, (nam vulgus imperitum non curo, cui *Dominicanos* vexanti rationes opponere, esset aquam cribro haurire,) *Dominicanis* illis facinus hoc imputavit? Nonne omnes ab Italis Dominicanis perpetratum id fuisse una voce clamant & asserunt? Annon auctor princepsque sceleris *Bernhardus de Montepelitiano* Tuscus fuerat? Quid ad Italos faciebant beneficia, quæ Luzelburgenses ab Imperatore hujusque necessariis acceperant? Cœcus sit oportet, qui non videat insipientiam contrariarum objectionum.

§. XV.

§. XV.

Ordo tangit *Nicolaum* Schlösser sive latino idiomate *Serarium*, in cujus unum pectus Firmicum, Medaurensem, Patavinum, Arpinatem, Plinios, quin & provincias totas Palæstinam, Græciam & Latium commigrasse, superbè admodum sodalis *Bonarscius* jactat, in *Amphitheatr. Honor.* lib. II. c. XIII. p. 197. Committere is libro V. *Rerum Moguntiacarum* p. 850. & 851. non potuit, quin ferente occasione Monacho Dominicano patrocinaretur. Primò promit sententiam suam de *Henrici* morte, aitque: *Anno autem eodem* 1313. *Imperator Henricus in Pisana urbe, cum febris ac dysenteria eum sustulisset, sepultus est.* Callidè, & si dolus in hoste laudandus, providè reticet *Serarius*, ubi sublatus Imperator fuerit, & quamdiu cum periculo mortis laboraverit. Poterat enim videri, acsi in Pisana urbe (in qua non A. 1313. ut *Serarius* scribit, sed A. * 1315. ut inscriptio lapidis sepulchralis in fine primæ sectionis à nobis producta probat, sepultus fuit) diem suum *Henricum* velit obiisse, postquam diu ex febre & postmodum ex dysenteria laborasset. Sed alia Jesuitæ mens fuit, aliud consilium. Vult ille auctorum, quos secutus est, dissensum tacitè tollere, quorum alii dysenteriam, alii febrim mortis causam fuisse retulerunt. Utramque igitur sententiam combinandam putavit, silentio reliqua involvens, quæ ab aliquibus diversimodè de balneis Maceratensibus tradita invenit. Sed non erant hæc ita imperiosè & absque omni veterum auctoritate asserenda ac proponenda. Auctorem cum ipse eo tempore non vixerit, nominare debuisset, qui utrumque morbi genus, febrim ac dysenteriam, conjunxisset, & sic major forte spes fuisset, ut opinioni ejus faveremus. Sed *sicut*, ut bene ait *Henschenius* ejusdem cum *Sera-*

* Fatemur tamen adstipulari quosdam *Serario*, etiam ex veteribus, ut *Albertus Argentinensis* in Chronico Tom. II *Scriptor. Urstis.* p. 118. *Ptolomaeus Lucensis* (quemadmodum eum *Bzovius* Tom. XIV. Continuat. Annal Baron. ad an. 1313. n. XVII. p. 214. adduxit) & inprimis *anonymus de gestis Balduini* lib. II. c. 17. Tom. I. Miscell. *Baluz.* p. 134. qui A. 1313. Die II. Septembr. *Henricum* Pisis sepultum fuisse tradit. Ex recentioribus vide unum *Brovverum* Tom. II. Annal. Trevir. lib. XVII. p. 196. Sed præter allegatum lapidem *Cuspinianus* de Cæsar. p. 367. aliique recentiores contrarium testantur. *Broz vero* opponimus *Bzovium* Tom. XIV. Continuat. Annal. Baron. ad an 1313. n. XIV. p. 213. *Paulus Eberus* cur ex Calendar. Histor. D. XV. August. p. 269. audiendus non sit, supra pag. 5. indicavimus.

Serario cohortis miles *Differt. de tribus Dagobert.* lib. I. p. 31. *qua non firmis nixa sunt fundamentis ædificia, facile corruunt, ita nonnullæ historiæ, quibus sua deficit ab antiquitate auctoritas facile dissipantur;* & cum iis *Serarii* de duplici morbo traditio. Pergit idem nostram sententiam impugnare. *Affirmarunt quidem complures* (non Lutherani aut scriptores heri demum ac nudius tertius nati,) *ei à Bernardo quodam Dominicani ordinis hostiam sacram veneno imbutam nefariè præbitam*, sed (*libet MSL. verbis uti*) à malevolis illud confictum
„ testatur Trithemius, & alius Scriptor vitæ Cæsaris Basileæ impres-
„ sus. Similiter Balduinus ejus frater ea nota Monachum liberat,
„ ut in Archivis Trevirensis Archi-Episcopi habetur. Exhibitum
„ est anno 1575. Maximiliano II. Rom. Imperatori Ratisbonæ
„ ipsum originale Balduini manuscriptum. Et ordinem Prædicato-
„ rum ea de re amplissima testimonia habere certum est: *Addit MSS. meus, ejusdem ficti rumoris inanitatem testatum etiam Imperatoris ejusdem filium Iohannem Bohemiæ Regem.* Respondemus breviter I. malle nos *compluribus*, quos affirmasse id *Serarius* inquit, credere, quam paucis aut etiam nulli, qui febrim ac dysent etiam Imperatorem sustulisse scripserunt. 2. Absurdum esse, quod *Manuscriptum* hoc in negocio adducat *Iohannis Latomi*, (id enim adjecta litera L. indicat, ut ipse *Serarius* notatiuncula quadam mox post præfationem monuit) Decani quondam in æde nostra D. Bartholomæi, scriptoris recentioris, & qui paucos admodum annos *Serarium* antecessit. Isto *manuscripti* nomine venire ea nobis solent, quæ aliquot retro seculis, à scriptore quodam celebri nec publici juris facto, literis mandata fuere. Alias Præceptorum meorum dictata simili nomine vendere possem, sicque innumera MSSa citare. Sed in cauto lectori fucum facere studuit Jesuita, ut prima statim fronte nescio cujus vetusti codicis dissensum imaginaretur atque extimesceret; sicut *Abrahamo* Bzovio evenisse ex ejus *Continuatione Annalium Baronii* Tom. XIV. ad an. 1313. n. 8. p. 210. b. apparet, quem & alio in loco *Serarium* oscitanter inspectum fefellisse *Hervvartus* notavit in *Ludovico Bavaro defenso*, sive Appendice ad Tom. XIV. Annal. Bzov. ad an. 1347. n. 50. p. 183. b. 3. *Trithemium & Scriptorem*

vitæ

vitæ Henrici Basileæ impressum (quo nomine, nisi fallor, Vecerium *Latomus* significat) id non dicere, quod prætenditur, & si diceret, nobis non nocere ex præcedentibus & liquet, & alias certum est. Sicut nec repeto, quæ de *Balduini* Trevirensis Antistitis *Henrici* fratris testimonio, itemque de literis apologeticis à *Iohanne* Bohemiæ Rege Dominicanis datis, (quas ex suo *Manuscripto* similis fortean cum priori furfuris *Serarius* objecit) prolixissimè in superioribus disseruimus. *Crambe* enim *bis posita mors est*, δὶς κράμβη θάνατος, quo *Iuvenalis* allusit lib. III. satyr. VII.

Nam quæcunque sedens modo legerat, hæc eadem stans
Proferet, atque eadem cantabit versibus iisdem
*Occidit miseros * crambe repetita magistros.*

* Ita quidem codices nonnulli, quos *Politianus* Miscell. cap. 33. sequitur. Legunt ast alii codices *Cambre*, quæ ipsa tamen lectio huc quoque quadrat. Fuit enim *Cambre* vicus ad radicem Gauri montis, in quo Capuani à Cumanis dicuntur esse conflictu superati: ob cujus conflictus memoriam est historia composita *Cambre* dicta, quæ à magistris in scholis frequentissimè, & ad nauseam usque repetebatur. Vid. *Theodorum Pulmannum* in notis ad istum Juvenalis locum, & adde *Erasmum* in Adagiis Variorum p. 679. a.

§. XVI.

Venio ad *Bellarminum* * Dictatorem illum senatus Pontificii, quem Tom. II. *Controv.* lib. III. *de Eucharist.* c. 24. p. 780. reperimus adversatum etiam nobis fuisse. Respondere ibi ad *Petri Martyris* objectionem LXVII. *Stephano Gardinero* oppositam conatur, quando hic contra transsubstantiationis figmentum non vanam conclusionem ex historia hac deduxerat, estq; hæc ejus responsio: *Ad illud autem de veneno in Eucharistia propinato, respondeo, quidquid sit de veritate historiarum (neque enim desunt, qui eas historias falsas esse contendant) &c.* Ipsi, scio, Romanarum partium Viri mecum fatebuntur,

 quòd

* Exhorrescerem ad solum illius nomen, hastamque ῥίψασπις abjicerem, Teletis si animum aut coturniculæ haberem; Adeo columnam istam suæ Ecclesiæ Romanenses evehere solent. Audi ex multis unum *Raynaudum* Erotem. de Bon. & mal. libr. part. I. Erotem. VIII Tom. XI Opp. p. 245. a. *Cardinalis Bellarmini ea fuerunt in scribendo ornamenta, ut vel hostibus, quorum malleus dici potuit, fuerint admirationi. Eruditio, rerum varietas, perspicuitas, methodus, in hoste insequendo & ad saluberrimam deditionem adigendo constantia; Omnes denique scriptoris in eo genere eximii dotes ac prærogativa in eo eximia.* Nihil ne super est *Raynaude*? Imo plurima si conferantur, quæ *Philippus Alegambe* Biblioth. Scriptor. Societ. Ies. p. 408. seqq. adduxit.

quod satius fuisset, prætermittere planè objectionem, quam adeo frigidè ad eam respondere. Utar nec abutar vetere proverbio: *Satius erat hoc ulcus non attingere*: Non est enim ulcus attingendum, nisi ab eo sanari possit, qui specillum adegit. *Brassicanus* in Adagiis Variorum p.495.b. Nescio, quid non enervare simili responso vellem, si quidem possem. Universæ in sacro Bibliorum codice obviæ narrationes omninò sic evanescerent, *neque enim desunt, qui falsas eas esse contendant*, maximè in Romana Ecclesia atheorū plenissima, ita ut una Lutetia jam Anno 1623. quinquaginta millia istorum irrisorum Dei contineret, teste *Mersenno* Commentar. in Genesin epistol. dedicator. & p.671. De aliis exemplis, etiam Romanorum Pontificum, vide prolixissimè *Gisbertum Voetium* Dispp. select. part. I.p.215.seqq. Recentiora suppeditat ὁ θεόφιλ⊗ *Spizelius* in Felice Literat. n.1.p.98.sequent. & Infel. Literat. n.15. p.361. Grates debemus *Bellarmino*, qui nos sic docuit totam Papæorum miraculorum machinam uno ictu subvertere, *neque enim desunt, qui ea falsa confictaque esse contendant*. Egregia argumentatio & quæ digna tanto Disputatore, totque meritis celebri athleta! Scilicet non heri demum ac nudius tertius, sed jam olim ab ipsis rigidissimis Pontificiis latum judicium est, Tomos controversiarum *Bellarmini* damni plus quam utilitatis Romanæ Ecclesiæ afferre, quandoquidem ipsa hæreticorum argumenta atque objectiones Tomis suis sine sufficiente responsione inseruerit, veritatemque Catholicam hoc modo apud infirmiores suspectam reddiderit. Visum sic fuit Cardinali *Perronio* at quanto in Romana communione Viro! Vid. *Iacobum Fuligatium* lib.II. de vita *Bellarmini*, quæ hujus *Operibus* præfixa est, c.VII. p.128. Meminit ejusdem rei ex Cardinalis *Bentivoli* memoriali *Vincentius Baronius* in Apologia sua adversus *Raynaudum*, nec non quem *Reiserus* Launoj. Verit. Confess. p.402. allegat, *Iohannes Launojus* ex Baronio. Excusat in eo tamen *Bellarminum* ejus sodalis & encomiastes *Theophilus Raynaudus* in Erotem. de Mal. & Bon. Libr part.I. Erot.XV. *Tom.XI.Opp.* p.330.a. Similem in modum Gallorum eruditi in suis ephemeridibus, *Iournal*, ut gallicè appellant, *des sçavans* An.1665. p.229. seqq. de *Pallavicini* Historia Concilii Tridentini

„ dentini existimârunt, incautum eum & imprudentem fuisse, quod
„ in omnibus pene libri capitibus adversarium suum *Petrum Suavem*
„ *Polanum* nominaverit: Legi enim ipsius librum non posse neque
„ intelligi, nisi jungatur simul lectio alterius, sicque periculum es-
„ se non leve, ne quis *Suavis* historiam, utpote egregiè & admo-
„ dum speciosè conscriptam, præferat *Pallavicini* historiæ, quæ for-
„ sitan verior illa non autem verisimilior sit. Majori longè usum
„ fuisse prudentia *Baronium* in suis Annalibus, quos licet ad op-
„ pugnandas Centuriatorum Magdeburgicorũ hæreses & falsitates
„ conscripserit, bene tamen in illo opere palam ipsis contradicere
„ cavisse, neque nisi generaliter Hæreticos & Novatores eos no-
„ minavisse, arbitratum quo minus de iis diceretur, eo esse melius,
„ veritumque, ne curiosis excitaret eliceretque appetitum legen-
„ di libri, cujus lectio nunquam non periculosa esset. Recordor
hîc eorum, quæ in eandem sententiam *Malvenda* in auctario Operis *de Anti-Christo* & *Ioannes Casala* in Candore lilii vindicato reflex. 8. n. 144. p. 576. de Disquisitionibus Magicis *Martini Delrii* dixerunt, *tutius esse religioni Christianæ, ne ejusmodi commentaria passim & promiscuè omnium manus vulgò subirent, ne in multis parum piis hominibus illex esse possent, novas & reprobatas curiositates perscrutandi ac experiundi, ne, dum noxia vitare docentur, venenum potius quam antidotum biberent.* Vid. *Reiseri* Differt. Epistol. de Atheismo p. 308. seqq. Rectissimè idem de pudendo *Thomæ Sanchesii* Jesuitæ Opere *de Matrimonio*, & duobus *in Decalogum Moralis operis* Tomis sensit dixitque *Petrus Aurelius* Opp. Theol. Tom. II. p. 243. frustra ringente Jesuita *Raynaudo* Tom. XI. Opp. p. 230. seqq. & qui ex eo sua compilavit *Andrea Mendo* Stater. Opinion. Benign. Disp. XIII. q. 24. n. 412. Inseri hîc posset παρεκβατικῶς (quemadmodum in Historiis licere *Gerhardus Iohannes Vossius* de Art. Histor. c. 22. p. 112. concedit,) quod *Dionysius Petavius* in Epistola Dedicat. suæ *Epiphanii* elegantissimæ editioni præfixa, nec non *Alexander Rossæus* in præfatione ad libellum suum *de totius Mundi Religionibus* disputârunt, *meliusne & consultius esset, pestiferarum hæresέων nefaria dogmata literis consignare, an autem tacere ea penitus, ne lectorum minus firmatorum animi in*

abdita & ab arbitris remota abjiciantur. Cui confine est, quod in homileticis disquiritur, an scelera quædam, ut peccata quæ muta vocant, publicè nominari perstringique ab Ecclesiaste debeant, (ut omninò vult D. *Dannhauerus* part. II. Lact. Catech. p. 279. & Tom. I. Theol. Conscient. part. II. p. 1033. seqq. & ex Jurisperitorum choro *Iohannes Brunnemannus* Jur. Eccles. lib. I. c. 6. p. 117.) an verò præstet ignorari eas quā sciri, ne reprehendendo doceantur. Propter curiositatem enim ingenii humani, quorundam flagitiorum nuda commemoratio contagium habet, altasque subitò radices agit, ut latius deducit & exemplis illustrat desideratissimus *Erasmus* in Ecclesiast. lib. II. Tom. Opp. V. p. 742. seqq. Atque hæc de absurditate responsionis *Bellarminianæ* ad adductam ab ipsomet objectionem.

§. XVII.

Subjungimus Bellarmino *Stephanum Gardinerum* Vintoniensem in Anglia Episcopum, in cujus favorem, & ne is mendacii reus fieret, induci se *Bellarminus* passus est, ut tam imperitè nobis contradiceret. Iste verò *Gardinerus* in libro, quem primùm sub alieno titulo: *Confutatio Cavillationum, quibus sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum ab impiis Capernaitis impeti solet. Auctore M. Antonio Constantio*, pòst autem proprio nomine apposito evulgavit *resp. ad objection. LXVII.* de nostra intoxicationis *Henricianæ* historia audacter nō minus quam impudenter scribit: *mendacium esse, fabulam & meram conjecturam.* Itane *Gardinere* mendacium est, quod auctoritate tot fide dignissimorum testium nititur? Luculentum id indicium est, redactum Te ad incitas esse, desperationemque ut alios Monachos, ita Te audacem fecisse, nunquā alioquin eò devenires, ut rem tantis Tuæ communionis Historicorum testimoniis fultam & confirmatam sublestæ fidei esse adeo inverecundè dicere sustineres. An forte ira Te in foveam hanc amentiæ præcipitem dedit? Facilè crediderim, qui ex *Hoornbeckio* Exam. Bull. Papal. *præfat. ad Lectorem* certior sum factus, *te inter disputandum ita excandescere semper solitum, ut vena quadam manus, inter pollicem & digitum sic intumesceret, & celeri ac perspicuo motu palpitaret, ut te conspicientes ad pugnam quam disputationem paratiorem dicerent.* Ubi verò non possum non

ex Auctore *distichorum de Moribus*, qui nomine *Catonis* quanquam falsò inscribitur, lib. II. modestè Te monere:

Incerta iratus de re contendere noli:
Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Plura respondere, ubi nihil nisi mendacia imperativè crepas, hominis esset tempori suo non satis parcentis. Maximè cum *Petrus Martyr* in Defensione sua adversus te edita part. I. p. 253. & post cum *Edmundus Albertinus* in Doctissimo & *Voetio* in Desper. Caus. Papat. lib. I. sect. IV. p. 44. a. jure laudato libro *de Sacramento Eucharistia* lib. I. c XIX. p. 124. & 125. nec non, cui largitus is omnia est, *D. David Christiani* in Jesuita Pseudo-Irenarcha p. 216. seqq. tantum tibi propinaverint, quantum ut inebriareris, necesse fuit. *Alphonsus Ciacconius* Biacensis Ord. Prædicator. Pœnitentiarius, quando cum collegis suis *Vitas & res gestas Pontificum* recensens *Tom. I.* p. 843. similiter negat *fabulæ*, ita ibi loquitur, *& meri somnii in probatis Annalibus ullum vestigium extare*, non dissimilem responsionem à nobis accipit, & cum sibilo ad primæ sectionis nostræ homines relegatur.

§. XVIII.

Iohannes Bertelius Abbas Epternacensis in *Historia* sua *Luxenburgensi* p. 49. atque *Andreas Brunnerus* Jesuita *Annal. Bojor.* part. III. lib. XV. p. 1033. causam non afferunt aliam, cur sibi nostra sententia displiceat, quàm quod scelus adeo fœdum tamque abominandum sit, ut credibile non sit, auctorem habere Monachum, Christo omnis impietatis perpetuo hosti devotum. *Ecquis enim*, prior inquit, *ullum non dico professione religiosum, ut hunc* (Bernhardum) *sed cujusvis etiam perditissimæ alioqui vitæ hominem adeo perversum putârit, ut rem adeo horrendam & sacrilegam, qua nulla alia scelerationer ne cogitari quidem posset inter Christiani nominis professores reperiri posse arbitretur?* Posterioris idem argumentum est: *Sed commentum atrocius est, quam ut credi à cordatis possit, tunc tamen fidem reperit & auctores.* Facilè autem & absque operosa demonstratione cernitur, perquam infirmum esse, quod objiciunt. Negari equidem haud potest, scelus horrendum satis atque immane fuisse, quemadmo-

dum & ejus immanitatem scriptorum nemo non graviter insectatur, Vid. *Felix Osius* in notis (quas *aureas Thomasinus* vocat in vita Livii) ad Mussat. p. 68. a. Vix tamen tantæ diritatis facinus esse potest, cujus auctor & minister nonnunquam homo Monachusq; non sit.

Terra malos homines nunc educat atque pusillos

præclarè dictum est à *Iuvenale* Lib. V. Satyr. X V. *Imò*, Piissimi *Salviani* Massiliensis hęc querela est, lib. V. *de Gubern. Dei* p. 168. edit. Rittersh. *in hoc scelus res devoluta est, ut nisi quis malus fuerit, salvus esse non possit. Tanta est raritas bonorum, ut pene unus esse videatur.* Et speciatim de Monachis ipse *Bellarminus* lib. II. de Gemit. Columb. c. 6. Tom. VII. Opp. p. 1605. ex Augustino allegat, *deteriores non esse iis, qui in Monasteriis defecerint*, comparatque eos ficubus Hieremiæ c. XXIV. 8. *inter quas quæ malæ erant, erant valde malæ.* Ubi reperietur nequitia, quam hominum pravitas non superet? Magnum crimen est, fatebuntur omnes, quibus vel igniculus divini amoris inest, Sodomiam exercere, exerceri tamen ab hominibus quem latet, fugit, præterit? Fuit qui non exerceret modo sed & laudaret. Quantum verò istud scelus? In perpetuam hominis infamiam nomen ipsius „appono: *Iohannes de la Casa* Archi-Episcopus Beneventanus & „Pontificis ad Venetos Legatus, *de laudibus Sodomiæ* Poema Itali-„cum Florentiæ A. 1548. apud Bernardum Juntam in forma octavi, „quem librarii vocant, ordinis, constans foliis sex & versibus cen-„tum & sexaginta. Extat in Bibliotheca Ultrajectensi publica, sub „titulo: *Capitulo di Messer Giovanni della Casa Sopra il forno*; ut negare amplius Papistæ nequeant, ejusmodi scriptum superesse. Vide, qui αὐτόπτης testis est, *Gisbertum Voetium* Dispp. select. part. I. p. 205. Et *Berneggerus* in Idol. Lauret. c. 8. p. 79. *audivisse se*, ait, *exemplum illius extare quoque in Academiæ Tubingensis Bibliotheca.* Quam verè dixisti *Cicero* Actione II. in Verrem: *Sunt homines, quos libidinis infamiæque suæ neque pudeat, neque tædeat, qui quasi de industria in odium offensionemque Populi Romani* (dico ego: *summi Numinis*) *irruere videantur.* Non ita, dices, Monachi, quibus in mundo nihil sanctius, * nihil religiosius. Ego quod magnopere in illis laudem, non

* Quemadmodum *Theophilus Raynaudus* de Bon. & Mal. libr. part. I. Erotem. X. n 269 Tom

non habeo, nec habuerunt alii ex ipsa, quam Monachi inhabitant, Romana domo, variè vehementerque de corruptis & depravatis eorum moribus conquesti, quam camarinam denuò hîc movere nolo, sicut & in stupris & flagitiis nefarias multorum libidines commemorare pudore deterreor. Hominem esse, arbitror, neminem, qui insulsam istam objectionem audierit, quin quid respondere possit ac debeat, noverit. Quid repetam alia illa intoxicationis exempla, quæ, cum sectionem nostram primam finiremus, adduximus, an & illa falsa, quia facinus nimis est execrabile? Locum hîc habet, quod *Curtius Montanus* apud *Tacitum* dixit, lib. IV. Histor. p. 408. *Invenit etiam æmulos infelix nequitia.* Occurrimus autem posteriore responso *Bertelii* exceptioni, quando is exempla alia nisi *intoxicationis* admittere recusat. *Nam*, inquit, *quod quidam Fr. Clemens religiosus nostro seculo, Anno scilicet Domini* 1590. *Henrico Valesio Regi Francorum ejus nominis tertio, cultro in ventrem ejus infixo necem attulerit, longè hoc facto minus habet atrocitatis* (forte plus utilitatis, quia è re Ecclesiæ fuerat, *Henricum* Franciæ Regem sempiterno somno consopiri, vide supra §. 41.) *ob tanto sacramento angelicis etiam ipsis potestatibus magna cum reverentia & tremore suscipiendo illatam contumeliam.* Miror cur *Bertelius* in hoc quoque facto, si id quidem improbavit, illis se se non sociarit, qui à Dominicano perpetratum simili modo atque eodem quoque argumento inficias iverunt: *Il y en eut*, dicit *Maimbourg* Histoire de la Ligue lib. III. p. 353. *qui ne pouvant croire, qu'un Religieux pust estre capable d'une si detestable action, douterent si ce monstre n'estoit pas ou quelque Ligueur, ou mesme quelque* * *Huguenot travesti en Iacobin:* cujus & audiamus responsionem p. 354: *C'est pourquoy sans obstiner à vouloir inutile-*

* Tom. XI. Opp p. 300. b. ridiculè admodum ait, *Iohannem Annium Viterbiensem* insignem illum mendaciorum conpositorem *doli expertem atque ab alio deceptum videri, cum religiosum institutum Prædicatorum sit professus.* Ohe! Ergone Diabolus pristino ac felice statu non excidit, quia sanctissimis Angelis quondam annumerabatur? Sed quid dico: oblitus sum, quòd *Cucullus prædicatorius ἀναμαρτησίαν* hominibus donet, qui induunt.

* Quis verò nisi *Maimburgius* suspicionem hanc excogitavit? Qui enim *Hugenota* fecisse id crimen videri potest, quum *Henrico* adversus Ligistas Catholicos *Hugenotæ* suppetias tunc tulerint? Videtur tamen ita *Maimburgio*, quis contradicet?

utilement ou detruire, où rendre douteux un fait rapporté constamment par tous les Ecrivains de ce temps là, & confirmé par une infinité de témoignages authentiques: je croix qu'il vaut mieux en tomber d'accord de bonne foy avec la voix publique, de quelque profession, que l'on soit. Non possumus non ἐν παρόδῳ, & quum occasio sic ferat, idem *Maimburgio* objicere, & jure meritissimo exprobrare, quando moniti hujus sui ipsum alio in loco immemorem fuisse invenimus. Referunt *auctor vitæ Henrici IV.* editus ab *Urstisio* Tom. I. script. Germ. p. 385. atque ex illo *Baronius* in Annalibus Tom. XI. ad an. 1084. n. 3. p. 601. ex utroque *Christophorus Lehmannus* nunquam satis laudandi Operis, cui *Chronico Spirensi* infra dignitatem nomen est inditum lib. V. c. 35. p. 470. b. *Henricum* IV. (adeo *Henricorum* nomen cædibus infaustum) An. 1084. in magno periculo amittendæ vitæ fuisse, dum scelestus quidam & dissolutus nebulo ab Imperatoris hostibus instigatus ingenti lapide, ex templi, in quo *Henricus* solito more preces ad Deum fusurus erat, fornice perimere eum constituerat, sed Cæsarem summi Numinis cœlesti providentia tuitum, ipsum verò percussorem cum lapide desuper prope Cæsaris latera decidentem contritum necatumque fuisse: Quod dum Cardinalis *Benno* in vita Hildebrandi, lib. I. p. 3. *edit. Goldast.* recenset, addit, suasu potissimùm ac consilio *Gregorii* VII. Pontificis, inter *Henrici* hostes maximi ac potentissimi, insidias istas structas *Henrico* fuisse. Quid ad hæc *Maimburgius*? Respondet *Histoire de la Decad. de l'Empire* lib. II. p. 88. *Gregorii* magnanimitatem tale quid non concessuram fuisse, *qu'il avoit Gregoire*, verba sunt Maimburgii, *l'ame trop grande pour etre capable d'une si noire & si detestable action*; pro quo *Bertelius* & *Brunnerus* dixissent, facti atrocitatem mores ingeniumque Pontificis *Gregorii* superâsse: Quasi elatus *Gregorii* animus, (de quo ipse *Maimburgius* in ultimo suorum libellorum *Traité historique de l'Eglise de Rome* inscripto c. 29. p. 275. satis aculeatè loquitur) fastusque tyrannicus, & omnibus sceleribus infamis nequitia excellenti isto *magnanimitatis* titulo ornari jure possit, vel dici etiam impedimento fuisse, ne tale quid in sanctissimum uncti caput *Gregorius* conaretur. Observare legem Historiæ debuisset

Maim-

Maimburgius, cujus ipse præco extitit *Histoire de l'Arianisme* Tom. I. lib. IV. p. m. 394. his verbis: *Je n'ignore pas ce que l'on doit à la loy de l'Histoire, qui ne souffre point d'invectives, ni d'exagerations, & qui expose simplement les faits, sans entrer dans la discussion du droit, & sans vouloir penetrer dans l'intention, ni pour accuser, ni pour excuser. C'est à mes Lecteurs de regler sur cela leur jugement, & faire leurs reflexions, sans que j'aye droit de leur prescrire ce qu'ils ont à conclure, beaucoup moins de juger de ce, qui n'est connu qu'a Dieu.* Quis igitur sensa & cogitata *Gregorii* in hoc facto *Maimburgio* revelavit, ut non nisi *animi magnitudinem* spirâsse ea tam audacter afferat? Abstineo plures ejusmodi contradictiones ex *Maimburgii* scriptis coacervare, ut ne prolixior sim, quam modus instituti patitur. *Fides Historici in eo spectatur, ut in narratione Historiæ nudam veritatem exponas, sive illa Tibi probentur, quæ gesta sunt, sive improbentur*, dignum *Casauboni* in prolegomenis ad suas Exercitationes monitum, quod paragrapho huic colophonem imponat.

§. XIX.

Pervenimus nunc tandem ad *Abrahamum* Bzovium, qui præ reliquis omnibus in refellenda nostra historia multum alsit & sudavit. Et verò ut alibi passim, ita & hic deprehendimus illum perquam audacem in historia; non certis & antiquis testimoniis suffultum narrare gesta, sed ex affectu animi huc illuc flexo, nec *prout gestæ sunt res, sed ut geri potuerunt, multis ex proprio ingenio additis*, quòd de *Simeone Metaphraste* censuit Cardinalis *Bellarminus* libro *de scriptoribus Ecclesiast.* Tom. VII. Opp. p. 125. Equidem in *Præscriptione ad Lectorem de causa fineque scriptionis suæ* Tomo XIII. suæ *Annalium Baronii Continuationi* præfixa, fidem ipse suam multis celebrat, partiumque se studio nullibi indulsisse sanctissimè obtestatur: *Tantum abest*, ibi inquit, *scriptio mea à specie adulationis, quantum abfuit vel Baronii vel mea à necessitate: & tantum distat à criminandi desiderio, quantum utriusque à mentiendi vel imponendi libidine: cum mihi pariter is unicus finis, & contumacia forte non ignobilis, veritatem inquisivisse, calumnias detergere viros dignitatibus, sanctitate, doctrina, rebus præclarè gestis illustres in suo cultu ostendere, teterrimasque con-*

ſceleratorum umbras non meo , verum ſuorum vel claſſicorum auctorum penicillo adumbratas exumbrare. Non nihil (puto) tantâ inopia verborum, ut non etiam meis rem univerſam potuerim concipere. Cæterum alienis plerumque, & præcipue eorum, qui vel publica fide ſcripſerunt, vel primæ Claſſis ordinem meruerunt, repræſentare res conſtitui, ne quis me eas aut finxiſſe, aut aliter, quam acciderunt, expoſuiſſe, vel aliquod ſive gratiæ, ſive cæciori affectui dediſſe exiſtimet. A digreſſionibus & notis abſtinui, conciones, criminationes & quicquid lædorium eſt, devitavi, nec niſi unico veritatis deſiderio meam levidenſem operam conſecravi. Prolixus in his deſcribendis ideo fui, ut quam minimè promiſſis in hoc hiſtoriæ capite *Bzovius* ſteterit, eo luculentius pateſiat. Mox ſanè omnes videbunt, vera non dixiſſe illum in iſta præfatione, mentitum fuiſſe non dixerim. Nimirum implacabile ejus odium erga Principes ſuæ dignitatis vindices, nec non devotiſſima erga Romanam Curiam * pietas & ſubjectio volentem etiam non permiſerunt dicere ſcribereque veritatem. Et bene eſt, quod cum *Baronio* ſe conferat, atque ad ejus exemplum ſeſe in ſcribendo compoſuiſſe ipſe fateatur. Hujus enim immoderatum partium ſtudium, effrænisque quævis pro lubitu fingendi & dictandi, nec non, quæ rei ſumma, Monarchiæ Papalis aſſerendæ & propagandæ petulans libido paſſim notata eſt, noſtris pariter atque etiam illis, quorum bono laborem plane Herculeum in ſe *Baronius* ſuſcepit. Quod adeo manifeſtum eſt, ut nec Epitomator ejus *Henricus Spondanus* in præfat. *Epitomes* ſuæ *Baron.* inficias ire nequiverit, *eſſe & inter Catholicos Scriptores, quibus non omnia Baroniana usquequaque arrideant.* Satis id teſtantur cenſuræ doctiſſimorum hominum, qui in eadem cum *Baronio* Eccleſia ac communione vixerunt, quarum catalogum ſi ex *Albaſpinæi*, *Marſilii*, *Allatii*, *Fileſaci*, *Petavii*, *Ferrarii*,

* Quam meritò atro carbone in illo notat *M. Antonius de Dominis* in Oſtenſ. Error. Franciſci Suarezii c. 6. n. 62. (ſub finem partis ſecundæ de Republ. Eccleſ.) p. 977. & *D. Nicolaus Hunnius* Innocent. Luther §. 628. p. 397. Qualis autem Hiſtoricus fuerit *Bzovius*, accipe ex *Herwarti* præfatione in Ludovic. Bavar. Defens. *Abrahamus Bzovius ortu Polonus, profeſſione Dominicanus, audacia Hiſtoricus, non ignarus ſolum rerum, ſed omnibus Hiſtorici partibus deſtitutus, quippe cui ſolertia verum indagandi nulla, acrimonia dijudicandi nulla, memoria dictorum in progreſſu nulla, diligentia ſcribendi parva, fides exigua, affectus partium plurimus.*

rii, * *Holſtenii*, *Richerii*, *Morini*, *Sirmondi*, *de Marca*, *Labbei*, *Launoii*, *Huetii*, *Baluzii*, *Mabillonii*, *Natalis Alexandri*, *Maimburgii*, *&c.* ſcriptis libriſque adornare vellem, permulta ſanè folia requirerentur. Quod ſi verò *Baroniana*, ſimul & (*Bzovio* ſic volente) *Bzoviana* infidelitatis originem noſſe velis & cauſam, audi liberrimè, verè tamen, judicantem *Marcum Antonium de Dominis* de Republ. Eccl. part. I. lib. 4. c. X. n. 1. p. 687. Baronii *duodecim magni tomi Annalium ſcopum illum unicum omnes habere videntur, ut Romanus Papatus ſtrenuè gnaviterque ſtabiliatur. Ac propterea non Hiſtoriam ut par erat & inſtitutum poſcebat, ſed Apologiam perpetuam nobis edidit, imò & Hiſtoricas veritates ſæpiſſimè corrupit & labefactavit, ut vel Papatui prodeſſent, vel ſaltem non obeſſent.* Atque hoc ipſum eum conatum ubique fuiſſe, ut veriſſimum eſt, & ab *Iſaaco Caſaubono* prolixè in prolegomenis ad ſuas *Exercitationes Anti-*Baronianas oſtenſum, ita ab ipſomet B*aronio* agnitum quoque eſt, & jam indicatum Tom. VII. *Annal.* ad an. 534. n. 35. p. 300. ubi ait: *Et ne quis putet, ita dicentes hyperboles loqui, legat digeſtos à nobis hactenus ſingulos annos, & vix eorum inveniet aliquem, in quo ſuprema Romanæ Eccleſiæ ſuper omnes Eccleſias non eluceat vel dictis vel factis auctoritas.* Quod anſam dedit *Petro Pithæo* exactiſſimi judicii Viro dicendi: *Non annales Eccleſiaſticos, ſed de Poteſtate Papæ verum nomen iſtis* Baronii *lucubrationibus præfigendum eſſe*, quemadmodum Baronio Maſtyx *Caſaubonus* refert in Epiſtol. Dedicat. ad ſuas *Exercitationes.* Baronii igitur veſtigia cum ſe preſſiſſe *Bzovius* ait, (certè infeliciter neque pari cum prudentia vel eruditione) vel invitus & neſcius hoſtem ſe veritatis eſſe dixit & faſſus eſt. Quamobrem etiam, ſicut B*aronii* ſimiam ubique egit, ſimile cum illo fatum ſubire eſt coactus. Perinde enim ut ille, dum jura Monarchiæ Siculæ, quæ Hiſpaniarum Reges ſibi vindicant, Tom.

 XI. *An-*

* Non poſſum non ex *Patini* Epiſtolis *lettre* LXXXV. p. 275. huc transferre, quod *Gabriel Naudæus* ab *Holſtenio* ſe Romæ audiviſſe *Patino* dixit, octo mille falſitates in *Baronii* Annalibus ex Manuſcriptis Vaticanæ Bibliothecæ monſtrari producique poſſe. Quod nec Italum illum forte latuit, de quo *Dallæus* lib. IV. de object. Cult Religio c. I. p. 589. refert, ſcripſiſſe eum ad quendam amicorum, *Baronium pædagogiam in lectores petulanter exercere.* Prolixè *Baronii* ingenium depingentem habebis *Heideggerum* Hiſtor. Papat. n. 216, p. 307. ſeqq ſi evolveris.

XI. *Annalium* nimis læſerat, *Philippi* III. Hiſpaniarum Regis iram atque offenſionem incurrit, cujus edictum adverſus *Baronium* publicè editum *M. Antonius de Dominis* exhibet part. II. *de Republ. Eccleſ.* lib. VI. p. 875, 876. (cui adde *Aſcanii Columnæ* Cardinalis judicium de *Baronii* Monarchia Sicula, apud *Goldaſtum* in Monarch. Imper. Tom. III. p. 616. ſeqq.) Sic & *Bzovius*, cum in Tomo XIV. ſuæ Continuationis Annalium Baronii *Ludovicum Bavarum* iniquè admodum tractâſſet, atque ex Imperatorum claſſe ejicere peſſime conatus fuiſſet, *Maximiliani* Bavariæ Ducis, & pòſt Rom. Imperii Septemviri majorum ſuorum gloriam ſtrenuè vindicantis, animum longiſſimè à ſe avertit, cujus etiam juſſu *Johannes Georgius Hervvart ab Hohenburg* Bavariæ Cancellarius peculiarem & pereruditum tractatum, qui *Ludovicus IV. Imperator defenſus* inſcribitur, *Bzovio* A. 1618. oppoſuit, ſolideque ab ejus calumniis *Ludovicum* liberavit, quod idem contra eundem *Bzovium*, atque alterum *Baronii* pediſſequum *Odoricum Raynaldum* non ita pridem *Maimburgius* quoque præſtitit, dans ſon *Hiſtoire de la decadence de l' Empire* lib. VI. p. 519. & 624. Quin ſi **Jano Nicio Erythræo* in *Pinacotheca* part. 1. p. 198. fides adhibenda eſt, *Bzovius, poſtulante Bavariæ Duce & tantam domui ſuæ injuriam factam querente, coactus fuit judicum ſententiis abolere, quod ſcripſerat, ac Ludovicum in integrum reſtituere.* Ut autem eò libentius fidem illi habeamus, facit ipſe *Bzovius*, quando altera *Tomi XIV. Annalium* editione, *ad an.* 1314. n. XII. p. 242. fatetur, *ſe ob ea, quæ Hervvartus Statuum Bavariæ Cancellarius evulgaverit, ſecus in hac editione atque in priore fecerat, narrationem contexere.* Adde *Dermitium Thadæum* in Nitela Franciſc. Relig. p. 17. ubi ait, *Hervvartum non modo opinione omnium, ſed judicum etiam S. R. E. Cardinalium ſententia verè & Bzovio - maſtygem eſſe.* Porro quemadmodum Jeſuitæ Hiſpani *Johannes Mariana* (ipſius Baronii elogio *Tom. VIII. Annal.* ad an. 688. n. 3. p. 749. commendatus) &

* *Caſpar*

* Vero nomine *Julio Victori Roſſo*, ut *Placcius* de ſcriptor. Anonym. p. 230. & *Boeclerus* Diſſert. Academ. p. 544. interpretantur. A quibus non nihil diſſentit *Carolus du Freſne* in præfat. ad Gloſſar. p. 15. qui *Janum Victorium de Roſſi* nominat.

* *Caspar Sanctius* aliique Cardinali *Baronio* non pepercerunt, cum is *Jacobum Apostolum Majorem* in Hispaniam non venisse Tom. IX. *Annal.* ad an. 816. n. 48. 49. seqq. p. 788. doceret, & quæ in *Martyrologio* pro affirmante sententia scripserat, revocaret, vide pluribus *Gisbertum Voetium* Dispp. select. part. III. p. 988. seqq. & *Joannem Dallæum* de Cult. Religios. Object. lib. IV. c. 20. p. 695. & 802. Sicut item cum pro *Paulo* V. contra Rempublicam Venetam *Baronius* faceret, calamum quorundam præclarorum Venetæ Nobilitatis assertorum adversus se acuit, quorum tractatus *Goldastus* collegit *Monarch. Imper.* Tom. III. p. 374. seqq. Ita non aliter *Bzovio* evenit, adversus quem *Hieronymus Cavellus* Franciscanus Apologiam de vita & morte *Johannis Duns Scoti* scripsit, & operibus *Scoti* abs se Antverpiæ editis præfixit. Visus enim *Bzovius* fuerat, pro veteri *Dominicanorum* erga *Franciscanos* odio horum Patriarchæ *Scoto* * in Annalibus Tomo XIII. laudes haud mul-

* Nunquam hunc in omni vita mentitum fuisse, satis ridiculè socius *Alegambe* asserit in *Biblioth. Scriptor. societ. Jesu* p. 152. Quale quid etiam de *Bellarmino* aliisque apud nonnullos legere memini. Gloria nempe Jesuitarum minor esse non debet, quam Græciæ Imperatoris *Epaminondæ*, quem adeo non obliquum in factis, sed amantem veritatis fuisse *Cornelius Nepos* in ejus vita refert, c. III. num. 1. *ut ne joco quidem mentiretur*, quod & is de *Attico* in ejus vita 15. n. 1. deprædicat: *Mendacium*, inquiens de illo, *neque dicebat, neque pati poterat.* Sed quid *David* regius Psaltes *Psalm.* CXVI. 11. & *Paulus Apostolus* Rom. III. 4. *Deus verax & omnes homines mendaces?* Mentitus certè si non aliàs est *Sanctius*, dum fabulam istam adeo confidenter propugnavit. Quod tamen in illo ne mireris Lector. Non enim Hispanis insuetum, primas omnium rerum ac disciplinarum origines suæ patriæ magno studio atque ardore vindicare, quando etiam *Muhammedem* impostorum, quos sol vidit, maximum & pessimum prima nequitiæ suæ tyrocinia in Hispania posuisse, priusque illic quam in Arabia sparsisse volunt & asserunt. Vid. *Hierem. Higueram* not. ad *Luitprand. Chronic.* p. 297. & 519.

* *Antonius Possevinus* in Apparatu, atque ex eo *Ioh. Georgius Dorscheus* in Syllog. Semestr. p. 77. memorant, *Iohannem Duns Scotum* in Monasterio Malmesburiensi graphiis à discipulis occisum fuisse, sed decepit eos similitudo nominum. Non enim de *Iohanne Duns*, sed *Iohanne Erigena Scoto* intelligi id debere *Vossius* monet de Hist. Latin. lib. III. c. 8. p. 602. & ante illum *D. Hutterus* noster LL. Theol. Art. XIX. de sacr. cœn. p. 681. a. Confer etiam *Mornæum* de S. Eucharist. lib. IV. c. 8. p. m. 1630. Plura exempla stylo sive graphiis necatorum recenset idem *Vossius* Aristarch. Grammat. lib. I. c. 35. p. 130. & 131. Alluserat eo eleganti paronomasia *Petrus Suavis Polanus*, quando a sicario, Romani Pontificis emissario, lethali vulnere percussus, atque ab amico, quomodo habitus tractatusque fuisset, interrogatus, scitè respondit: *Stylo Romano.* An autem *Ioh. Duns Scotus* subita apoplexia correptus, vivusque, quod mortuus omnino crederetur, sepultus fuerit, ut *Bzovius* præter alios *Tom.* XIII. *Annal.*

tum atque satis ex *Franciscanorum* voto tribuisse. Defendit tamen Bzovium *Nicolaus Jansenius* Belga ord. Prædicat. in Appendice ad Tom. XV. Annal. Eccles. *Bzovii*, opposuitque *Cavellianæ Apologiæ* scholia & animadversiones, ne unquam *Franciscanis* deesset, quod conquererentur; sed nec hi tacuerunt, ut ex *Dermitii Thadæi* Nitela Franciscanæ Religionis adversus *Bzovium* A. 1627. Lugduni edita p. 17. videre est. Similiter, cum *Bzovius* famam *Guilielmi Occami* murium instar in sua Continuatione arrosisset, non inultum id reliquit *Lucas Waddingus*, cujus Apologiam pro *Occamo* adversus Bzovium *Maimburgius* laudat *Histoire de la Decad.* lib. VI. p. 606. & 607. Adde *Hervvart.* in Ludovic. Bavar. Defens. ad An. 1323. n. 62. p. 43. & *Dermitium Thadæum* l. c. p. 434. seqq.

§. XX.

Satis opinor, & justo forte plus de ingenio *Bzovii*, quidque candor ejus nobis promittat, dictum est. Dicendum etiam de argumentorum, quibus contra nos militat robore ac momento. Eò autem prolixior in illis examinandis ero, quò plura quam alii tela in nos ille vibravit; quamvis illorum imbecillitas ostensa jam sit ab excellentissimo atque harum rerum callentissimo Theologo D. *Iohanne Georgio Dorscheo* Mysar. Miss. c. V. §. 74. p. 162. seqq. Quo etiam labore, sed brevibus, defunctus est *Launojus* part. VI. Epistol. XIV. p. 418. *Bzovium* autem in præcedente paragrapho vivis coloribus depictum *Bzovius* ubique in hac historia prodit. Ut Dominicanum Monachum ipse Dominicanus (absurdum enim est, quod è *Societate Iesu fuisse* in *Bibliographia Histor-Politico-Philol. Curiosa* auctoris non ignoti §. 25. dicitur) à crimine absolvat, nihil non agit & molitur, tandemque desinit in calumnias, quibus *Henrico* Imperatori non minus molestus est, atque illis, qui vitam mortemque ejus scriptis consignârunt. Quod ejus studium erga sui ordinis homi-

ad a. 1294. n. 1. p. 332 satis aculeatè asseruit, *Lucas Waddingus* videri potest, in *Annalibus Minorum* Tom. III. ad an. 1304 & 1308. & qui eum citat ac sequitur *Spondanus* Continuat. Annal. Baron Tom. I. ad an. 1308. n. XI. p. 368. a *Balæus* in Scriptor. Angl. Centur. IV Tom. I. p. 363. simpliciter ait, *eum A. 1308. in ætate virili apoplexiâ defunctum esse.* Confer plenius *Dermitium Thadæum Nitel.* Francisc. Relig. p. 68. seqq.

hominem adeo non improbaremus, memores illius apud *Maronem* Æneid. lib. X. v. 599.

- - - Fratrem ne desere Frater,

modo is veritatis ac modestiæ erga *Henricum* memor magis fuisset, neque liberando socium à crimine, & gloriosissimi Imperatoris famam ac pietatem criminando ipse sceleris socium ac participem se fecisset. Non negat quidem, ceu faciunt alii, *Henricum* die festo *Assumptionis* divæ Virginis sacra synaxi fuisse usum, negat tamen venenum in ejus usu ipsum accepisse, & accersit mortis, quæ Imperatorem devoraverit, causam ab ejus temulentia atque intemperantia (juxta illud *Martialis* lib. VI. Epigr. XXIX.

Immodicis brevis est ætas, & rara senectus.)

qui nec ipso illo die, quo corporis & sanguinis Dominici particeps fuerat factus, temperare sibi potuerit, quin *more gentis intemperantius* se se haberet, atque *temeto nimis gravis* motione castrorum sequenti die præpropere facta digestionem crapulæ impediret. Summa hæc fabulosæ narrationis *Bzovianæ:* Quin audiamus ipsummet, ne de illata sibi injuria conqueratur, ut solemne istius sectæ hominibus. Ita autem Tom. XIV. *Continuationis Annal.* Baron. ad An. 1313. §. 5. p. 208. narrare incipit: *In pervigilia Assumtionis Divæ Dei parentis unico symptomate febrili lecto affixus, cum ipso festo sacratiore hostiam divinam recepisset, & tum pro devotionis studio, tum pro servandæ valetudinis ratione cubiculo continere se debuisset, qua erat alacritate, animique magnitudine, ne die dicta temere abfuisse crederetur, consuetudinis quam valetudinis rationem habere volens majorem, convivio non tantùm assedit, verùm etiam Procerum causâ more gentis intemperantius se habuit, neque satis digesta commessatione atque temulentia temeto nimis gravis die sequenti castra movit, ac labore equitationis æstuque accedente secundo sed longè graviore symptomate laboravit. Iuvit morbum loci intemperantia, quæ etiam habitatores suos fertur devorare. Auxit febrim, vini rubentis potentioris à medicorum consiliis permissio. Hi enim debilitato cibos fastidienti Imp. subvenire volentes, neque temporis æstivi & febris acutæ ardores quicquam pensi habentes, tres & quatuor cyathos diebus singulis ejus vini cum tantillo aquæ & offa panis*

torri-

torrefacti Imperatori vinipotenti indulgebant,ex quo corpus cacochymicum in tantum inflammatum est, ut nono die à secundo symptomate diem suum obierit.

§. XXI.

Audivimus,quid *Bzovius* Hildebrandinæ factionis socius velit, videndum nunc, quid nos velimus atque Veritas. Ubi ante omnia necessarium erit,introspicere ejus fundamenta,ut cum actorum veritati,tum præcipuè existimationi Imperatoris *Henrici* consulatur. Ac *primò* quidem haud difficile dictu est, quamobrem in hanc mentem impellatur *Bzovius*,ut *Henrico* insultet,convitiumque dicat. Ut Monachum excuset, Imperatorem accusat, sequiturque *Stoicorum* procedendi rationem à contrario, quo quæ in unam partem exierunt, in alteram reflectere solebant, ut in verum modum redirent. *Quædam*,inquit Stoicorum princeps Philosophus *Seneca* lib. VII.de Benefic.c.22.p.380.*præcipimus ultra modum, ut ad verum & suum redeant.* Ut summa ex hominibus tollerent vitia, ne quidem minima admittebant,quin & cuncta volebant paria; & ut à peccando homines abducerent, ne affectus quidem minimos permittebant. Quæ Stoicorum παράδοξα diligenter enucleavit *Justus Lipsius* eorum amantissimus, in *Manuduct. ad Philos. Stoic.* lib.III. Dissert.3.4 5.& 7.p.137.seqq. Et quis nescit, in multis *Bzovii* socios *Thomistas* ac *Dominicanos* Stoicorum asserta amare impensè ac fovere intimè? Quid toties ab iis asserta *Prædeterminatio DEI physica & necessaria causarum secundarum in voluntariis etiam motibus à prima dependentia* sapit, nisi Stoicorum absolutum *Fati* nexum? Agnitum id est ab ipsis Jesuitis *Suarezio, Lessio, Tannero, Becano* & * aliis. Vid. Docto-

* Adde *Maratium, Didacum de Ruiz, Fasolum, Ariagam, Bellarminum, Raynaudum* Dominicanorum *Antagonistas* fervidissimos, adversus quos cum adeo prolixè *Samuel Rotorfortis* de Divina Providentia c. XXVI. & XXVII. p. 353. seqq. disputat,non nisi symphoniam doctrinæ suæ cum *Thomistarum* placitis prodit,de quorum etiam consensu pòst c.XXX. p. 527. gloriatur, uti jam ante eum *Andreas Rivetus* etiam fecerat, in *Cathol. Orthodox.* tract. IV. q. 6. p. 358. & novissimè auctor libelli: *l'Esprit. de Monsr. Arnaud.* part. I. p. 3[illegible]2. seqq. & part. II. p. 22. seqq. Evolve,si plura de ista controversia nosse cupis, Philosophos in Calvini schola celebres *Revium* in Suarez. repurg. p. 269. *Voetium* Theol. Natur. Reform p. 5:1. *Schulerum* lib. II. Exercit. Philosoph. Exerc. XXI. p. 197. *Heerboordium* Meletem. Philos. Vol. I. *Disp.* IX. & X. p. 34. seqq. E Theologis nostris consule, si duriora modo citatorum aucto-

Doctorem nostræ Confessionis longè celeberrimum *Iohannem Hulsemannum* Manual. Aug. Confess. Disp. XVI. p. 730. & Disp. XVII. p. 313. & de Auxiliis Gratiæ quæst. VII. p. 308. Sed rectissimè *Horatius* dixit. 1. serm. satyr. II.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Quemadmodum qui incurvatum scipionem in contrarium recurvare studet, ut rectus fiat, sæpissime eum frangit, ita dum *Bzovius* sodali suo præ Imperatore favet, & hunc in illius foveam præcipitare vult, ipse fidem suam præcipitem reddit. Ne unum enim, ne dicam ex antiquis, qui multis elogiis *temperantiam* Henrici commendârunt, (apud *Felicem Osium* in notis ad Mussat. p. 90. b.) sed nec ex illis, qui *Henrico* non ita bene cupiunt, nominare potest, qui tale quid de *Henrici* vinolentia vel per somnium enarrârit. Qualis ergò, & quis, ater an albus spiritus *Bzovio* hoc recensuerit, juxta cum ignarissimis scimus, meritoque hîc illud aureum repetimus: *Quantum est quod nescimus*! nec non lepidum illud ut verum: *O quantum est hominum, qui etiam quæ nesciunt, sciunt.* Quamvis de posteriore colore ut soliciti simus nihil sit opus. Nemo enim candidus, & sic probus, tam irreligiosis calumniis fato compositum Imperatorem lacesseret. Calumniatorem igitur agis *Bzovi*, (quidni enim liceat ab *Hervvarto* in Appendice ad Tom. XIV. Annal. Bzov. ad an. 1344. n. 4. p. 769. b. mutuò accipere, quod is calumniæ Bzovii *de asseclis Ludovici in Comitiis Francofurtanis non tantùm à vino, sed & à contumacia ebriis* regessit) non Historicum. An tu *Henrici* Imperatoris Pincerna fuisti & Baccho operantem vidisti? Quæ ista temeritas Monachum de Cæsare Principibusque loqui, acsi de cerdonum genere natus fuisset? *Nunquid Sarmatæ omnes ejusmodi sunt*, liceat etiam dicere cum *Valentiniano* Majore, quando Sarmatiæ Legati pacem petitum sordido admodum habitu ad eum venerant, apud *Carolum Sigonium* de Occident. Imper. lib. VII. p. 119. Similis etiam furfuris est altera calumnia, qua *Henrici morbum*, refert *auctum fuisse ex animi dolore, quòd intellexisset Henricus, Clementem*

Gg *Roma-*

auctorum effata emendare vis, unum Doctorem *Dorscheum*, qui omne punctum tulit *in Vindic. ad Exod*, IV. Dissert. X. p. 248. *Intervent. pro Myster. Trinit.* c. 36. p. 544. & in *Vindiciis pro Interventione* c. 36. p. 518. seqq. *Penta-Decad.* Disp IX. §. 28. 29. p. 314. Plura loca ex ejus divinissimis scriptis non colligo, spicilegium aliis relinquens.

Romanum Pontificem sententiam in Robertum Regem prolatam rescindere decrevisse, huncque Guelphorum tutelam suscepisse, multaque Friderico damna intulisse : quò digitum quoque intendit incertus Italici carminis à Bzovio producti auctor, vel ob hoc solum in hac historia non audiendus. Eadem calumnia alii etiam *Henrici* magnanimitatem denigrare ausi sunt, (qui, ut conjicio, Italos suos ab ista venena propinandi infamia liberare voluerunt) invita tamen veritate, Vid. *Aventin.* Annal. Bojor. lib. VII. p. 747. & *Wolffium* Lect. Memorab. Tom. I. Centen. XIV. p. 600. Quomodo verò *Bzovius* persuadere hæc illi poterit, qui in se ejus petulans imperium non agnoscit aut acceptat? Quando deinde *Bzovius* more gentis *Henricum* se se intemperantius habuisse scribit, nostram Germanam, an Italam velit, dubium est. Caveat sibi, si probra gentis nostræ nobis objicere intendit, ne pari par referentes, quæ in *Sarmatis*, *Venedis* & *Slavis* (quibus nominibus sex prioribus à nato Christo seculis *Poloni* venerunt) Veteres notârunt, quæramus & etiam inveniamus. Notum omnibus est, (ut unum hoc commemorem) quoties sincerum erga Reges obsequium in multis ex Polonorum gente desideratum sit, vitione innatæ ferociæ, an verò petulantis pertinaciæ, non ausim proloqui, cum privatim sentiendi rationem habeam. Rectius forte, si quidem quod aliqui delinquunt universæ multitudini imputare fas esset, *more gentis* Bzovium in *Henrici* rebus factisque describendis sese gessisse affirmari posset. Certè *M. Antonius de Dominis*, cujus paulò post librum citabimus, libero calamo scripsit: *Non is Rex est* Jacobus (Anglorum Dominus) *cui facile quis, sicut* *Bzovius Sigismundo* (Poloniæ Regi) *possit imponere*. Silentio involvo diffidium, quod inter *Hermannum Conringium* & *Franciscum Marinium* de scopo Reipublicæ Polonicæ, quem ille in Collegio quodam privato *vitam luxuriosam* (audi *Bzovi!*) hoc præsente dixerat, exarsit, quodque invidiosa plura suppeditare posset, nisi conviciis & maledictis Christiani prohiberemur paria regerere. Legenda *Lansii* Oratio contra Italiam *in Consultat.* p. 514. & silebit *Bzovius*. Non invideo gloriam, quæ ex natione à *gloria* dicta (*Slavvni enim populi*, juxta *M. Antonium de Dominis* loco mox citando *gloria illustres*

ſtres in Dalmatica lingua ſonat) præter meritum Bzovio obtingit, nolim tamen etiam, ut ſua maledicentia illuſtri Germanorum ſanguini maculam aſpergat. Sunt ſui cuique genti nævi & naturæ errores, ne dicam monſtra, neque * *Hieronymos* ſemper *Sarmatis* debemus, ſed & *Bzovios*. Plura huc facientia *Bzovii* Civis M. *Antonius de Dominis* habet in Oſtenſ. Error. Suarez. c. VI. *part. II. de Republ. Eccl.* p. 977, & 980. Socios etiam, ſi alibi malorum, hic juvabit habere maledicentiæ *Bzovianæ*, quæ ut Germanos ſic & Belgas gravat, quando n. XIV. p. 212. *Johannem Bekam* (corruptè *Bzovio* audit *Belca*) *Hollandicæ fidei neſcio quem hominem* appellat *Bzovius*, ipſe nullius vel Slavicæ tantùm fidei homo. Notum autem eſt, quomodo *Slavica fides* apud majores noſtros in proverbium abierit pro ſcelesta & fallace. *Goldaſt.* Comment. de Regn. Bohem. lib. II. c. I. p. 107. Si *Punicam* illi fidem tribuere malis vel *Græcam*, non ſuccenſebo. Utraque enim bene olim non audiit. Vide de illa *Erasmum* in Adagiis Varior. p. 347. & 577. de hac *Voſſium* de Arte Hiſtor. c. IX. p. 49.

§. XXII.

Non ſatis habuit *Bzovius* calumniis ſuis *Henricum*, &, cujus is Imperator fuit, Gentem Germanam laceſſere, ſed & illius Medicos rabioſi canis inſtar allatrat, quaſi hi negligentia ac imprudentia ſua *Henrici* mortem promoverint. Cujus in tota Hiſtoricorum ſerie nec vola nec veſtigium ullibi apparet, præterquam in ſola mendaciloqui *Bzovii* mente. *Ægyptium* rectè eum nominaveris, utut Poloniæ natales debeat, quippe apud *Ægyptios* teſte *Alexandro ab Alexand.* Genial. Dier. lib. VI. c. 10. p. 342. b. *nullus mentiendi modus ſummaque mentiendi impunitas erat.* *Honora medicum*, ſi neſcis *Bzovi*, dixit *Syracides* Eccleſiaſtic. XXXVIII. 1. *propter neceſſitatem, etenim illum creavit Altiſſimus.* Ita *Vulgatus* Interpres; ſed Græcus contextus majorem habet emphaſin: τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας

τιμαῖς

* Siquidem Dalmata *Hieronymus* nec Italus fuit, quo de eruditi adhuc litigant. Vid *Eraſmus* in vita *Hieronymi*, quæ ejus Operibus præfigitur, item *Iohannes Lucius* in fine doctiſſimæ Hiſtoriæ de Regno Dalmatiæ & Croatiæ, *Dubravius* Hiſtor. Bohem lib. XXII. p. 182, *Goldaſtus* de Regn. Bohem. lib. V. c. 2. p. 516. *Quenſtedt* Dialog. de Patr. Illuſtr p. 261.

τιμαῖς αὐτοῦ, καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισεν Κύριος. *Honora Medicum ſuis honoribus ad neceſſitates, etenim ipſum creavit Dominus.* Non ſimplici honore ſed multiplici vult honorari. Ad quem verò cenſum non referendi agyrtæ, Medici Circumforanei, circulatores & impoſtores alii, quorum hoc præcipuum ſtudium eſt, ut imperitam plebem argento emungant, dum vaniſſimas artes magna cum oſtentatione & multis fraudibus profitentur. (De quibus vide auctores apud *Zieglerum* Jur. Majeſt. lib. 1. c. 41. p. 729.) ſed quales deſcribuntur à *Seneca* lib. VI. de Benefic. c. 16. p. 351. *qui non manum tantùm tangunt, & nos inter eos, quos perambulant ponunt, ſine ullo affectu facienda vitandave præcipientes, nec qui nos arte, quam vendunt, obligant, ſed benigna & familiari voluntate, quibus nullum miniſterium oneri, nullum faſtidio eſt.* Lege, meretur enim, caput integrum. Accuſandus præ Medicis *Henricus* eſt, ſi dicendum quod res eſt, quos hic audire noluit, (ut * Veteres communi conſenſu tradunt) cum medendi artem exercere apud eum volebant, negligens *Virgiliani* moniti *Æneid.* lib. III. v. 188.

Cedamus Phœbo, & moniti meliora ſequamur.

&, quod *Petrus Chryſologus* habet, *ſermone VI. Sine* ** *Medico vita poculum ſit lethale.* Sed nec his contentus *Bzovius* Scriptores quoque *Ephemeridarum* (ſic enim per Epentheſin pro *Ephemeridum* loquitur) *Henrici* mordace lingua in ſequentibus numeris aggreditur, quaſi vel alienis oculis viderint, vel odio Italæ gentis mentiti fuerint, vel denique falſis conjecturis & ſuſpicionibus manifeſtam veritatem poſtpoſuerint, *more palatino*, hæc ejus petulantia verba, *eorum qui calamum venalem atra infamia innocentium ſolent intingere.* Quibus verò, *Bzovi*, fidendum potius quam Ephemeridum ſcriptoribus, quorum, præſentium quippe, oculi falle-

re

* Unus, quod ſciam (ex Veteris pariter & noſtri ævi ſcriptoribus) *Johannes Palatius* in Monarch. occidental. lib. XXXII. c. 2. n. XXVII. p. 118. ſcribit: *Henricum peracta miſſa remedia adhibuiſſe*: ſed notum eſt, quot lapſibus obnoxius iſte *Palatii* liber ſit.

** Quod quidem *Plinius*, uti crederet, induci non potuit, quin lib. XXIX. *Hiſtor. Natur.* p. 524. neſcio an Græci nominis atque artis Medicæ odio, an potius utriusque acerbiſſimè in Medicinam inveheretur. Sed lotus lixivio eſt à Doctiſſimo *Fileſaco* lib. I. Select. c. 17. p. 297. ſeqq. & de Idololatr. Magic. §. 5. p. 25 & 26. Si ex veneno juxta quorundam ſententiam apud *Henricum* dyſenteria orta fuit, potuiſſet Imperator remediis illis curari, quæ *Voſſius* ex Veterum Medicorum præceptis præſcripſit, *Theolog. Gentil.* lib. IV. c. 41. p. 1443.

re non potuerunt? Audivisti, demus, quod finxisti & nobis, ut crederemus proposuisti, illi verò viderunt contrarium, annon autem ὦτων πιςότεροι ὀφθαλμοί, *oculis credendum potius quam auribus?* Quæ cernuntur, certiora sunt, quam quæ audiuntur, & ad fidem faciendam certiores sunt oculi auribus, quæ ad cognitionem magis faciunt. Unde *Horatius* in Arte Poetica:

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator - -

& *Dion Cassius Nicæus* Histor. lib. LXVIII. p. 784. in Nerva Trajano ait: λέγω δὲ ἃ μὲν εἶδον ὡς εἶδον, καὶ ἃ ἤκουσα ὡς ἤκουσα. *Id autem trado, quod vidi, sed quæ audivi, ut audivi.* Quæ de *venale calamo* garris, *Bzovi*, ex tuo ingenio judicamus, qui non te solùm, sed alios quoque *tuo pede ac modulo metiris*, ut *Horatianum* illud huc accommodem. Vanum tuum pro Cardinalitio galero studium in continuando *Baronii* labore, (qui * Purpuram ei peperit,) notum nimis est. Tibi dictum, *Bzovi*, quod S. *Chrysostomus* dixit: *Multi ambiunt dignitatum titulos & oculos à veritate avertunt*, (quemadmodum id *Parisienses Theologi* auctores notarum ad *Szelephenii* Strigoniensis Archi-Episcopi censuram, citant in fine *libri II. Vindiciarum Doctrinæ Majorum Scholæ Parisiensis* ab *Edmundo Richerio* editarum pag. 12.) *Gerson* Academiæ Parisiensis Cancellarius in tractatu, quem *Richerius* loc. cit. lib. III. p. 219. edidit, bene monet: *attendendum esse in examinatione doctrinarum de fine, si sit ad commodum temporale, vel quæstum; dici non posse, quam mendax sit cupiditas, nec divinis eam parcere nec humanis*; suppeditat etiam adversus malum istud duas regulas, quarum prima egregiè ad præsens institutum facit: Vult autem illa, *ut antiqui potius auctores legantur quam novi, quos sæpe odio vel favore, quæstu, aut fastu scripsisse* com-

* Non absurdè dixit *Erasmus*: *Pauperem Lutherum multos ditasse*, quando nimirum, qui ejus doctrinam oppugnabant, egregiis beneficiis donabantur. *Maimbourg* Histoire du Luther lib. III. p. 250. cui adde ipsum *Lutherum* Tom. III. Altenburg. p. 894. a. Huc spectat, quod *Perronium* ob navatam bene in conversione *Henrici* IV. operam, sacri collegii purpura à Pontifice donatum fuisse *Grammondus* scribit, Histor. Gall. lib. III p. 201. post quem lege *Voetium* Desperat. Caus. Pap. lib. III. sect. II. p. 678. De *Bellarmino* ob quatuor suos controversiarum Tomos ad eundem honorem evecto, si leges hæc, scio, cogitabis.

compertum sit. Legimus igitur & nos, sequimurque potius *antiquos auctores atque Historicos, quam novitium Bzovium, quem odio, favore, quæstu ac fastu scripsisse compertum est.* Lucrum nullum video, quod *Ephemeridum scriptores* aliique expectare potuerint, quando *Henricum* nequitia Monachi vitam perdidisse scripserunt, neque etiam præmiorum tempus, beneficiorum distribuens persona in propatulo sunt, potius odium & convitia laboris mercedem, vel ipsius *Bzovii* calamo teste, habuerunt. Sed ut servaretur Dominicani Monachi cucullus, maluit *Bzovius* Cæsaream coronam pessum dare, multosque * graves ac fide dignos Viros rejicere, ut unus nequam defenderetur. Alia olim Dictatori in Judæorum senatu *Caipha* mens erat, qui *Ioh. XI.* 50. *Satius esse opinabatur unum quam multos perire.* Quam gravem sententiam miror *Bzovium* hîc neglexisse, cui alioqui cum sociis suis permulta ex *Iudaismo* ac *Pharisaismo* arrident, ceu præclarè noster *Gerhardus* monstrat *LL. Theol. de Eccles.* §. 229. *Tom. V.* p. 411. a. adde *Hottingerum* Thesaur. Philolog. lib. I. c. 1. p. 28 seqq. eruditè idem ostendentem.

§. XXIII.

Nondum *Bzovianarum* ineptiarum satis est. Quando mortis causas & genus, quo sublatus *Henricus* sit, exprimere debet, summa imis miscet, & ut uno verbo dicam, ineptit. *Henricum ægrotum* comminiscitur n. IV. *Maceratensia balnea adiisse, ibique ex animi dolore ob hostium suorum felicia arma morbum auxisse, atque exinde dissenteria laborâsse, mox ingravescente morbo febribus acutis divexatum tandem è vita excessisse,* & n. V. ait, *pleureticum fuisse Imperatorem dum vive-*

* Tam nota omnibus est *Bzovii* maledicentia, ut negare ipsi eam nequeant, qui eadem cum ipso sacra profitentur, exemplo *Felicis Osii* in notis ad Mussati Historiam p. 82. a. Et qui possent aliter, cum perpetuò in scriptionibus suis *Herculi Lydio* soleat litare. Huic, ut est apud *Origenem* lib. VII. contra *Celsum*, p. 376. edit. *Hæschel.* & apud *Lactantium* lib. I. Instit. c. 25. p. 335. sacra fiebant non εὐφημίᾳ, (ut Græci loquebantur) sed execrationibus, maledictis & convitiis: Et habebantur sacra illa pro violatis, si quando inter solennes ritus vel imprudenti alicui excidisset verbum bonum. Vid. *Theophil. Raynaud.* Opp. Tom XI. p. 249 b & ex eo *Theophilum Spizelium* in Felic. Literat. Comment. VII p. 708 (adde ejusdem *Infelicem Literatum* commonef. XXIV. p. 720.) Inurenda igitur fuisset *Bzoviana* fronti litera K. si juxta Romanorum *Legem Remmiam* sententia ferri debuisset, quo de vid. *Lips.* Elector. lib. II. c. XV p 489. & in Comment ad Plin Panegyr. n. 296. p. 60. *Casaubon.* ad Sueton. lib II. p. 104. *Voss.* Theol. Gentil. lib. IX c 37. p. 601.

viveret, unicoque symptomate febrili primùm laborâsse, post verò, quòd se cubiculo non contineret, & intemperantius biberet, dieque sequente temeto gravis castra moveret, laborem equitationis & solis æstum aliud longeque gravius symptoma ei attraxisse, quod loci intemperantia non parum promoverit; auxisse etiam morbum Medicorum inscitiam vinum potentius rubens Imperatori concedentium. Egregius fabularum artifex! Mirum, quod ex Medicorum Therapeutica plures adhuc alios morbos allegare intermiserit. Infantibus anus nugigerulæ recensere ejusmodi commenta solent; non sic sciti prudentesque Historici. *Fingere, quæ cupias facta*, optimè dicit *Casaubonus* in prolegom. ad suas Exercitat. *& pro rebus gestis ea narrare Poeticæ licentiæ optimè convenit, ab Historicis expositionibus est alienissimum.* Narrat etiam *Bzovius* multa, *de sacerdote quodam nomine Iohannis, professione Cistercienśi Monacho, qui ex invidia ob præreptum sibi à Bernhardo pœnitentiarii officium tale huic probrum affinxerit*, sed tabulas narrationis non edit, quis igitur credet? Continuabo ego Annales Baronii, & in ea Continuatione ad Annum 1313. afferam, *Bernhardum ex fervore iræ, quòd Imperator Pœnitentiarii munus isti Iohanni tradere voluerit, Henricum veneno necasse.* Quid, opinamur, dicet *Bzovius*, si viderit? Nugari me, inquiet, quemadmodum nunc ego sentio de ipso. *Quòd Bernhardus religionem Prædicatorii Ordinis professus fuerit, quodque multa ab Imperatore beneficia acceperit*, nobis quoque opponit, sed sine effectu, sicut nec literæ apologeticæ nobis obstant, quas ex *Iacobi Susati* Chronico commemorat, ut latè §.5. & 6. hujus secundæ sectionis docuimus. Sententiâ *Clementis* V. (pergo recensere ejus objectiones) absolutum Monachum fuisse præter *Felicem Fabrum* non reperi, qui scriberet, sed & huic responsum supra est. Nomen bonum *Clemens V.* fuit, Vir parum bonus. Usum Calicis tum temporis in Ecclesia desiisse, quod n.16.p.214. & n.18.p.215. bis opposuit, facile largior, dummodo largiatur mihi *Bzovius*, Henricum in *ablutione calicis* venenum accepisse, quo de mox, cum sectionem hanc finiverimus, quædam differemus. Quemadmodum tandem adductarum historiolarum idoneo monumento fidem facere nequit *Bzovius*, ita eadem ex causa iis assensum detrectamus, quæ de

Carolo IV. Henrici nepote apud Monachos Prædicatores ad horum innocentiam commonstrandam sacram Eucharistiam sumente, duoque diplomata aureis bullis appensis signata inter offertoria mysteria illis offerente refert ac fingit. *Noli temere de Hippolyto ac Bellerophonte mentiri* vetus parœmia ait. Ipse *Carolus* in Vita sua, quam *Marquardus Freherus* Scriptoribus Rerum Bohemicarum inseruit, nihil hac de re habet, tametsi p. 103. multa de pietate sua verba faciat. Ita & *Dubravius* Episcopus Olomuzensis *in Histor. Bohem.* lib. XXII. p. 182. plurima de *Caroli* erga *Canonicos Regulares*, *Carmelitas*, *Ambrosianos* & *Augustinianos* beneficentia retulit, nec tamen *Dominicanorum* vel verbulo meminit: Quod idem in *Georgii Bartholdi Pontani* Bohemia pia lib. I. p. 7. observare est. An in *Bohuslai Balbini* Miscellaneis Historicis Regni Bohemiæ Decad. I. libro IV. seu, ut inscripsit: *Bohemia Sancta*, (quo de rebus gestis *Caroli IV.* egit) aliquid reperiatur, quod libro isto caream dicere nequeo: Hæc quod scirem, indicio Eruditissimorum Collectorum *Lipsiens. Actor.* An. 1682. p. 401. debui. *Fides forte purgabit hoc commentum*, ut *Baronius* ridiculè & contra omnes Historici boni leges alicubi loquitur Tom. III. Annal. ad An. 326. n. 54. p. 461. Reliqua *Bzoviana* commenta passim in superioribus refutavimus. *Atque hic tandem respirabimus*, mea facio verba *Dermicii Thadæi* in Nitel. Francisc. Relig. p. 494. *non quia plura scribenda & castiganda in hoc authore non occurrunt; sed quia tot esse novimus, ut compendio abolenda magis quam emendanda judicemus.* Restat ut *Bzovium* adhuc, antequam missum faciamus, post mortem alloquamur, quemadmodum *Paulus* Apostolus suum *Timotheum* inter vivos versantem allocutus est: *O Timothee* (ò Bzovi) *Depositum custodi* (sincera Veterum Historicorum monumenta) *devitans profanas vocum novitates* (proprii cerebelli noviter conficta & nunquam audita commenta) *& oppositiones falsi nominis scientiæ* (convitia, opprobria & calumnias) *quam quidam profitentes circa fidem aberraverunt* 1. Timoth. VI. 20. quem antecedunt versus *nonus* & *decimus* non minus notabiles: *Qui volunt divites fieri*, (qui Cardinalatum cum *Bzovio* ambiunt) *incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & desideria multa &*

stul-

ſtulta (aniles fabulas) *& nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt avaritia, quam quidam appetentes erraverunt à fide* (ab Hiſtorici munere) *& inſeruerunt ſe doloribus multis* (innumeris & pudendis figmentis) *Tu autem ò homo DEI* (*Bzovi* Dominicane) *hæc fuge, ſectare verò juſtitiam, fidem, charitatem.* Neutrum feciſſe *Bzovium* in hac hiſtoria conſtat, nec illud fugit, nec hoc eſt ſectatus, oblitus præ nimio amore defendendi ſodalem Dominicanum, & *pietatis* erga Imp. *Henricum*, & *charitatis* erga ejus Ephemeridum ſcriptores, & *juſtitiæ* erga Germanæ gentis gloriam, & ultimò *fidei* erga Hiſtoriæ matrem ac Magiſtram affectibus nudam veritatem, *Vt verò animanti ſi oculos eruas*, Lipſius ait, not. ad lib. I. Polit. cap. IX. p. 15. *reliquum corpus inutile reddas: Sic Hiſtoriam, ſi ab ea hoc lumen.* Dignum tanto literarum Heroe judicium!

§. XXIV.

Res nobis in præcedentibus cum *Bzovio* fuit, in quo caſtigando prolixior, fateor & acrior, extiti, atque initio conſtitueram. Sed quoniam ipſe ex Prædicatorum ſodalitio fuit, & eapropter paſſim ad ipſum provocetur, dandum quid illi erat, quod aliis non dabitur. Quod durioribus quandoque verbis uſi ſimus, *Ditmarus Merſeburgenſis* excuſabit, qui in *Chronico* lib. VIII. p. 105. edit. *Reinecc.* dixit: *Populum Polonicum more bovis paſcendum eſſe, & tardi ritu aſini caſtigandum, nec ſine pœna gravi poſſe cum ſalute Principis tractari.* Quæ tamen omni ex parte accommodare nolim. Res erit nunc nobis cum *Henrico Spondano*, qui in Baronianorum Annalium Continuatione, idem quod *Bzovius* præſtitit, & ſua à Calvinianis defectione, ſuſceptisque pro Romana fide propaganda laboribus felicior longè illo extitit; Meruit enim Appamienſem Epiſcopatum, & forte niſi An. 1643. præventus morte fuiſſet, plura meruiſſet ac majora. Non minore autem ſtudio hiſtoriam adeo perſpicuam *Spondanus* in iſta Continuatione Tom. I. ad An. 1313. n. 6. p. 383. involvere conatur, atque *Bzovium* feciſſe oſtendimus; Ad quem quoque, quum nos plura ſcire cupientes ablegaverit, fecit, uti examine prolixiori ſuperſedere queamus. Non ire poteſt

 infi-

inficias, multos habere sententiam nostram Patronos, licet fatua & anilia hujus toxici compositioni eos immiscere scribat; forte, quia Papam *Clementem V.* sceleris illius si non auctorem vel socium, certè conscium fuisse illudque non improbâsse tradiderunt. Quam enim *Spondanus*, (licet in Gallia dignitatis ac Majestatis Regiæ asserendæ studiosissima natus sit atque educatus,) Paparum partes tueri semper adversus Reges ac Principes laboret, summoque opere nitatur, ipsi Galli non ignorant, testimonio Viri dignitatis apud Gallos primariæ, & erga Reges Christianissimos fidei compertissimæ, quod legere est apud *Isaacum Casaubonum* in fine prolegomένων suorum ad Exercitationes Anti Baronianas. Quam & ob rem Romanæ Curiæ Patroni in novissimis litibus circa *Declarationem Cleri Gallicani de Ecclesiastica Potestate* ortis consensum illius Gallicanis Theologis opposuerunt. Vid. *Mantissam Celebrium in Belgio & Gallia scriptorum, &c.* p.35. Satis convincimur de eo ex encomio, quo *Henricum* defunctum prosequitur, scribens: *Obiit in medio cursu maximarum expectationum, quas placuit Numini in auras redire, unde forte venerant. Egregius cætera Princeps, & qui, si intra fines officii sese continere voluisset, ingentia in utilitatem Ecclesiæ & Imperii, qua erat innata virtute, efficere potuisset.* Mirifica laudatio & arguta! Quemadmodum venena non solent propinari seorsim, sed optimis & suavissimis cibis admixta, sic nec *Spondanus* venenata sua commenta absque doloso *Henrici* Encomio communicare nobiscum *fascinantium more* tutum putavit. Subdolè in altum tollit Imperatorem, lapsu ut graviore eum dejiciat, *factus*, ut *Taciti* verba de Nerone lib.XIV. Annal. p.259. usurpem, *naturâ & consuetudine exercitus, velare odium fallacibus blanditiis.* Idem alibi *in vita Agricolæ* p.465. rectissimè ait: *Pessimum inimicorum genus laudantes.* Scire si volumus, quid *Spondanus* dum hæc scriberet, in mente habuerit, audiamus præter *Brovverum* (quem §.45. primæ nostræ sectionis audivimus) explicationem ex *Bzovio* Tom. XIV. Annal. ad An.1313. n.XVIII. p.217. *Exemplo Imperatoribus futuris clarissimo, Deum hactenus Principibus Christianis favere, quamdiu in Ecclesiæ Catholicæ veneratione perseverant: cum primum autem refragari, vel*

quod majus eſt, illam ejusque Antiſtitem Maximum opprimere aut contemnere voluerint, illos cita morte vindicare. Triticum trico non ita ſimile eſt, quam judicium, quod de Principe *Condæo* Reformatorum ſacra profeſſo & An. 1568. occiſo, *Maimburgius* eodem concludendi modo tulit, *Hiſtoire du Calvin.* lib. VI. p. 423. *Spectable pitoyable, qui apprend aux Grands du Monde, que Dieu pour confondre leur Orgueil, & l' abbaiſſer en un moment, jusqu'au centre de la derniere baſſeſſè, quand ils ont l' audace de s' elever contre l' autorité ſupreme de l'Egliſe & des puiſſances legitimes, ausquelles il veut, qu'ils ſoient ſoumis comme tous les autres ſujets.* Quot verò non exempla ſunt miſerrimè interfectorum, qui Romanæ ſedis ſtrenuiſſimi defenſores fuerunt? Contra, quam feliciſſimè nonnunquam bellârunt, qui Pontificem Romanum odio & angue pejus oderunt. Nimis hîc *Maimburgius* prodit ſe non eſſe, qui quidem vult videri eſſe. De exigua *Spondani* erga Principes unctosque Domini reverentia teſtantur etiam, quæ *Tomo II. Continuat.* ad An. 1564. n. VI. p. 662. b. contra *Carolum Molinæum* magni adhuc hodie nominis apud Gallos Virum, imperantium jura adverſus Pontificum ſubdolas machinationes propugnantem habet, quærendo: *Quis autem magis peccare cenſendus, an qui, quæ DEI ſunt, Cæſari tribuunt, an verò qui, quæ Cæſaris, DEO?* Tectè autem atque ambiguè, quæ hîc * *Spondanus* aliter in Gallia non auſus ſcripſit, apertè apud Germanos docuit, mentemq; *Spondani* revelavit Jeſuita *Vitus Erbermannus* in Irenic. c. XII. p. 183. Plura ut teſtimonia colligam, vetat laboris prolixitas. Videamus cognoſcamusque de illius argumentis. Princeps & maximum

ximum

* Miror hinc valdè Illuſtrem Pariſienſium Archi-Epiſcopum *Petrum de Marca*, cujus diverſiſſima à Paparum mancipiis mens nemini non cognita eſt, tam inſigni elogio *Spondani* labores ornaſſe, in ipſo illo, qui contrariam planè doctrinam continet, indeque gnathonibus Pontificiis inviſiſſimo libro, *de Concordia Sacerdotii & Imperii* Tom. I. lib. 2. c. 3. n. 8. p. 7c. b. *Vir Clariſſimus Henricus Spondanus Epiſcopus Appamiarum in elaborato illo opere, quo Illuſtriſſimi Cardinalis Baronii deſinentis Annales excipiens tribus voluminibus quatuor ſeculorum Eccleſiaſticam Hiſtoriam ad noſtram ætatem, integra fide & ſolicita diligentia ſuis auſpiciis deſcribet, quemadmodum ſuperiorum temporum epitome Baronium expreſſerat.* Similia habet eodem Tomo lib. IV. c. 16. n. 1. p. 286 a. Forſan verò Doctiſſimus vir affectui quid in hoc dedit, ſicut *Petrus Frizonius* Pariſienſis Theologus in vitæ *Henrici Spondani* delineatione (quæ hujus Continuationi Annalium *Baronii* præfixa eſt) c. 3. *doctiſſimum Markam Spondani amiciſſimum & contribulem fuiſſe* nobis ſignificavit.

ximum est inficiale, petitum à silentio *Johannis Villanii*, *Continuatoris Annalium Ptolomæi Lucensis*, *Albertini Mussati*, & *Conradi Vecerii*; ast nullius illud in hoc historiæ articulo roboris esse supra ostendimus, cum quale illud sit, & quousque extendi possit & debeat, exponeremus. Non malè *D. Dannhauerus* Lacte Catechetico part. VIII. p. 831. *ve hili quidem faciendum id esse* monuit, (wiewol/ hæc ejus verba nativo idiomate, solches Spondanus in Zweiffel gezogen ex testimonio negativo, welche argumentation keiner Taubennüssen wehrt) quo tamen *Dannhauerum* vim non omnem argumento negativo derogare voluisse docent, quæ in *Præ Adamit. Utis* p. 49. contra *Peyrerium*, & in *Vale Triumph.* p. 236. seqq. contra *Cornæum* disputavit. Et cur tanti hic Spondanus *Villanii* silentium facit, de quo ipse aliquot antè foliis ad an. 1308. n. III. p. 366. (quum in re certissima non sileret modo, sed & contrarium testaretur,) scripsit: *Nihil propterea detraxerim candori Villanii, qui rem narravit, ut auditu ab aliquo malevolo, & tam Regi, quam Pontifici injurio percepit.* & ad annum 1348. quo *Villanius* peste sublatus est, n. VI. p. 496. b. laudat quidem illum, addit tamen, *quamvis haud forte in omnibus inculpabilis.* Rectè igitur nobiscum silentium *Villanii* sprevit *Sandius* not. ad Voss. de Histor. Latin. p. 194. *Continuator Ptolomæi Lucensis*, quisquis etiam sit, studium partium atque affectuum impotentiam nimis prodidit, si, ut *Spondanus* de eo memorat, auctori suo continuando adeo manifestè contradixit, & *malevolis*, qui contrarium afferant, accensuit. *Ptolomæum* enim *Lucensem* nostrum in hac re esse mox sub principium hujus commentationis evicimus. Quin ferè adducor, ut credam, tam prope non adfuisse istum *Continuatorem*, quemadmodum *Spondano* videtur, ut potius *malevoli* cujusdam *impostoris* aliquo pòst tempore viventis manum existimem: Dicit enim, *accepisse se id à fide dignis, qui fuerint præsentes*, à Dominicanis forte, (si vera quidem dicit,) aut aliis Clero addictis, quorum plerosque honorem membri sui salvum maluisse quam veritatem illæsam, non una vice monuimus. Tum & *Spondani* responsionem ad nostra testimonia: *Nemo ex antiquioribus id absolutè asseruit, sed tantùm ex incerta vulgi opinione* repeti-

nius

mus, quando *Continuatorem* istum idem, quod de nostris falsò asseritur, dicere facereque videmus. Vellem etiam clarius nonnihil *Spondanus* ætatem istius auctoris, & an *Ptolomæi Lucensis* Historiam Ecclesiasticam, an vero ejus Annales continuaverit, expressisset. Si horum, Annalium nempe, telam protraxit, meritò Gallis succensemus, quòd Anno 1619. cum Lugduni *Annales Ptolomæi* ederent, Continuationis istius eadem optima occasione participes nos non fecerint. Nec immerito quæritur, an verosimile sit, quendam & Civem quidem *Ptolomæi*, hunc vivum adhuc (nam superstes adhuc imperante Ludovico Bavaro fuit, ut ex *Vossio*, *Bzovioque* supra docuimus, quibus suffragium *Caroli du Fresne* addendum ex Indice ejus Auctorum *Glossario* suo præfixo, p. 139.) non solùm continuaturum, sed & corrigere ac mendacii insimulare ausurum fuisse? Quod si *Bzovius* in iis, quæ ex *Ptolomæi* manu exarato Codice exscripsit, quæque §. 2. sect. I. ex illo exhibuimus, non fallit, dicerem ego, *Ptolomæum* adjecisse *Historiæ* suæ illam additionem, ut maledico *Continuatori* civique ingrato os obstrueret, mentitumque eum fuisse commonefaceret. Quomodocunque tandem res sese habeat, auctor ejusmodi obscurus, atque inter Bibliothecarum cancellos conclusus, præterea ab Historico partium studio, si usquam, hîc abrepto mutilis verbis adductus, nunquam faciet, ut sententiæ nostræ dicamus Vale. Facimus nostram *Jacobi Gretseri* responsionem in prolegomenis *Commentarii Pauli* Bernriedensis de *vita Gregorii VII. Aventino*, cum *Gerochum* allegaret, datam pag. 3. *Gerochum non vidi, utinam aliquando videam, sed ex iis, quæ de Gerocho narrat ipse Aventinus, & ex Aventini ingenio, exque illis itidem, quæ Paulo Bernriedensi affingit, æstimare licet, qua fide hæc de Gerocho prodiderit. Credam talia à Gerocho effusa, cum meis oculis ea in Gerocho legero.* Sic credam ego *Ptolomæi Lucensis Continuatorem* talia dixisse, cum meis in illo oculis legero. Molestè nec poterit ferre *Spondanus*, quòd difficiles nonnihil simus in credendo, quum eadem ipse methodo usus sit, sic scribens de *Jacobo Meyero*, diligentissimo Annalium Flandriæ scriptore, *Tom. I. Continuat. Annal.* Baron. ad an. 1396. n. V. p. 663. a. *Sed sinamus fatuum suas fatuari fatuitates, seu illas ipse verè*

sic scripserit, seu is, qui post ejus obitum Historiam ipsius promulgavit, ejusmodi ineptiis eam consperserit aut verius conspurcaverit. Probè novit * *Spondanus* & domestico forte exemplo edoctus est, affingi nonnunquam scriptoribus, quorum conscii ipsi non sunt. Benè nobiscum *Spondanus* egisset, si quid *auctor Pistoriensis*, *Amalricus Augerii*, itemque auctor anonymus *Memorialis Historiarum*, nec non *Bernhardus Guidon*, quorum aliâs Manuscriptos codices in *Henrici* historia non rarò allegat, hac de re scripserint, certiores nos reddidisset, quod cur non fecerit, causa fortean alia non dabitur, nisi quòd illos sibi contrariari deprehendit, non omissurus alioquin illos allegare, si consensissent. Auctorem sanè *Memorialis Historiarum* nobiscum facere ex *Historia Antiquitatum Britannicæ Ecclesiæ* p. 210. didicimus. Reliqua, quæ de *Albertino Mussato*, *Conrado Vecerio* & *literis Dominicanorum apologeticus* in contrarium addidit, diluta jam esse sæpius Lector audivit: Unum monemus adhuc circa *Conradum Vecerium*, quem hîc Spondanus *Imperatoris Henrici vitam ex antiquis monumentis collectam memoriæ mandâsse* scribit, & alibi (ad annum nempe 1308. n. 3. p. 366.) dicit: cum *ex solo ferme Villanio vitam suam Henrici compilâsse*: An *solus Villanius* & *antiqua monumenta* ita conveniunt, ut dici sumique alterum pro altero possit?

§. XXV.

De tertio *Baronii* Continuatore *Odorico Raynaldo* locus nunc hîc esset agendi, quem inter reliquos adversarium nos etiam habere ex *Ludovici Moreri* Grand Dictionnaire Historique Tom. II. p. 157. b. accepimus; sed copia mihi ejus in tota hac urbe fieri non potuit, quum non nisi tertius & quartus post decimum *Raynaldinæ Continuationis* Tomi A. 1646. & 1648. Romæ impressi hîc compa-

rea[nt]

* Videtur etiam *ordinis sacramento* parcere voluisse *Spondanus*. Fuit enim *Meyerus* homo presbyter, & Parochus Blanckenbergæ municipii inter Ostendam & Slusas, ejusque Historia à patruele ipsius *Antonio* post mortem Patrui publicata fuit, ut idem docuit, *Tom. I Contin. Annal. ad an.* 1419. n. IIX. p. 782. a. Ubi memoria reddit, quod in Gallorum *Journal des Scavans* A. 1665. D. XII. Januar. de prohibitione operis *Petri de Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii legisse memini, quando *Index S. Congregationis* illud tanquam *Petro de Marca* perperam adscriptum damnavit, auctores autem istarum Ephemeridum responderunt: *Il est visible, que la congregation n'a usé de cette addresse, que parce qu'elle n'a pas osé d'attaquer directement la memoire de ce grand Arch Evesque; & qu'elle s'est imaginée, qu'il seroit plus facile de descrier son livre en substituant à sa place une personne d'une dignité moins relevée dans l'Eglise.*

reant, & hi quidem in præcipuo urbis nostræ κειμηλίῳ Bibliotheca *Jungiana*, non sine prudente consilio à *Samuele Rachelio* Introduct. in Jus publ. c. 18. p. 209. commendata. Vereor autem, ut novi quid *Raynaldus* apportet, quod ex datis hactenus responsis refutari nequeat. Si quid verò, quod nondum attigimus, attulerit, memor ejus sit, rogo, benevolus lector, quod *Maimburgius* alio in historiæ capite dixit, *Histoire des Iconoclastes* Tom. II. lib. IV. p. m. 37. *Enfin, il n'y ût jamais rien dans cet embaras de moins éclairci, parce qu'au lieu de chercher en Historien, la verité du fait, on a toujours presupposé, que ce, qu'on ne vouloit pas, qui fut, n'etoit pas en effet, aprés quoi on s'est mis en peine de trouver des raisons & des biais, pour rendre probable son sentiment.* Pressit me eadem difficultas in adipiscendo *Scriverii* libro, quem *Arnoldus Buchelius* in notis ad Guilielmi Hedæ Historiam Episcop. Ultraj. p. 238. lit. dd. citavit: *Hac* (de *Henrici* intoxicatione) *Scriverius in notatis ad vulg. Chron. plenissimè.* Forte, si duos istos *Raynaldi* & *Scriverii* libros nactus fuissem, non venenum modo, sed & antidotum mihi obtigissent. Præponere porro inter hostes nostros *Spondano* & *Raynaldo* debuissemus *Christophorum Brovverum* Jesuitam, qui & prior illis scripsit, & solicitè magis controversiam pertractâsse videri vult. Sed similis opera, qua Triumviri isti *Bzovius*, *Spondanus* & *Raynaldus* defuncti sunt, fecit, ut eos combinaremus. De *Brovveri* in nos hostili animo *Annales* atque *Antiquitates* ejus *Trevirenses* abundè loquuntur Tom. II. lib. XVII. p. 194. seqq. in quibus *primò* quid ipse de morte *Henrici* sentiret, exposuit, sententiæ pòst nostræ contradicere aggressus. In neutro autem præstitit, quod ab ejusmodi opere, cui *triginta annorum studium auctor impendit* (ut *Brovverum* impendisse collega ejus *Masenius* dicit, in Continuat. Annal. Trevir. lib. XXIII. n. 104. p. 461. a.) expectâssemus. Non in illo: Nam nec auctores pro se citat, nèque morbum exprimit, qui Imperatorem occiderit, narrat tantum eum, cum ancipite valetudine esset, Maceratanarum aquarum remedio usum fuisse, morboque (quem de industria nominare abstinet) invalescente succubuisse. Adjicit deinde, pro quo grates ei debemus, *Henricum* die festo Assumptio-
nis

nis gloriosæ Virginis divina mysteria libâsse, viribusque frangi statim ac debilitari cœpisse, idque suspicionem plerisque movisse, non quod vulgo creditum, veneno appetitum ab eo, qui sacram hostiam, sed qui calicem ablutionis porrigeret. Hoc omne, quicquid est, si concedam, non impediet, quo minus suspicio illa veritatem comitem habere potuerit, ubi cumprimis auctorum coætaneorum testimonia pondus addunt, quæ dum in sequentibus larga manu *Brovverus* nobis concedit, ipse non leviter in fortalitio suo tuendo delinquit; quomodo etiam in causæ suæ bonitatem, si qua est, peccat, quòd Imperatorem non neget post Synaxeos usum infirmiorem multò factum, debilitatumque magis fuisse. Nemo sic hostium nostrorum imprudens fuit, ut hæc affirmaret, venenumque *Henrico* præbitum fuisse inficiaretur. Vel enim negârunt illud, vel hoc, hostilitatem deponentes, iverunt assertum. Porro commisit *Brovverus* immanem parachronysmum, dum *Martinum Polonum* Ord. Prædicator. de re quæ An. 1313. contigit, à partibus nostris stare existimavit, qui tamen An. 1278. jam obierat, ut *Lambecius* docuit in Biblioth. Vindob. part. II. p. 864. vel anno sequente 1279. ut * *Vghellus* statuit *Ital. sacr.* Tom. I. p. 123. vel denique anno 1281. ut *Bzovio* placuit Tom. XIII. *Continuat.* Annal. Baron. ad An. 1281. n. 16. p. 749. (cujus tamen contrarium ad Annum 1278. n. 32. p. 715. sibi planè non constans docuerat.) Nempe inciderat *Brovverus* in codices, ubi appendix *Martino Polono* usque ad Annum CIↃCCCXX. ab alio addita legebatur, quæ res imposuit etiam *Volaterrano*, *Coccio*, *Suffrido Petri* atque aliis. Vid. *Vossium* de Histor. Latin. lib. II. c. 60. p. 485. & *Spondanum* Tom. I. Continuat. Annal. Baron. ad An. 1278. n. XVIII. p. 268. sed utinam *Brovverus* sic semper errâsset, quod *Bellarminus* in Tomis Controversiarum de *Calvino* alicubi dixit! Testem ipse sic enim nobis ex illo seculo, quo factum

* Qui verò cœco sui ordinis amore Chronicon illi planè abjudicat, & *Martino* cuidam Cisterciensis familiæ filio vendicat, ceu facit quoque *Carolus de Visch.* in Biblioth. Cisterc. p. 238. (cujus tamen candorem atque æquitatem *Vghellio* hac in re nescio cur opponi videas a *Christophoro Sandio* in Not. & animadvers. ad Vossii libr. de Histor. Latin. p. 175.) Cistercienses quoque *Martinum Polonum* fuisse *Onuphrius Panvinius* in additionibus suis ad *Platinam* asserit, quod in illo notat præfatio ad Lectorem editioni *Martinianæ Chronici* Coloniæ A. 1616. procuratæ præfixa.

factum contigit, suppeditat, de quo nos nunquam cogitassemus, quam soliciti etiam fuerimus in cumulando testium numero. Utinam verò *Brovverus* errorem non addidisset errori! Licet & hoc humanæ fragilitatis memores libentissime illi condonaremus, modo in errando bona semper fide nobiscum egisset, neque pro veris falsa, atque adulterina pro genuinis vendidisset, ut numero XXXVIII. fecit, quo *sinistra fama Balduinum Henrici fratrem de totius morbi genere atque discessu Imperatoris diploma objecisse* commemorat, inque margine *Nauclerum* Gener. XLIV. *Albertum Argentinensem & MS. acta Balduini* testes ejus, quod scripserat, adducit. Atqui *Albertus Argentinensis* necnon * *MSS. acta Balduini* & tacent ista de re, & contrarium, ut supra audivimus, apertissimè testantur. *Nauclerus* meminit quidem *literarum testantium Fratrem Bernhardinum innocentem fuisse*, Chronic. ad An. 1313. p. 372. sed de illarum auctore *Balduino* non minus atque reliqui silet ac mutus est. Insigne testimonium, qua fide Pontificii scriptores, & inprimis Jesuitæ, citare Veteres Historicos soleant, neque inanis suspicio, quid alibi vel ausi fuerint hactenus, vel in posterum adhuc sint ausuri. Non hoc unum falsi crimen commisit *Brovverus*, aliud priori simile in citatione ejus invenimus, quando Monachum homicidam Arretii coram judicibus causam egisse ex *Werneri Rolevinckii* fasciculo dicit constare, quod quam verum sit §. 13. hujus secundæ sectionis ostendimus. Non dissimile judicium *de reliquis illustribus documentis ferendum est, quæ Luzelburgi hodieque servari, nec levium auctorum fide ac testimonio niti* ait. Cur ipse non produxit illa, cum de controversia ista in suis Annalibus ageret? Certè perquam *leves* auctores sunt, quorum patrocinio fulciri suam caducam domum jactat,

 neque

* Prætermittendum non est, quod nobilissimus *Baluzius* auctoris vitæ *Balduini* editor Tom. I. *Miscellan*, p 162. dicat: *auctoris varia fragmenta apud Christophorum Brovverum lib. XVII. Annalium Trevirensium referri.* Hic verò persuadere nobis *Brovverus* vult, aliud planè atque contrarium in MSS. extitisse, quam nunc in *Baluzii* editione reperimus. Alteruter igitur malæ fidei postulabitur: Ubi vero *Baluzii* spectata integritas summaque prudentia (quam ut eruditi omnes, sic & eorum Phœnix *Hermannus Conringius* Censur. Diplom. Ludov. cap. XI. p. 188. & in Appendic. p. 396. jure ac meritò venerantur) haud difficulter eum absolvent, maximè cum sententiam sibi ipsi displicentem auctori isti adeo imprudenter *Baluzium* infarsisse ne somniantes dicent. Nemesis igitur in *Brovvero* inveniet, de quo pœnam sumat.

neque enim, quod non existit, grave est, aut pondus habet. Repete responsa nostra *Vecerio* data, cui ingratus *Brovverus* plurima suorum debet. Manuscriptis certè fidem adhibere nemo prius obligatur, quam in publicum edita fuerint, quo examinari ea veritasque inde cognosci possit; hocque eò tum temporis magis, quando uti quis iisdem vult contra alios Historicos, gestæ rei æquales ac suppares, quique jam multum fidei in hominum animis acquisiverunt. Quod idem invenio *Ephemeridum Gallicanarum auctores* de MSS. actis & documentis à *Pallavicino* adversus *P. Suavem Polanum* productis judicâsse. Vid. *Journal des sçavans* An. 1665. p. 228. & 229. Tantum in his fidei penes nos reperit *Brovverus*, quantum fabulæ ejus *de tunica Christi inconsutili hodie Treviris extante*, (quam Tom. I. Annal. lib. IV. n. VII. p. 216. seqq. ejusque sodalis *Masenius* in notis p. * 583. confirmare studuit,) tribuimus. Duo adhuc tela *non aspernanda*, ut putat, in fine prolixi sui discursus (post vanam *literarum Apologeticarum* commemorationem) in nos jaculat *Brovverus*, sine ulla tamen propugnaculi nostri læsione. Dicit *reperiri in actis Balduini Manuscriptis narrationem Thomæ de Septemfontibus, cujus in sinu spiritum Henricus ediderit, sanguinis profluvio sive dysenteriæ morbo Cæsarem consumptum.* Quod autem ille in *actis Balduini Manuscriptis* reperiri prætendit, id *Wilthemius* de vita Yolandæ p. 165. in libro, quem *Cono Falkestenius* Trevirorum Archi-Episcopus conscripserit, & cui titulum fecerit: *Chronicon Trevirorum* dicit inveniri, qui *Cuno* An. 1362. post *Boemundum*, (qui *Balduino* successerat,) Archi-Episcopus factus est, ut ipse *Brovverus* docuit *Annal.* lib. XVIII. p. 235. Cui igitur inter Cadmæos fratres fidem

* *Masenius* l. c. effigiem togæ illius exhibet, quæ corrigenda est ex *Braunii* fabrica in erudito *de vestitu Hebræorum* tractatu lib. I c. 16. p. 300. pluribus ostensa. Justum totius fabulæ examen instituit *D. Joh. Georgius Dorscheus*, cujus extat: *Tunica Christi inconsutilis apud Treviros asservata* Rostochii 1658. Si nihil esset, quod illius absurditatem proderet, sufficeret, quod tot tamen dissitis in locis eam ostendi solere constat. Non id diffitetur *Alphonsus Salmeron* Tom. X. Commentar. in N. T. tract. 38. p. 316. b. *Tunicam Christi inconsutilem dicunt quidam Treviris asservari, alii vero in oppido Argentolio non longe a Lutetia Parisiorum dissito, ubi magna veneratione peregrinis spectanda proponitur, nec sine magnis interdum signis.* Quod quidem confirmare vult *Gretserus*, sed sine Doctorum approbatione Vid. *Dorscheum* l. c. cap. 2, §. 128. & conferetiam *Dallæum* de cultus Religios. obj. lib. IV. c. 17. p. 677.

dem adhibere debeam, incertus sum. *Cunonis* Chronicon nomine *Manuscriptorum actorum Balduini* probabile non est à *Brouvero* fuisse indigitatum, quandoquidem in *Proparasceue* ad Annales suos c. 3. p. 5. utrumque distinguat. Parum verò refert, quem relatio ista habeat auctorem, nobis illa non obest. Venenum enim accipere quem posse, quod dysenteriam causetur, apud Medicos, ut supra ad *Trithemium* observavimus, non disceptatur, nedum ut negetur. Et vera igitur dixit *Thomas* iste *de septem fontibus*, neque mentiti fuêre alii, qui propinatum Imperatori venenum fuisse asseruêre. Adde, si lites cupis, quòd apud *Wilthemium* loc. cit. *Cono* post verba: *Dominus Thomas de septem fontibus, cui multum familiaris fuit, in cujus sinu obdormivit, dixit eum dysenteria decessisse*, addat: *quod verum esse creditur*, quò non parum incertitudo narrationis adstruitur, pondusque egregium, quod aliorum confutationi inde addi *Wilthemius* putat, multum minuitur. Quando tandem *Brouverus* refert, *Balduinum egregio codice membranaceo Ecclesiæ suæ prisca jura fratrisque ac suas in Italia gestas res vario picturarum argumento describi jussisse, nullumque fraterni tam luctuosi exitus vestigium expressisse*, obloquitur *Cuspiniano*, ex quo factum id omnino à *Balduino* fuisse sect. I. §. 40. ostendimus. Vel igitur post *Cuspiniani* tempora erasam ex libro picturam, vel *Brouverum* aliorum fide deceptum, aut lubentem mentitum fuisse conficitur. Et, si *Balduinus* facta fratris sui pingi curavit, obitum ejus, ut non dubitandum, icone aliqua posteritati conspiciendum reliquit, quam si nobis non faventem *Brouverus* produxisset, esset, quod nonnihil nos premeret gravaretque. Qui imaginibus delectatur, adeat *Iohannis Wolffii* Lection. Memorab. Centen. XIV. p. 600. & inveniet, quod Treviris non inveniri *Brouverus* modo asseruit. Forte *Wolffii* figura eadem est, quam *Balduinus* pingendam curavit, siquidem *Wolffius* in Epistol. Dedicat. se *simulachra, monumenta, & picturas libri sui hinc inde ex antiquis codicibus & bibliothecis monasteriorum, Palatiorum & templorum structuris repetiisse* testatur. Eandem imaginem habet *Stumpffius* in Chronic. Helvet. lib. II. c. 31. p. 74. ubi simul observat, annum cædis inveniri in verbis: *HeInrICVs à MonaCho CaDItVr*,

 quod

quod bene se quidem haberet, nisi litera *D.* in voce *ca[illegible]* quingentos annos superadderet, substituendum igitur vel aliud quidpiam, vel si placet, istud: HeInrICVs *à MonaChIs neCatVr*.

§. XXVI.

Tabernæ præcipuæ hostium nostrorum corruerunt, reliquæque rimas agunt: Itaque non solùm inquilini sed mures etiam migrabunt, verba hæc *Ciceronis*, quæ ad *Atticum* suum scripsit, lib. XIV. epistol. IX. mea facio, quando in examine hostium nostrorum ad finem propero. Quæ enim restant, levia admodum sunt, & vix ac ne vix quidem summorum Virorum aspectu digna. Cùm igitur *Brovvero* in præcedente paragrapho cumulatissime satisfecerimus, simul *Iacobi Masenii* frivolam contradictionem expirare coegimus, quam in ejus *Epitome Annalium Trevirensium* lib. XVII. p. 507. his verbis legimus: *Quem* (Henricum) *nonnulli ex venenato Eucharistiæ cibo aut poculo, Dominicanis malè in crimen pertractis haustum esse, magis criminati sunt, quam probârunt, Balduino ex fratris literis eorum innocentiam testante.* Ipsa rerum fundamenta contemplaturos *Masenius* adire jubet in nominatæ epitomes præfatione *Trevirenses Annales*, à *Brovvero* cœptos & abs se continuatos; ipse igitur adeat observata nostra circa illos paulo ante communicata. Addimus tantùm hoc, quòd *Masenius* obscurius locutus fuerit in Epitome, quam *Brovverus* in Annalibus, contra quam se facturum esse in *præfatione ad istam Epitomen* pollicitus fuerat. Quid enim verba: *Balduino ex fratris literis eorum innocentiam testante* sibi velint, fateor hariolari me non posse. Si in animo habuit, quod Latina verborum compositio præ se fert, *Balduinum* de scelestorum Monachorum crimine * fratris sui defuncti *Henrici* literas produxisse, illisque cædis eos absolvisse, dixit, quod apud neminem scriptorum,

* Frater alius intelligi nequit. Non enim *Balduinus* nisi duos Fratres habuit, *Henricum* & *VValramum*. vid. *Masenii* Epitom. lib. XVII. p. 502. *VValramus* vero A. 1312. in obsidione Brixiensi obierat, p. 502. solus igitur *Balduini* frater *Henricus* de Dominicanorum innocentia testari poterat. Quod autem *Balduinus* duos tantum fratres habuerit, ut ipse *Masenius* l. c. credidit, ita alii solidè probârunt. Vid. *Anonymus gestor. Balduini* lib. I. c. VI. Tom. I. miscell. *Baluz.* p. 103. *Bertelius* Histor. Luxemburg. p. 43. & imprimis *Felix Osius* [illegible] Mussati Histor. p. 32. 42. & 54.

rum, ne nostræ quidem ætatis, reperitur. Quemadmodum autem Jurisconsultum nullam legem edentem, Theologum nullam scripturam allegantem, Philosophum nullam rationem adducentem audire detrectamus, sic nec audimus, quæ Historicus iste sine auctoritate Veterum garrit. Sin *Masenius* Apollinem suum (*Brovverum* significo) secutus, ipsius *Balduini* fratris *Henrici* literas Dominicanis datas intellexit, aliam, quam cæteri acceperunt, responsionem à nobis non accipit. Intererat autem veritatis, non uti adeo obscura callidaque locutione, ne ipsum quoque interfectum Imperatorem lector existimet Monachum sceleris purum pronunciâsse. Sed quid non perversa hominum astutia fingit sæpe & comminiscitur, ut incauto lectori fucus fiat? Concidunt deinde etiam pondere responsionis nostræ *Brovvero* datæ ea, quæ Masenii amicus *Alexander Wilthemius* Luciliburgensis è Sodalitio, quod sibi *Iesu* nomen arrogat, presbyter, *de vita Venerabilis Tolandæ Priorissæ ad Mariæ Vallem in Ducatu Luciliburgensi, cum Appendice de Margarita Henrici VII. Imperatoris sorore* (hic libri titulus est) p. 165. ex MSS. Chronico *Cononis* in contrarium objici posse falsò existimavit. Ut supersedere omninò gloratione potuisset Jesuita, qua se *ut in aliis ordinem D. Dominici non modicè illustrâsse, ita hac quoque in parte honori ejus atque gloriæ velificâsse* scripsit. Rident eruditi, tanguntque palam *Domitiani* dementem vanitatem, quod cum malè pugnâsset ipse aut Legati, tunc denique Romæ triumphum instrueret quasi victor, falsosque captivos ad triumphi instrumentum emeret. De *Cattis* id confirmat *Tacitus* libr. de Moribus German. p. m. 448. *proximis temporibus* (Domitiani scilicet) *triumphati magis quam victi sunt*: & in vita Agricolæ p. 465. *derisui*, ait, *fuisse nuper falsum* (Domitiani) *è Germania triumphum emtus per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur.* Similia habet *Orosius* ac *Dio* atque ex illis *Lipsius* in notis ad ista *Taciti* loca, ut & in *Comment. ad Plinii Panegyr.* p. 28. 29. Ridemus haud dissimiliter *Wilthemii* sociorumque hac in re absurdam jactantiam, dum re nondum confecta omne se mare exhausisse putant, & triumphum canunt ante, vel post deperditam victoriam. *Nimirum*, censura est *Petri Aurelii* de Jesuitis, in Opp. Theolog.

log. Tom. I. p. 146. *Iesuitæ superbiæ tumore inflantur, nec se ipsos noscunt, nec humanæ sortis meminerunt, nec propriæ imbecillitatis conscii sunt, nec divina judicia horrent, arrogantibus præcipuè metuenda; sibi omnia sumunt, & humanis præsidiis, imò sæpius nocumentis præfident, & minimè Christiana securitate superbiunt.* Audi *Wilthemi*, quid Plato in Lyside dixerit: πρὶν νενικηκέναι, ποιεῖς τε καὶ ᾄδεις εἰς ἑαυτὸν ἐγκώμιον. *Priusquam viceris, & facis, & canis de te ipso encomium.* Audi quid alii dicant apud *Erasmum* in Adagiis Variorum p. 240. a.

§. XXVII.

Decertandum quoque nobis est cum *Ludovico Maimburgio* Jesuita quondam, nunc celebri apud Parisienses Abbate. Is in *Historia* sua *Decrescentis Imperii post Carolum M.* sive ut Gallicè inscripsit; *Histoire de la Decadence de l'Empire aprés Charlemagne* lib. V. p. m. 508. 509. *Spondanum* fere sequitur, & ex *Villanii*, *Continuatoris Ptolomæi Lucensis*, *Albertini Mussati Patavini*, nec non *Onuphrii Panvinii* contraria relatione credere nos jubet, quod historia, quam verè contigisse asserimus, non nisi calumnia sit, in odium Florentinorum ab horum inimicis excogitata. Sed neque illis credimus, neque imperanti *Maimburgio*. Prioris causam præcedentia manifestant, posterioris paucis indicanda. Duobus potissimum modis *Maimburgius* veritatem lædit, & quod omnes coævos auctores nobis adversari scribat, & quod quatuor in margine adscriptos idem, quod ipse, sentire nobis persuadere velit. Ita enim verba ejus habent: *Mais comme les Auteurs de ce temps la asseurent tous, qu'il mourut à Bonconvento, d' une fievre ardente causée par une apostume, qui luy vint à la cuisse. Verùm cum auctores illius temporis omnes affirment, quòd Bonconventi ex ardente febri à quodam apostemate in coxam derivata decesserit*; & in ora libri citat supra nominatos quatuor auctores, *Villanium*, *Continuatorem Ptolomæi Lucensis*, *Albertinum Mussatum*, & *Onuphrium Panvinium*. Sed nondum absolvitur illis scribentium illa ætate numerus; ut taceam *Onuphrium* duobus integris seculis *Henrico* posteriorem fuisse. Non oblivisci debuisset

Maim-

Maimburgius scriptorum *Ephemeridum Henricianarum*, *Ptolomæi Lucensis*, *Iohannis Bekæ*, *Ioannis Honsemii*, *Henrici Rebdorfiensis*, Frattrum *VVellingorum*, *Iohannis Vitudurani*, *Benevenuti de Rambaldis*, *Alberti Argentinensis*, *auctoris vitæ* Balduini, *Iacobi Regiovillani*, aliorumque plurium à sequentis post decimum quartum seculi scriptoribus ἀνωνύμως citatorum, qui omnes seculo XIV. floruerunt, ac memoratorum auctorum ætatem attigerunt. Quid si quis horum auctoritate fretus omnes illius ætatis auctores affirmare scribat, quod *Henricus* veneno necatus fuerit in sumtione S. Eucharistiæ, an laturus id æquo animo esset *Maimburgius*? Nolim ego aculeato ejus stylo fidere, etsi id fecerint * *Schardius*, qui apud *Wolffium* in Lect. Memorab. Tom. I. Centen. XIV. p. 600. *Omnibus illius ætatis fastis, annalibus, actis, rhythmis, carminibus & epigrammatibus, publicè facinus divulgatum fuisse* dicit, quemadmodum & loquuntur *Lehmannus* Chronic. Spirens. lib. VII. c. X. p. 732. b. *Philippus Mornæus* de S. Euchar. lib. IV. c. 9. p. m. 1655. *Caspar Sagittarius* in Nucleo Historiæ Germanicæ p. 134. Non verò *Maimburgius universaliter* solùm fallit, ut cum Philosophis loquar, sed & *particulariter*. Non modo non omnes illius ætatis auctores id asserunt, quod *Maimburgius* confidenter scribit, sed nec illi omnes cum ipso faciunt, quos citavit. Non *Villanius*, qui morbi genus planè tacet, neq; *Albertinus Mussatus*, qui alias longè, quam *Maimburgius*, mortis causas recenset, ut supra vidimus. Solus *Ptolomæi Lucensis Continuator* apostematis in coxa descendentisque inde febris mentionem injecit, quod & ipsum cognitum *Maimburgio* non fuisset, nisi *Spondani*, quem tamen non citat, ope adjutus fuisset. *Vnus* igitur stat pro *multis*, & vicissim *omnes* respondent *uni individuo*, axiomate sapientibus omnibus, si *Maimburgium* exceperis, exoso atque ignoto. *Maimburgius* in hac Dialectica *Bellarminum* sequitur, qui lib. IV. de Rom. Pontif. c. II. Tom. I. Controv. part. I. p. 956. de sententia quadam pronunciat, *communissimam fere esse*

* Providè magis *Paulus Langius* Chronic. Tom. I. Scriptor. *Pistor.* p. 826. *in cunctis pene Chronicis facinus illud legi* scripsit, sicut & *Joh. Isaacius Pontanus* Histor. rer. Danic. lib. VII. p. 410. ad omnes συγχρόνους auctores, *excepto Albertino Mussato*, circumspectè provocavit.

esse omnium Catholicorum, multosque auctores allegat, quos verò cum *Launojus* Epistol. Tom. III. Epist. ult. evolvit, vix unum, qui cum *Bellarmino* faciat, invenit, eamque ob causam *Launojus* exclamat: *Quis verò hunc authorem patienter audiret vel legeret, cum de sententia, quam ipse statuit, enunciat: Hæc est communissima opinio omnium fere Catholicorum? Scilicet communissima, quæ vix ab uno vel altero docetur, ad unum hominem vel alterum reducuntur. Quis Bellarmini consilium in his omnibus capiet unquam, quis expiscabitur?* Bene si quicquam dixit *Baronius* Tom. VIII. Annal. ad An. 604. n. 41. p. 242. *Accidere solet interdum, ut aliquid vulgò allatum, si quis per certos velit examinare testes, an verum sit, neminem id serio testantem inveniat, fiatque, ut quod ab omnibus dici jactatur, asseratur à nemine, rumorque ille evanescat in auras.* Sed nec primus ego nec solus sum, cui *Maimburgius* ob falsas citationes vapulat. Ante me idem observatum Doctori Sorbonico, qui * *Entretiens sur l' histoire de l' Arianisme & des Iconoclastes du P. Maimbourg* ante aliquot annos publicavit, & cujus p. 37. hæc sunt verba, quæ idiomate, quo scripta sunt, promo? *Il n'y a pas d' homme, qui ait plus de facilité à charger la marge d' un livre, que ce Pere: il s' imagine que toutes choses luy sont propres; mais en voulant verifier ses citations on ne trouve rien dont il se puisse servir.* Egregia ratio est, quam collocutor respondens illi reddit, & quæ meretur, ut simul hîc legatur: *Un peu de hardiesse sied bien à un vieillard; car ces citations à la marge d'un tel auteur surprennent toujours ceux, qui ne les confrontent pas: & de ceux, qui les verifient, il y en a encore, qui ne trouvant pas ce qu'ils cherchent, s' etonnent de l' Esprit du P. Maimbourg, qui trouve ce qui n'est pas, & sçait luy donner une place.* Fidem in *Maimburgii* allegationibus desiderat etiam *Natalis Alexander* Select. Histor. Eccl. capit. secul. IX. & X. volum. poster. Dissertat. XVIII. quæ ultima est, vid. *Act. Eruditor. Lipsiens.* 1682. p. 214. Bene in cæteris habet, quod de literis, Dominicanorum innocentiæ (si nobis placuerit) patrocinantibus, taceat *Maimburgius*, queis majus robur, quam suæ objectioni inesse

* Duriora istius libelli fata, & quomodo Parisiis manu carnificis publicè combustus fuerit, recenset *Critique Generale de l' histoire du Calvinisme*, p. 93. & 94.

esse aut non credidit aut ignoravit. Causam autem si sciscitaris Lector, cur *Maimburgius* veritati hîc non faverit, cum passim in historicis suis libellis de studio & Zelo pro veritate, (qua Historia uti rectitudine regula definitur) toties concionetur, & sigillatim in ipsa illa *Historia Decrescentis Imperii* lib.III. p.217. * *Pour moy, qui aime passionnement la verité, & qui n'ay pas lieu de rien esperer, ni aussi rien craindre de ceux, dont je parle environ six cens ans aprés leur mort, laissant là les injures dont tout honneste homme doit s'abstenir, je diray fort sincerement & fort paisiblement les choses ainsi qu'aprés une exacte discussion, que j'en ay faite, je trouve qu'elles se sont passées:* non absurde, opinor, illa dici poterit fuisse, quòd gratiam favoremque Italorum atque aliorum *religiosorum* negligere in omnibus ac flocci pendere, è re nec sua nec suæ Ecclesiæ esse existimaverit. Quemadmodum & supra allegatus *Sorbonista* loc.cit. p. 108. observat, quòd *Maimburgius* ut neutram partem, nec Principum nec Paparum, offenderet, sæpe in libellis suis utrorumque commodis, quamvis invicem contrariis, studuerit. Egregio etiam exemplo, ex Maimburgii *Histoire du Schisme des Grecs* desumto, id illustrat auctor *Criticæ Generalis Historiæ Calvinismi* p.85. seqq. Prudentiores hinc non absurdè causam accersunt, cur *Maimburgius* ad conscribendas Historias *Lutheranismi & Calvinismi* animum quoque post alia applicuerit; fecisse id nempe eum, ut boni Catholici nomen, quod aliis suis Historiis, maximè ea, quam *Histoire de la Decadence de l'Empire aprés Charlemagne* inscripsit, perdiderat, & penes populares suos Gallos retineret, & apud offensos Italos recuperaret. Cum enim in illis supereminenti Pontificum Romanorum aucto-

 ritati

* Imitatur Maimburgius l. c. *Aventinum*, qui in eadem, qua ipse historia, videlicet de litibus inter *Henricum* IV & *Gregorium* VII locutus sic est. *Annal Bojor.* lib.V.p.562. *Præfandum opera precium duxi, nos quemadmodum decet Historicum, solam veritatem spectare, & ab omni odio atque amore vacuos esse. Quippe cum Hyldebrandus & Hainricus, quos narrabo, nec beneficio nec maleficio mihi, ut qui ante quadringentos annos, quam ego nascerer, mortui sint.* Multis etiam Maimburgius de suo erga veritatem serventissimo amore testatur in præfatione quam *Historiæ suæ* [illegible] præfixit; quibus verò obtestationibus nil effecit aliud, quam ut soliciti nunc magis simus in Historiis ipsius legendis, ne ejus videlicet negligentes esse videamur, quod toto die venire usu videmus, præ aliis illos crimen a se aliquod amovere solere, qui rei ejus omnium maximè sunt.

ritati ex Romanorum (*quorum aures teneritudine quadam [illegible]*, ut ex antiquo scriptore vitæ S. Hilarii *Petrus de Marca* loquitur de Concord. Sac. & Imp. Tom. I. lib. III. c. 15. n. VI. p. 208. &c. & in hujus vita *Baluzius* p. 7. a.) voto favere satis visus non esset excursionibus cumprimis, queis hinc inde Historiis suis insertis Romanæ curiæ ulcera tetigit, acri non tantùm censura notatus Romæ fuit, sed & hodiernus Pontifex *Innocentius* XI. dignitate, qua Sodalitii Jesu sacerdotes gaudere se putant, planè cum privavit, quemadmodum pluribus ipse retulit in prologo *Historiæ Calvinismi*. Quam verò Pontificis iram & confixionem non ita * patienter tulit, ut esse se laturum ibidem promiserat, quando *Tractatu Historico de Constitutione & prærogativis Romanæ Ecclesiæ ejusque Episcoporum* sub finem præterlapsi anni Parisiis publicato, vindictæ (cujus, si quisquam cupidissimus est, *Critique General. de l'Histoire du Calvin. du Pere Maimbourg.* p. 59. seqq.) adversus Pontificem tacitè habenas laxavit, suo cum commodo an damno ambigitur, & adhuc sub judice lis est. Mirum certè erit, si *Maimburgius* canitiem secum suam cum pace in sepulchrum sumet. Sed *Maimbourg*: Nihil, ut est in proverbio, ista curat Hippoclides.

§. XXVIII.

Cur Doctissimi Celeberrimique Viri *Stephani Baluzii* dubitatio lib. I. Miscell. p. 161. 162. nos non moveat, ut cum eo de rei veritate dubitemus, ex iis patere puto, quæ §. 5. hujus sectionis à nobis disputata sunt. Dedisse quid in hoc *Baluzium*, dixerim, amori erga *Domini*-

* Non legit *Maimburgius*, vel legisse se saltem exemplo non probavit. *Theophili R*[illegible] Siceram mœrentibus Tom. XI. Opp. p. 376. seqq. ubi pluribus auctorem, cujus liber [illegible] fuerit, justa sive injusta confixione [illegible] instruit, [illegible] verbis ac factis suum lenire dolorem [illegible] & possit, & inprimis p. 377. b. *Michaelis Baji* sapientiæ ac [illegible] exemplum [illegible] scriptoribus imitandum proponit, qui [illegible] confixis a *Francisco Toleto*, per Pontificem, a[illegible] *dentissimè*, ut *Maimburgius* ait, *Histoire du Luther*. Tom. II. lib. VI. p. m. 195. [illegible] nullis suis libris oblataque censura, an acquiesceret, rogatus [illegible] *malle se*, dixit, [illegible] *quam cujuscunque per Ecclesiam delecti judicio de scriptis suis pervicaciter* [illegible]. De inobediente Jesuitarum Gallorum inobedientia, qua *Maimburgium* [illegible] Pontifice in sua societate tolerârunt *Petrus Fischerus*, qui [illegible] *chium* nuper Salisburgi edidit, p. 98. & 99. egregiè disseruit, ut [illegible] de *Maimburgii Histoire de la Decadence de l'Empire* limatum judicium J.B. R[illegible] d'Allemagne in *Alberto* I. p. 356.

Dominicanos, quorum ibi ordinem *sanctissimum* appellat, quemadmodum & in *epistola de vita Petri de Marca* hujus excellentissimo operi *de concordia Sacerd. & Imp.* præfixa p. 12. a. de amore suo erga *Cappucinos* testatus est, * dum se nescire scripsit, *an illo hominum genere melius aliquid aut sanctius sit.* Confirmat me in hac sententia *Rocolesius*, quando in *Historia Imperii Germanici* in Henrico VII. p. 372. de *Baluzio* dissentiente ait: *Un de leurs* (Jacobinis) *amis & des miens autrefois sçavoir le Sr. Estienne Baluze de Tulle &c.* Læti tamen addimus, quod Lumen istud eruditorum non sic, ut reliquos, contrarium habeamus. Nam *Baluzius* non tam quid ipse sentiret, videtur expressisse, quam quæ mens *Henrici* filio *Ioanni* Bohemiæ Regi fuerit: Dicit enim solummodo *Baluzius*, se earum literarum exemplum edere, *quas Iohannes dederit ad eluendam maculam sanctissimo ordini inustam.* Quid si vero macula sanctissimo ordini juste fuit inusta? Quid si vanum dicitur auxilium *Iohannis* literas ad eluendam maculam dantis? Accedit huc, quod eruditissimus vir eodem *Miscellaneorum* Tomo non *Iohannis* tantum *diploma* nobis contrarium, sed & *auctorem vitæ Balduini* nostræ sententiæ impense faventem, & aliâs *plurimi* (sic ipse *Baluzius* judicat) *faciendum* cum erudito orbe communicaverit, liberum sic Lectori relinquens, utram eligere sententiam voluerit. Ex *Baluzii* popularibus, qui nobis contradicunt, super adhuc quidam sunt, minorum tamen gentium Dii. Nomen titulusque unius est *Ludovicus* Morerus Presbyter & SS. Theologiæ Doctor, qui in *Magno suo Dictionario Historico* (Gallicè: *Grand Dictionnaire Historique ou* Melange *Curieux de l'* Histoire *sacrée & profane*) Tom. II. p. 157. b. in serie Imperatorum, (quos ibi Francorum Regibus minus rectè postponit) & sigillatim sub voce *Henrici* VII. ex silentio *Villanii*, *Mussati*, *Vecerii* atque aliorum rem in dubium vocat, & ad *Baronii* Continuatores *Bzovium*, *Raynaldum* & *Spon-*

* Eadem opinatur *Thuanus* Histor. lib. CXXXVII. p. 1266. *Venetos*, scribens, *Jesuitis à di[illegible]toribus pulsis tamen [illegible] in eo laborâ[illegible], ut Patres Capucinos sanctitate Vitæ perspectos & ab omni [illegible] alie[illegible] retinerent.* Cum Cynicis Philosophis comparat eos *Lipsius* Manuduct. ad Stoic. Philosoph. lib. I. Dissert. XIII. p. 46. *Cappucinos istos, quos dicimus, vera virtutis, pa[illegible], nopia, & [illegible] antiquis defuit pietatis exemplar, quis sine animi aliquo motu & im[illegible]. Qui non vel visos conferre ad eadem illa putat. Ego censeo & tales omnino Cynicos fuisse.*

& *Spondanum* nos abire jubet, in neutro, nisi tradita a nobis essent, plene informatus. Erudiendus ex iisdem est *Philippus Brietius*, quando in *Continuat. Chronolog. Labb.* part. III. p. 157. dissentientium numerum intempestiva sua contradictione augere sustinuit.

§. XXIX.

In limine nunc versamur, & cum examine *Johannis Cabassutii* Aquisextiensis Presbyteri *Congregationis Oratorii* secundam sectionem finimus. Non quòd non plures inveniantur, qui nostra refutationis nostræ egeant, (quis enim, quæso, Historicos ac controversistas, imprimis recentiores, perleget omnes atque evolvet?) sed quod hos potissimum nobis adversari ipsimet deprehenderemus. *Cabassutius* igitur in *Notitia sua Ecclesiastica Historiarum Conciliorum*, &c. synopsi. secul. XIV. n. V. p. 479. b. historiam *Henrici* VII. breviter recensiturus sub principium statim longissime a vero aberravit, & qualem se in ipsa, ut ita loquar, janua exhibuit, talem reliqua tota sese præstitit narratione: Vocat *Henricum* nostrum *Ducem Lutsemburgensem, qui post Albertum Austriacum Rudolphi Comitis Harburgensis* (Habspurgensis dicere debuit) *& post Imperatoris filium Imperii habenas rexerit.* Ante eum idem fecerunt *Henricus Spondanus* Tom. I. Continuat. Annal. Baron ad an. 1308. n. III. p. 366. a. *Dionysius Petavius* in Rationar. Tempor. part. I. lib. IX. c. V. p. 582, *Simon Starovolscius* Epitom. Concilior. p. 34.., & Johannes *Philippus Labbeus* & *Gabriel Cossartius* in brevi descriptione vitæ *Clementis* V. (quam Tomo XI. *Conciliorum* A. 1671. abs se editorum part. II. p. 1496. b. concinnarunt,) *Franciscus* * *Svveertius* Select. Christian. Orb. Delic. p. 337. qui omnes *Henricum* Ducis titulo honorarunt. Ast non alio nisi *Comitatus* titulo *Luxenburgum* temporibus *Henrici* gavisum esse constat, quemque ex propter Comitem ...

* Apud *Svveertium* citato libro p. 354 inter Florentina monumenta prope ... *Henricus* VII (qui coniuncte ibi IV. vocatur ...) quod ... *Henricus IV Roma rediens coronatus, ... Florentinis, ... rogatus ab exu...bus, quorum princeps erat Dantes Poeta, urbem ... Septentrionem atque cum vi...isset ... [illegible] ... Cocche...rum, quod ... struebatur funali ... ... diceslit MCCCXIII Kalend. Octobr.* Qui errores insint ... hactenus legit, statum dependet,

non Ducem *Lucemburgensem* nominant & agnoscunt ad unum propemodum Chronologi, Cosmographi atque Historici omnes, solis ex veteribus, (quos sciam,) *anonymo autore* ex seculo XIV. apud *Maderum* in *Antiquitatibus Brunsuicensibus* n. X. p. 172. & *Iohanne Geerbrando à Leidis* Chronic. Belgic. lib. XXVII. c. 8. Tom. I. Annal. Belgic. *Swertii* p. 248. (qui oblitus sui paulo ante lib. XXIV. c. 21. p. 223. *Henricum* ipse *Comitem* appellaverat) ex seculo XV. exceptis. Contradicunt verò *Ducis* appellationi cumprimis tituli *Henrico* dati, antequam in Romanorum Regem inauguratus summæ Imperii præficeretur, quos tales nobis exhibet *Kyriander* in Annal. Trevir. ad an. 1302. ex documento IV. p. 153. *fœderis percussi inter Henricum Comitem Lucenburgensem & S. P. Q. Trevirensem*, & ad an. 1319. ex altero documento; cui jungendus *Bertelius* Histor. Luxenb. p. 45. Neque *Henricum* Rom. Imperio admotum provinciam Luxenburgensem in Ducatum evexisse, ceu *Conrado Veccrio* patriam historiam, quod pudendum, ignoranti, *in vita Henrici* VII. (Tom. II. Scriptor. *Urstis.* p. 63. & inter Scriptores *Reuberianos* p. 459.) nec non *Ludovico Cavitellio* in Annalibus Cremonensibus ad annum 1309. visum est apud *Felicem Osium* in notis ad Mussat. p. 19. a. efficiunt diplomata, quæ *Iohannes* Henrici Filius, cum absente Patre Comitatum Lucenburgensem obtineret Anno 1310. promulgavit, producta ex archivis à *Bertelio* l. c. p. 46. Et si regionis illius Comitatus Ducariæ Dignitatis insignibus ab *Henrico* Cæsare, vel antè, exornatus fuisset, quis non videt futurum fuisse, ut *Ducis* non *Comitis* titulo decoraretur à Pisanis suis *Henricus*, saltem in tumulo, cui cum rerum præclarè gestarum monumentis honores omnes & tituli solent adscribi. Quod tamen secus factum indicant ipsissima verba tumuli, quæ cum primam lectionem firmemus ex *Cuspiniano*, *Bzovio*, *Octavio de Strada* & *Swertio* exhibuimus. Præterea cur *Iohannes* Henrici filius & Provinciæ Luxenburgensis hæres post Patris mortem non Dux sed Comes appellatur, in literis Francofurtensium de *Ludovici Bavari* electione ad Aquisgranenses Anno 1314. VIII. Kal. Novembr. datis, quas *Ioh. Georg. Herwart.* in Ludovico Bavaro defenso lib. I.

 pag.

pag. 33.(five in Apendice,qui fecundæ editionis titulus eft, ad Tom. XIV.Continuat. Bzov. ad an. 1314. n. 42. p. 7. b.) [illegible] Cur item *Carolus IV.* Henrici Nepos in vita fua, quam *Freherus* in *Scriptoribus Rerum Bohemicarum* edidit, Comitem fe femper cum majoribus vocat, & regionem Comitatum? Cur *Chronica [illegible] Regiæ* (Cœnobii eo nomine in Bohemia) de *Johanne* Rege Bohemiæ, & fub eo in regno nec non in Germania ab anno [illegible] ad [illegible] actis, eodem *Frehero* editore, *Lucenburgum* femper Comitatum vocat? Et quid opus pluribus eft? Novimus ex *Alberto Argentinenfi* Chronic. ad an. 1354. Tom. III. Script. Urftis. p. 161. *auctore* [illegible] *Chronici Belgici* p. 305. & *Trithemio* Chronic. Hirfaug. pag. [illegible] *Carolum* IV. Imperatorem Anno 1354. tertio Idus Martii * *Wenceslaum* Comitem Lucenburgenfem in Ducem, & ipfum Comitatum in Ducatum, quo hodie adhuc titulo gloriatur, commutaffe. Condonaremus autem *Cabaffutio* illum errorem, quem novimus non ita accuratum effe in [illegible] vocibus, quemadmodum in virulenta narratione, quam in Synopfi feculi XVI. n. XI. p. 554. de Doctore *Luthero* [illegible] Chriftianæ religiofiffimo vindice inftituit, fimile mendum obfervare eft, quando natum eum effe fcribit, *apud Islebium oppidum Mansfeltani Principatus*, pro quo Germanicæ Hiftoriæ peritus Comitatus vocem ufurpaffet, ut rectè ufurpavit *Maimburgius* Hiftoire du Luther. lib. 1. p. 23. *Il nasquit à Islebe ville du Comte de Mansfeld.* Neque novum eft, exteros in rebus gentis noftræ fcribentibus [illegible] riliter fæpe labi, cujus ** fpecimina ut multa hic afferam opus non eft.

§. XXX.

* Quis *VVenceslaus* ifte, & an *Caroli* IV. frater, patruus, aut alio cognationis gradu propinquus illi fuerit, *Chriftophorus Brovverus* Annal. Trevirens. Tom. [illegible] XV [illegible] *Felix Ofius* in notis ad Albertinum Muffatum p. 17. feqq. [illegible] reddereut, nifi ex diplomate erectionis Comitatus Lucenburgenfis in Ducatum [illegible] conftaret, fratrem *Caroli* IV. fuiffe *VVenceslaum*. Habetur illud diploma in [illegible] Poetici *Henrici Meibomii* a Nepote ejus A. 1660. [illegible] p. 512. [illegible] ab *Edmundo Dintero* in MSS. Hiftoria lib. V. c. 40. tefte *Johanne* [illegible] tario Lotharienfi cap. III. p. 12. Unde bene ait *auctor* [illegible] MCCCLVI. p. CCLXIII. Wenzeslaus des Kaisers Broder, und [illegible] wart ouch in hoegher ere gesatzt/und wart Hertzoch van Lutzelburch.

** Ne fallax reperiar, en ex plurimis exemplis duo vel tria *Ludovici* [illegible]

§. XXX.

An autem putamus solum hoc atque unum vitium à *Cabassutio* in *Henrici* historia commissum esse ? En illo crassius adhuc & minus excusandum. Dicit : *Henricum fautorem se Guelforum exhibuisse, ut in oppositam, quæ Gibellinorum dicebatur, omni immanitate desæviret.* In quo ipso tamen humanæ imbecillitatis memores, levem memoriæ hallucinationem in nominum permutatione diceremus contigisse, ut revera ἁμάρτημα μνημονικὸν agnoscimus in verbis *Dionysii Petavii* Ration. Temp. part. I. lib. IX. c. 5. p. 582. *Contra Gibellinam factionem Henricum bellum fortiter gessisse* scribentis. Verum quod in sequentibus sine omni testimonio vetere & novo, & contra consensum optimorum quorumvis ausus fuerit *Cabassutius* pro libitu fingere historias, hoc sanè intolerabile est. *Neque verò, hæc sunt, quæ veteratoria quadam arte comminiscitur, ea nomina designabant, sicut olim partes Pontificias aut Imperatorias: sed alias civitatum ad invicem dissensiones, quas ferro flammisque inter se mutuo decernebant.* Tantam ea ἀνιστορησίαν spirant, ut me tædeat iis refutandis chartam perdere, ac tempus omni thesauro nobilius. Veteres quidam Philosophi, & ii quidem non mediocres, nullam rationem esse putabant disputare cum iis, qui nihil probarent,

Cabilonensis Burgundus Carmelita, in *Bibliotheca Pontificia* lib. II. p. 455. adeo rudis & imperitus fuit nostræ Ecclesiasticæ Historiæ, ut putârit, *Articulos Smalcaldicos*, qui A. 1537. à D. *Luthero* in conventu Protestantium Smalcaldiensi compositi fuerunt, esse hominem nostræ Religioni addictum: *Articulus Smalcaldicus*, inquiens l. c. in subjuncto elencho Hæreticorum, qui adversus Romanum Pontificem scripserunt, *edidit de primatu & potestate Papæ librum.* Egregius auctor & dignus, cujus in excellentissimo isto Bibliothecæ Pontificiæ thesauro (ita certè visum *Ludovico Morero* in præfat ad Magnum Dictionarium Historicum, ut & *Philippo Labbeo*, in Biblioth. Bibliothecarum p.m. 149) copia habeatur. Sic observatur in Gallorum *Journal des sçavans* A. 1666. Tom. I. p. 275. Gallum quendam universum Sueviæ tractum pro urbe, quæ Suevia dicatur, accepisse. Ubi venit in mentem recordari, quòd *Thomas Fazellus* de Rebus Siculis Decad poster. lib. IX. pagina *inter scriptores Rerum sicularum* 478. *Henricum* nostrum *suevum* appellaverit, qui *Luxemburgicus* dicendus erat, (quam & ipsam vocem nonnemo apud *Antoninum* Archi-Episcopum Florentinum *Chronic* part. III. Tit. XXI c. I. p. 277. a. corruptè admodum expressit Comitem *Lungunburgi* Henricum appellando) Quod idem valet adversus *Iustinum Pertuchium*, qui in *Chronico Portensi* lib. I. c III. p. 131. ubi ex *Beka* historiam nostram de *Henrici* intoxicatione confirmat, *Regis Siciliæ* appellationem illi tribuit. Similia plura in Gallorum scriptis notârunt eruditi *Actorum Lipsiensium* Collectores, in *Gedeonis Pontier* A. 1633. p. 31. *Maimburgii* A. eod. p. 93 & A. 1684. p. 111. Domini *de la Mothe Iosseval* A. 1684. p. 65. & p. 219. in *Alani Manessonis Malleti* Descriptione orbis.

barent, *AntiPatrumque* Stoicum, qui multus in eo fuerat, reprehendebant, apud *Ciceronem* lib. IV. Academ. Quæst. Vereor, ut horum censuram evitem, si prolixe hic contra *Cabassutium* nihil omnino probantem disserere instituam. Solius igitur *Albertini Mussati* arbitrio controversiam subiiciam, quem *tunc virorum diligentissimum rerum hujus Henrici VII. scriptorem* adversus nos p. 480. a. ipse *Cabassutius* laudavit. Quid vero ille in *Historia Augusta Henrici VII.* lib. I. rubric. VI. p. 2.? Audiamus loquentem: *Constiterat namque plurimas Italiæ Civitates per optimatum factiones ecclesiae in exilia Cives partium scismatibus, quæ hinc Guelforum sub Ecclesia, hinc Gibolengorum sub Imperii clypeis nomina sibi quæ dam indiderant:* & lib. VII. rubr. VI. p. 38. *Cæsaris quidem partes* [illegible] *Taurinum &c. at contra in fidem partis Gelfæ, quam S. Ecclesiæ* [illegible] *pabant, Alba &c.* Neque post *Henricum* nominum istorum usum immutatum fuisse idem testatur in *Ludovico Bavaro ad filium* p. 5. *In duas partes secta Christianitas erat nostra, & paucos invenias contingens fuerit, per hanc præcipue nostram Italiam, quos una* [illegible] *bus optio non inquinaverit, aut illa, quam ajunt, Gibolenga vel Gelfa. Hæc enim à tempore* * *Friderici II. vocabula duo inseparabilia* [illegible] *seu potius pestifera scismata pullularunt atque invaluerunt, quæ* [illegible] *tenuere Italiam inquietam. Sic hoc in errore & contentione* (inter Ludovicum Bavarum & Iohannem XXII. Papam) *ferventes qui Gelforum nomen animumque servabant, Ludovicum hunc detestabantur, &c.*

* Varia & ridicula sæpe disputatio est, de origine istarum vocum. Verior non [illegible] tentia ea, quam ex *Hermanno Æditvo* adduxit *Martinus Crusius* in Annal. Suev. part. II. [illegible] c. III. p. 382. Qui *Æditvus* ad quod seculum referendus [illegible], constare [illegible] (ed in [illegible] *Latin.* lib. III. c. XI. p. 818. ignoranti [illegible] poterat ex ejusdem [illegible] Annalibus part [illegible] p. 54. Gemina cum *Hermanno* isto tra[illegible] *Johannes Chra*[illegible] Canonicus Ar[illegible] Vitis Imperatorum ex celsissima Serenissimorum Ducum [illegible] rum, quas *Joachimus Johannes Maderus* in *Antiquitatibus Bran*[illegible] pag. 94. Non dissimilis est traditio *Naucleri*, qui videndus in *Chronic.* [illegible] II. Chronic. p. 303. quem sequendum cumprimis hoc in nego[illegible] esse m[illegible] *Laurentius Pignorius*, ille in *notis* p. 141. hic in *Spicilegio* [illegible] ad [illegible] *Strauch.* Amœnit. Jur. Canon. semest. 1. Eclog. [illegible] c 16 [illegible] 27 & 28 [illegible] ris G[illegible], nomine *de Pr*[illegible], Guelfum idem e[illegible] ac *fide*[illegible] *fer*[illegible], & [illegible] *fer*[illegible]*tem* somniantis, *Histoire d'Allemagne ancienne & nouvelle* p. 26 [illegible] [illegible] *Li*[illegible]*sinm* A. 1684 Mens. Julio p. 299. Quid *Maimburgio* v[illegible] *Histoire de la Decad. de l'Empire* lib. V. p. 425.

& actus Iohannem Papam laude commendabant: Gibelingi vero & sermone &, quo poterant, etiam opere innitebantur e contra. Unum adhuc addimus ex nostris fautoribus *scriptorem vitæ Balduini* lib. II. c. XIV. Tom. I. Miscell. *Baluz.* p. 127. *Imperatoris & Domini Baldewvini exercitum Gelfinos Imperii inimicos se in* Monasterio *minorum, in Capitolio, & diversis turribus Romanis resistendi causa observantes rigidissime invasisse, muros petiisse illisbus, sagittis eos capere, acriter laborasse.* Bellus *Henrici* erga Guelfos favor! Dies me deficeret, si quæ ad figmentum istud *Cabassutii* refutandum faciunt, colligere omnia vellem ex *Chronico Aulæ Regiæ*, *Blondo Flavio*, B. *Platina*, *Georgio* Merula, *Aretino*, *Sigonio*, Nauclero, *Langio*, *Helia Capreolo*, *Paulo Æmilio*, *Kranzio*, Jacobo *Cavatio*, *Carrione*, *Possevino*, *Machiavello* atque aliis pluribus. Videri posset, pœnituisse *Cabassutium* quod scripserat, quando in *Tabula Historica* Notitiæ suæ Ecclesiasticæ præfixa liter. G. dicit: *Genuam partibus adhærentem Iohannis Papæ XXII. adversus Henricum Luzemburgum Auriorum & Spinularum familias Gibellinas exulare coegisse, eorumque ædes diruisse*: sed error est in voce *Henrici Lutzemburgi*, qui *Iohannis* XXII. Papæ temporibus in vivis amplius non fuit, reponendus igitur *Ludovicus Bavarus* ejus successor, vid n. IX. p. 481. a. Num vero & unde persuadebit nobis *Cabassutius*, tam citò vocabulorum istorum usum conversum fuisse? Non repeto ex superioribus, quod plurimi inter nostros adversarios veritatem nostram profligandi occasionem inde cumprimis sumant, quòd *Bernhardus* sceleris auctor non Guelficæ sed Gibellinæ factionis homo fuerit, quodq; verosimile non sit, tanto ingrativiţio ipsum laborasse. Tam verum igitur est, *Henricum Guelfis favisse*, quam à vero non abest, *Henricum* Jura *Imperii* Galliæ *Regi Philippo vendidisse*: Atqui hoc falsissimum est, ut *Hermannus Conringius* adversus *Vignierium* & *Bodinum*, *Cabassutii* cives, evidentissimè demonstravit lib. II. *de Finibus Imp.* c. 24. p. 588. seqq. Malè cœpit historiam de Henrico *Cabassutius*, pejus adhuc eam finit. *Vita Henricum excessisse*, scribit, *sive solius Dei ultione, sive ut creditum fuerit accepta de manu Dominicani sacerdotis illita veneno hostia, quod tamen minus probabile esse, quia jam naturali ægritudine Henricus laborarit,*

antequam sacramentum sumeret, *& quia Villanius & Mussatus veneni non meminerint.* Sicut *solius Dei ultione* ex vita Henricum migrâsse scripserit *Caballutius* interrogandus esset, quid cum quæstione sponsurum aliud putamus, nisi quod divinam nemesin ob offensum Pontificem Imperator meruerit; sicuti in præcedentibus modo tem clarius expressit. Hæcne verò in Gallia scribuntur, ubi si unquam Pontificia Dominatio audit urit e atque exulat? An *Caballutius* in confessione *Henrici* III. Galliæ Regis manu Dominicani facta *ultionem* etiam *divinam* agnoscit? Apage impia istiusmodi de Principibus Viris judicia. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit*, Rom. XIV. 4. Luculentum id indicium est, quam non omnes Gallicano e Clero dicant sententiam eamque, quod cum Gallicanæ Ecclesiæ placitis consentit. Ad reliqua objecta responsum hactenus est non una vice. Fatemur *Mussatum & Villanium veneni non meminisse*; sed nec iidem dixerunt *Henricum jam mortali ægritudine laborasse, antequam sacramentum sumeret*; falsum proinde & hoc erit, quid autem restabit *Caballutio*? Nil nisi ut cum *Phyllide* apud *Ovidium* epistol. II. Heroid. v. 45. gemebundus clamet,

> *At laceras etiam puppes furiosa refeci:*
> *Ut, qua desererer, firma carina foret.*
> *Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.*
> *Heu patior telis vulnera facta meis.*

Quemadmodum & si errores à *Caballutio* in isto libro commissi congererentur omnes, & maledicta, quibus Paparum hostes absurde passim atque imperitè incessit, adderentur, vix duo vel tria folia super essent futura, quin totus liber afferretur.

SE



SECTIO III.

§. I.

APud Veteres decantata olim fuit * Cassiana illa formula, A CUI BONO? Qua indicare sapientissimi homines volebant, quemlibet finem probè considerare debere, ad quem, quæ suscipit, faciant; cœco impetu, qui in hæc vel illa studia feratur, neque solicitè, antequam cœperit, indaget, cujusmodi ex illis processura utilitas sit, quæque redundatura emolumenta, oleum perditurum omne atque operam lusurum. Meritò igitur, quum hactenus HENRICUM VII. IMPERATOREM VENENATA POTIONE, DUM SACRA SYNAXI UTERETUR, SUBLATUM FUISSE in *prima* sectione probatum dederimus, atque ab hostium contradictionibus in *secunda* liberaverimus, operæ nunc precium erit, ea, quæ in *utraque* probata responsaque fuerunt, in rem & usum *tertia* in hac sectione deducere, quæque in sanctissima τῆς θεολογίας disciplina, in ardua cumprimis & tanti momenti controversia *de S. Eucharistia* illustrari hinc queant, paucis annotare: Ipsa enim rei capita prolixius atque accuratius apud Theologos legi ac evolvi possunt, quorum hoc nec aliud negotium fuit. Quærentibus igitur ex nobis: Cui bono atque usui hæc de *Henrici VII.* intoxicatione traditio inserviat? Respondemus, præter ** plura alia, duo cumprimis esse, unde lucis nonnihil

 nostris

* Ab auctore L. *Cassio* Prætore sic audit, cujus tribunal propter nimiam severitatem *scopulus Reorum* dicebatur, *Valerio Maximo* teste lib. III. *Factor. Dictorumque memorab* cap. VII. n. 9. Unde *Cicero* Eloquentiæ Antistes *Philippica* II. dixit: *Quod si te in judicium quis adducat, usurpetque illud Cassianum. Cui bono fuerit, vide quæso, ne hæreas.*

** Sic veritati in historicis, ut nusquam alibi, haudquaquam negligendæ patrocinium præstatur. Sic celebrata [illegible] Monachorum sanctitas falsi convincitur: sic exempla Papalis erga Imperatores impietatis [illegible]entur: sic popularis Romanensium error refutatur, eo, quo quis Missam audierit, [illegible] nihil accidere homini posse: sic cœcæ obedientiæ inseparabile damnum luculenter cernitur: sic excommunicationis Pontificiæ fulmina effectu olim non caruisse ostenditur: sic quæ vis superstitionis in hominum animis sit, *Henrici* exemplo docetur.

nostris adversus Papistas disputationibus affulgeat, & quibus cum summo illorum incommodo uti possumus, qua *transsubstantiationem* partim, partim atque inprimis qua negocium de sacramenti Dominici mutilatione, quam *sub una communionem* appellare vulgò consueverunt.

§. II.

Ac primò quidem ἄσοφον Romanensium dogma de *Transsubstantiatione* non leviter hinc labefactatur. Docent illi, &, ut et nos doceamus sub anathemate nos cogere volunt, *post consecrationis verba à Missifice sacerdote pronunciata totam mox panis substantiam in Dominicum corpus, & totam substantiam vini in sanguinem Dominicum, remanentibus duntaxat panis & vini speciebus seu accidentibus, virtute verborum istorum mutari ac converti.* Ita Concilium Tridentinum Sess. XIII. cap. IV. *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia DEI, idque nunc denuo sancta haec synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus, quae conversio convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata.* & Canon. II. *Si quis dixerit, in Sacrosanctae Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini: quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transsubstantiationem appellat, anathema sit.* Alia Romanae Ecclesiae Doctorum verba ut colligam necesse non est, quia *auctoritas Concilii Tridentini instar [illegible]*, dicente Cardinali *Bona* Rer. Liturg. lib. II. c. 19 p. 577. *quod omnes Catholici ut Magistram sequuntur*, secundum *Bellarminum* lib. I. de Justific. c. 12. Tom. III. Controv. p. 973. *cui omnes ingenia sua ac judicia sponte subjiciunt*, eodem teste loc. cit. lib. III. c. 1. p. [illegible]

[illegible]

tur. Sic quae sacrificulorum saepe erga sanctissima S. Eucharistiae Symbola re[illegible] animo, &, ut loquimur, intentione sacra peragant, cognoscitur.

vox Ecclesiæ vox est, dictum ejusdem Cardinalis lib. V de Grat. & lib. Arbitr. c. 13. Tom. eod. p. 804. Nos, tametsi inficias non eamus, mutari quodammodo panem & vinum, benedictionis sacerdotalis interventu, cum ante eam vulgaris tantùm panis sit, & commune poculum, post illam autem cum pane & vino verè & substantialiter adsit, exhibeatur, & accipiatur corpus & sanguis Christi, (quæ sanè magna, & vere divina est mutatio,) illud tamen pernegamus, quod talis credenda sit *transsubstantiatio*, qualem cum imprecationis comminatione *Concilium Tridentinum* obtrudere nobis vult; qua nimirum sive pronuntiatis Christi verbis: *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, sive * quacunque alia ratione, symbolorum panis & vini substantia mutetur & convertatur in substantiam corporis & sanguinis Domini, ita ut panis & vinum qua substantiam esse omnino desinant, quod ante fuerant. Mutationem quandam sacramentalem, & accidentalem βελτίωσιν quando in S. Eucharistia contingere largimur, cum Scriptura S. & hujus ductum sequentibus Veteris Ecclesiæ Patribus sentimus ac loquimur, quorum vocabula, μεταποιεῖν, μεταστοιχειοῦν, μετασκευάζειν, μεταρρυθμίζειν, μεταβάλλειν, & quæ alia ejus generis sunt, hanc nec aliam mutationem volunt atque inferunt, ut pluribus declarant

* In hac enim de *Transsubstantiatione* (pro quo Vetus schola apud *Tannerum* Tom. IV. Theol. schol Disp. V q. 4. dub. III. n. 48. *transannihilatio* dixit, rectius verò *transpræsentationem* vel *transaccidentationem* appellasset ex ipsius *Vasquezii* sequela, *Comm. in* III. *Thom.* Tom. III Disp. CXXCI. q. 75. art. 8. c. 2. p. 113.) Disputatione, plena omnia sunt apud Pontificios litium ac dubiorum, vereque Babylonis labium confusum est. Potissima capita dissensionum recensuit diligentissimus *Gerhardus* noster Tom. V. LL. de S. Cœn. §. 129. p. 105 seqq. Quomodo in Concilio Tridentino *Dominicani* & *Franciscani* de modo, quo corpus Christi in Sacramento fit, & quo panis in corpus, vinum in sanguinem *transsubstantietur*, invicem litigaverint, ex *P. Suavi Polano* Histor. Concil. Trid. lib. 4. p. 366. discet Lector, & §. XLIII. primæ lectionis nostræ inde augebit. Ex ipsis sic Pontificiis Doctoribus, quorum alter alterum refutat, invicte & necessario sequitur, falsa esse, quæ de panis & vini in S. cœna *transsubstantiatione* negantur. Vid. *Edmund. Albertin.* de S. Eucharist. lib. I. c. XXIII. p. 149. a. Admodum hinc callide egit *Concilium Tridentinum*, quando obscurè locutum omnia in suspenso reliquit quod non diffitetur *Salmero* Tom. IX. Comment. in N. T. tract. 13. p. 88. b. *Non dissimulabo, inquiens, quod in Concilio Tridentino, cum quidam Theologi expeterent, ut explicaretur forma, qua Christus confecit sacramentum hoc, auditis hinc inde rationibus, nihil esse depniendum prudenter Patres censuerunt.* Quemadmodum, ut in multis aliis, ita in ipso illo decreto, quo *Transsubstantiatio* stabilitur, dolosa etiam ambiguitas continetur, cujus index est magnæ eruditionis Theologus D. *Dorschens* Vindic. ad Exod. cap. IV, Disp. IV. p. 68.

David Blondellus in præfat. ad *Albertini* librum de Eucharistia, Claudius *Salmasius*, sub *Simplicii Verini* nomine, de Transubst. p. 11. *Richardus Montacutius* Orig. Eccles. part. II. n. 46. p. 204. Substantialem verò conversionem &, ut appellare amant, *transsubstantiationem* dum explodimus, iis ex Scriptura S. priscæ puriorisque Ecclesiæ consensu, & non ineptientis rationis usu argumentis utimur, quorum vim ac robur Pontificii non possunt non agnoscere atque extimescere. Inter plurima alia non levissimum est, quod ex variis sanctissimi cibi effectis desumitur, ut sunt *nutritio corporalis*, qua constat, (quam imperitè id etiam quidam Scholastici negaverint apud *Suarezium* in III. *Thom.* Tom. III. Disp. LVII. q. [illegible] sect. III. p. 693.) panem & vinum post consecrationem alere adhuc & nutrire corpus humanum posse, ut reverà quosdam sacramento ut alimento usos fuisse *Thomas Bozius* de signis Eccles. Tom. II. lib. XV. c. 2. & qui eum citat *Cornelius à Lapide* Comment. in Joh. VI. p. 337. attestantur; & sigillatim ex *Aimoino* lib. V. de Gestis Francor. c. 19. vel, ut aliis placet, ejus Continuatore in *Vita Ludovici Pii* parte II. *Histor. Francic.* p. 475. novimus, *Ludovicum Pium per 40. dies solâ Eucharistia victitâsse*, quale quid * accidentia præstare nequeunt.

Est

* Quo intuitu bene ait *M. Ant. de Dominis* de Republ. Eccles. part. II. lib. V. c. 6. n. [illegible] p. 263. *Sola accidentia per nullam potentiam apta fieri possunt ad nutriendum, cum nutr[illegible] substantia, non accidentium reparatio: Et si nutrirent accidentia essent substantia, quia [illegible] & non essent substantia, quia sunt accidentia.* Et certe, quis ex solo panis odore [illegible] aspectu vitam poterit conservare? Nihilominus *Bellarminus* ait lib. III. de [illegible] Tom. II. Controv. p. 771. *Adde ultimò, quod etiam species sacramenti nutrirent, si in magna [illegible] sumerentur: sicut enim divino miraculo manent sine subjecto ita etiam nutriunt, ut [illegible] docent.* Mira *Bellarminus* somniat miracula. Quod si namque sacramenti species divino miraculo nutriunt, cur in magna copia sumendæ? An Deus per species in par[illegible] tas hominem nutrire nequit? Hoc sanè miraculum ego [illegible] [illegible] xisset aliquid *Bellarminus*, si homines quandoque [illegible], & [illegible] a [illegible] ris sensu affici monuisset. Sicut negari nequit, & o[illegible] q[illegible] [illegible] tes cerebro incommodare, animique deliquium afferre, quo[illegible] [illegible] [illegible] ficere & recreare, non aliter atque [illegible] etiam colore [illegible] [illegible] Bibliothecarum parietes colore isthoc ornare jubet *Lipsius* Syntagm. de Bibl. [illegible] nimium autem ruborem vel nimiam albedinem sufferre nequit. [illegible] suppetunt, queis solus rerum odoratus noxius fuit vel pr[illegible] [illegible] lib. VII. c. ult. p. 898. quædam rosarum odorem a[illegible]lantium artu[illegible]. cui adde, q[illegible] *Cromerus* habet de *Laurentio Vratislaviensi Episcopo ex solo rosarum odore* [illegible]

IIAm

Est etiam Eucharistiæ effectum *generatio unius ex alterius corruptione*, dum panis putrefieri potest, & vermes inde produci, vinum potest in acetum degenerare, &c. quod itidem nonnisi de substantialibus prædicari potest; Et tandem S. Eucharistiæ effectum esse *hominum intoxicationem atque interfectionem*, ex nostra & similibus historiis patescit, quod accidentale quidem est, maximi tamen momenti, & quod multum laboris sudorisque *Transsubstantiationis* Patronis excussit. Argumentum quippe firmissimum inde adversus istam *transelementationem* nascitur, quod sequentem in modum for-

Histor. Polon. Tom. II. Polon Rer. p. 535. Extendi ut adeo late non debeat, quod *Aristoteles* in Problemat. sect. XXIX. tradidit: *Rosa odorem suavem semper esse.* ἡ τῷ ῥόδου ὀσμὴ ἀεὶ ἡδεῖα. Similiter fidem facit *Caspar Schottus* Physic. Curios. lib. III. c. 33. p. 491. *quendam solo vini odore inebriatum fuisse.* Quinimò Astomos Indiæ populum juxta Gangis ostia vivere ajunt odore florum pomorumque. Quod ex *Onesicrito* prodidit *Strabo* Geograph lib. XVI. & ex hoc D. *Dannhauer*. Hodom. Pap. part. II. p. 559. Et *Pythagorici* olim præcipuum odoris usum esse putarunt, quod eo animantia nutriantur, quibus aperto ore *Aristoteles* contradixit lib. II. *de sensu & sensili* cap. 5. ubi inquit: ὃ δὲ λέγουσί τινες τῶν Πυθαγορείων, οὐκ ἔστιν εὔλογον· τρέφεσθαι γάρ φασιν ἔνια ζῶα ταῖς ὀσμαῖς. *Quod autem quidam Pythagoricorum dicunt, non est rationabile. Nutriri namque dicunt quædam animalia odoribus.* Quod vero de *Astomis* fabella est, de quibus ut de *Indis* in universum post *Daimachum* & *Megasthenem* multa mentitus est *Onesicritus*. Vide *Gerardum Ioannem Vossium* Theolog. Gentil. lib. III. c. 30. p. 868. Si quid autem odoratum efficere cernimus, non tam odori tribuendum esse, quam minusculis atomis atque exhalationibus fumeis ex re illa, cujus odorem percipimus, prosilientibus, ex Physicorum præceptis novimus. Esse autem atomos substantias, non negabit, qui corpora esse, licet minutissima, didicit. Eodem modo boves cum ad locum deveniunt, in quo mactatus ante bos fuit, vociferantur valde, vehementerq; conturbantur Non ob nudi alicujus accidentis præsentiam, sed ob atomorum in aere ex præcedentis bovis mactatione hærentium, & consensu [illegible] similia animalia trahentium efficaciam. Sic & canes heri sui vestigia à peregrini vestigiis discernere norunt. Non ob aerem alteratum, sed ob hæc naturæ minima è corpore heri & peregrini egressa & ab odoratu canum percepta. Sensibus enim bruta hominem [illegible] vincunt, ne videlicet divinum animal beluarum more blandis sensuum [illegible] hæreat delectamentis, operaque verè humana eat neglectum. Objectant, scio, quod [illegible] breviculo absumeretur tempore, si cum odore aliqua semper exspiraret materies [illegible] in spacia etiam longissimè dissita, cum vultures odorantur cadavera [illegible] remota. Sed non cogitant, ut minutum etiam quiddam, non dico in infinitum, quæ *Peripateticorum* opinio est, sed pene tamen in infinitum possit dividi, singulæque particulæ longissime diffundi, præsertim eo, quo tulerit ventus. Atque hæc non aliena sunt ab iis, quæ *Vossius* l. c. p. 869. tradidit. Est adeoque verum & manebit, quod *Aristoteles* dixit lib. III. *de anim.* c. 12. ἡ τροφὴ τὸ σῶμα τὸ ἁπτόν. ψόφος δὲ καὶ χρῶμα, καὶ ὀσμὴ, οὐ τρέφει, οὐδὲ ποιεῖ οὔτε αὔξησιν οὔτε φθίσιν. *Alimentum est corpus tactile, sonus autem & color & odor non alit, nec efficit auctionem vel diminutionem.*

formare libet: Aut veneno imbuta fuerunt corpus & sanguis Christi, aut panis & vini species sive accidentia, aut denique harum substantia: Atqui corpus & sanguinem Dominicum veneno inquinari posse, ut ipsimet Pontificii non asserent, ita nec, cum ἄφθαρτα & nulli corruptioni obnoxia sint, sine insigni blasphemia asserere poterunt. Vide *D. Ægidium Hunnium* de Sacram. Vet. & Nov. Test. c. 15. Tom. I. Opp. p. 1210. Neque vini ac panis accidentia efficere id absque illorum substantia potuisse, cui sanum sinciput est, non negabit: Quam enim ineptum foret, lineas & superficies, rubedinesque esse ac dici venenatas? Substantiæ proprium est veneno infici, non accidentium. Oporteret etiam, quod absurdorum alterum, veneni substantiam cum panis vinique accidentibus mixtam fuisse. Sed *non possibile esse*, ait Philosophus, *corpus & albedinem aut alias omnino affectiones & habitus rebus misceri*: Audi ipsum ex libro I. de Generat. & Corrupt. c. X. οὐδὲ τὸ σῶμα καὶ τὸ λευκὸν, οὐδ᾽ ὅλως τὰ πάθη καὶ τὰς ἕξεις οἷόν τε μεμίχθαι τοῖς πράγμασι. [illegible] ὁρᾶται. Inesset tandem, quod omnium absurdissimum, veneni substantia accidentibus panis & vini; Hactenus enim & recte quidem in saniore Philosophia traditum est & creditum *Accidens esse, quod substantiæ insit, non substantiæ quod accidenti*, quod *Aristoteles* multis in locis dicit & firmat. Audi unum ex *Categoriis* cap. de *substantia*. Κοινὸν δὲ κατὰ πάσης οὐσίας, μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι. *Hoc autem omni substantiæ commune est, non inesse in subjecto.* Sola igitur panis vin'q; substantia restat, quæ venenata dici potest fuisse, cum *Henricus* Imperator aliiq; necarentur. Ex quo illud tandem inferimus, non totam substantiam panis non fuisse conversam in corporis Dominici substantiam, neq; totam vini substantiam in sanguinem Domini abiisse, ut *Transsubstantiationis* figmentum comminiscerentur. Argumentum Adversariis nostris permolestum, & ad quod ut respondeant, varia excogitant, verè autem, ne quod speciem quidē habeat, inveniunt.

§. III.

Primò historiarum fidem elevant, ut præter alios nominatim *Bellarminum* Cardinalem fecisse invenimus, lib. III. *de Euchar.* c. 24. Tom. II. Controv. p. 780. cui vero, re nimis manifesta existente,

pro responsione bonam mentem precamur. Demus tamen (quod nisi convincamur, nunquam dabimus,) falsam esse nostram de *Henrici VII. intoxicatione*, consimilesque alias historias, quid respondebit *Bellarminus*, si factum ejusmodi contingeret? Si maleficus quidam vinum Eucharisticum veneno temperaret? Non id enim ἐκ τῶν ἀδυνάτων esse, ipsi, scio, * Papistæ inficias non ibunt. Imo illud ipsum, quod *Scholastici* afferunt: *Si araneus in sacrum poculum incideret, suoque illud veneno macularet*, quo pacto solvetur? An missifex sacerdos bibere illud vinum audebit, in quo araneus præfocatus fuit? Utrum verò projiciet sanguinem Domini vel comburet? *Bellarminus* loc. cit. respondet, objectionem nullam esse: *Vel enim venenum consistere in sola qualitate aspersa vino Eucharistiæ, vel in substantia aliqua admista illi vino ante vel post consecrationem: Si prius nullum sequi absurdum, si dicamus in ipsa specie consecrata posse manere vel introduci istam qualitatem, ut possunt aliæ, quæ se compatiuntur cum accidentibus panis & vini: sin verò sit aliqua substantia venenata, ut aliquis liquor, in illo corpus Domini non esse, licet in eodem calice sit ille liquor cum vino consecrato: nihil enim verti posse in corpus & sanguinem Domini, nisi quod ipse Dominus instituit, id est, panem & vinum.* Sed delinquit Bellarminus in utroque. Et in priore quidem, quando *de veneno* differit *in sola qualitate sine omni*

* Adduci tamen non potuit *Gregorius Turonensis*, ut id *Histor.* lib. III. c. 31. (in *Corpore Historiæ Francicæ* parte II. p. 65.) crederet, ubi postquam narraverat: *Filiam Theodorici humili servo nupsisse, idque matrem cum populo Ariano indignè tulisse, servum occidisse, & ipsam in materis domum reduxisse*, sequentia verba adjecit: *Erant autem sub Arriana secta viventes, & quia consuetudo eorum est, ut ad altarium venientes, de alio calice reges communicent, & de alio populus minor, venenum in calice illo posuit, de quo mater communicatura erat. Quo illa hausto protinus mortua est, non enim dubium est, tale maleficium esse de parte Diaboli. Quid contra hæc miseri Heretici* (Arianos intelligit) *respondebunt, ut in sancta eorum locum habeat inimicus? Nos verò Trinitatem in una æqualitate pariter & omnipotentia confitentes, etiamsi mortiferum bibamus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, veri atque incorruptibilis DEI, nihil nos nocebit.* Quemadmodum scilicet S. *Iohannes* de calice vinum bibens læsus non fuisse dicitur apud *Gretserum* lib. II. de Fest. Christian. c. 4 p. 284. & *Molanum* lib. III de Histor. S. Imag. c. 58. p. 378. Unde ridiculum istud S. Johannis poculum, quod Germanis der Johannes-Trunck/ der Johannes-Segen ortum traxit, quod tamen *Hospinianus* de Fest. Christ. p. 112 ex more veterum Germanorum initio Januarii vinum Januarium distribuentium deducere mavult. Aliorum exempla, qui venenum innoxiè sumpserunt recenset *Schottus* in Phys. Cur. lib. III. c. 26. p 456. *D. Jacobus Andreæ* Germanic. Relation de Commun. Cathol. part. I. p. 113. meminit etiam cujusdam intoxicationis suo tempore in S. Eucharistia fraude Papistici sacrificuli factæ.

subjecto consistente ad * Philosophiæ tribunal vocandus est, cujus, cum certa divina revelatio deficiat, ad confundendas cerebrinas ejusmodi *τερατολογίας non exiguum momentum esse* bene noster *Dannhauerus* dicit, *Mysteriosoph.* sect. III. Artic. I. p. 606. &, ubi id, ut pleraque, repetit, *Hodom. Pap.* part. poster. Phantasm. X. p. 555. Coram illo sententiam sequentem accipiet: *Qualitates utpote accidentia naturaliter sine subjecto non subsistere.* Neque in posteriore *Bellarminus* adversus nos quicquam lucratur. Nam illa substantia, *quam*, ait, *admisceri posse vino ante vel post consecrationem*, dum admiscetur, unitur necessario cum re quadam in S. Eucharistia. In ista verò unione, aut substantia illa se solam communicat speciebus sacramentalibus sine qualitate sua venefica, aut solam communicat qualitatem suam, aut denique communicat utramque: At mihi dici

* Ipse *Cartesius* homo Pontificius & in re rationi subjecta cum multorum admiratione versatus, *Meditat. de Prima Philosoph.* Resp. IV. p. m. 139 negare non potuit, *opinionem* Pontificiorum) *quæ realia ponit accidentia sine inhæsionis subjecto, non modo cum Theologicis rationibus non convenire, sed & Philosophicis planè adversari, esseque à ratione alienam & incomprehensibilem, parumque tutam in fide.* Quando autem loco isto Vir Doctissimus a[illegible] emplastro vulneri mederi vult, asserendo: *remanere post consecrationem solam panis & vini superficiem, illamque esse, quæ omnes nostros sensus afficiat,* Apostolum *Paulum* hostem h[illegible], qui I. Cor. X, 15. *panem*, non speciem vel superficiem panis, *κοινωνίαν esse*, dixit *corporis Christi.* Sanæ etiam rationi asserto isto suo adversatur, ut ostensum est à *Johanne Lavatero* [illegible] Metaph. p. 89. Adde *Hottinger.* Ennead Dissertat. Disp. VI. p. 143. Quod apud Antiquos [illegible] tres de ista veritate Philosophica ne dubium quidem olim exstiterit, ostendit *Edmundus Albertinus* de S. Euchar. lib. I. c. XX. p. 126. *Baronius* etiam consentit, dum Tom. V. Annal. ad an. 496. n. 15. p. 666. scribit: *Quonam pacto vocis convenit proprietati, ut id accidens [illegible] sit, quod non est in subjecto? Si accidens cui accidit? Si non accidit, neque in subjecto est, [illegible] modo propriè accidens dici potest:* Et sanè, qui rem secum velit pressius cogitare, h[illegible] *Transsubstantiatores* istos inter ἀσόφους Philosophos numerabit, & inter ἀλόγους Theologos, qui & naturæ leges, & DEI verbum susque deque habeant & pervertant. U[illegible] illud *Aristotelis* Metaphysic. lib. V c. 2 Ἔστι γὰρ οἱ τῶν σοφιστῶν λόγοι [illegible] ὡς εἰπεῖν, μάλιστα πάντων. *Sophistarum etenim rationes circa accidens, ut [illegible] ximè omnium sunt.* Loquimur tamen, quod probe [illegible] de physica re [illegible], quatenus sunt in re ipsa, non quatenus in nostro intellectu per metaphysicam. N[illegible] est, entitates quasdam partiales in rebus mente distingui, d[illegible] re[illegible] [illegible] rantur, & singulis entitatibus suas proprias essentias mentaliter assignari, [illegible] tegra & completa cujusque rei actu & physice existentis, substantia tantum [illegible] sua inhærent accidentia, quæ propriam essentiam actu existentem nullam ha[illegible] possunt. Reliqua pete à *Marco Antonio de Dominis* de Republ. Eccles. par. [illegible] n. 189 p. 262.

dici horum poteſt, niſi manifeſta veritati vis inferatur. Non *primum*, quia ſpecies illæ non eſſent venenatæ, quod eſt contra hypotheſin; & concipere facilius ſubſtantiam ejusmodi ſola mentis operatione poſſumus, quam dicere, veneni ſubſtantiam in unione reapſe à venefica qualitate ſeparari poſſe. Nec *ſecundum*, quoniam alicujus ſubjecti qualitas non poteſt alteri ſine ſubjecto ſuo communicari: alioquin accidentia migrarent de ſubjecto in ſubjectum, quod naturaliter fieri non poſſe omnes agnoſcunt. Miraculum autem in gratiam venefici ſacrificuli ad homines perimendos ſupernaturaliter Deoque auctore fieri, quis vel cogitare auſit? Deinde accidens accidenti accideret, dicique lineæ, ſuperficies, & albedines poſſent venenatæ eſſe, quod non minore abſurditate laborat: *Accidens* enim ex mente *Ariſtotelis* lib.III. Metaphyſ.c.IV. *non eſt accidenti accidens, niſi in quantum ambo eidem ſubjecto accidunt.* τὸ γὰρ, verba ejus ſunt, συμβεβηκὸς ὐ συμβεβηκότι συμβεβηκὸς, εἰ μὴ ὅτι ἄμφω συμβέβηκε ταὐτῷ. Lege etiam cap. VII. lib.IV. *Metaphyſ.* Aut igitur falſum eſt, qualitatem veneficam ſe communicare ſpeciebus ſeu accidentibus ſacramentalibus, aut neceſſariò manere debet panis ac vini ſubſtantia, quæ ambarum commune ſubjectum ſit. Tandem nec *tertium* dici verè poteſt. Nam ſi venenata ſubſtantia cum mortifera ſua qualitate ſpeciebus ſe ſacramentalibus communicaret, eæque ſpecies nonniſi accidentia eſſent, ſequerentur duo, quæ, ubi ſapientiæ locus, ſequi non deberent. *Primò*: Subſtantiam ineſſe accidentibus, quod abſurdum eſſe ſupra ex Philoſopho audivimus, neque diffiteri poteſt *Suarezius* in III. *Thom.* Tom.I.Diſp.XIV.q.4.ſect.4.p.322. *Subſtantia non poteſt ulla ratione poni in alio per modum inhærentis, quia hoc pugnat cum natura ſubſtantiæ, quæ omnino eſt incapax talis modi eſſendi.* Sequeretur *ſecundò*: Accidentia panis & vini uniri cum illa venenata ſubſtantia, cujus impoſſibilitas luce meridiana clarior eſt. Lege apud Philoſophum integrum decimum caput libri I. *de Generat. & Corrupt.* Non videt lucem iſtam, nec patitur ea oculos ſuos ac mentem illuſtrari *Suarezius*, quando in III. *Thom.* Tom.III.Diſp.LVII.q.77.art.8.ſect.4.p.696. *non obſtare*, ſcribit, *quod ſecundum Ariſtotelem accidens non poſſit miſceri*

substantiæ, quia tunc non misceatur quantitas per modum accidentis, sed per modum substantiæ tanquam per se existens. Ast minus bene philosophatur Celebris cæteroqui Philosophus. Quantitas enim non magis existere potest per modum substantiæ, quam substantia per modum accidentis. Proprium etiam non accidentium sed substantiarum esse rebus misceri, modò monuimus. *Quantitas* autem, etiam ex falsa hac *Surezii* opinione, *per se existens* accidens est, eaque propter misceri rebus non potest. Itaque cum species sacramentales misceri unirique possint, & aliquando revera mixta fuerint cum venenata substantia, necessarium omnino est ut aliud quid sint, quam nuda panis & vini accidentia, substantia nimirum panis & vini post consecrationem remanens. Confer quæ in hanc sententiam Cardinali *Perronio* idem lib. III. de Euchar. cap. XX. cum Bellarmino objicienti *Edmundus Albertinus* respondit lib. I. *de Eucharist.* c. 19. p. 125. Ad postremam *Bellarmini* exceptionem, *nihil verti posse in corpus & sanguinem Domini, nisi quod ipse instituerit, panem & vinum*; præter modo dicta hoc unum addo, quod propria sic vineta Cardinalis cædat, suoque se gladio jugulet. Quando enim de aqua vino mixta, (quod crama quam necessarium Papistæ judicent *Tridentini Concilii* anathema docet Seß. XXII. can. IX.) quæritur, an in *transsubstantiatione* reliquorum symbolorum substantia illius maneat, num verò cum illis pariter immutetur? Abeunt quidem nonnulli in eam sententiam, *aquam neque permanere in propria specie, neque etiam in aliam transmutari, sed omnino virtute sacramenti in nihilum redigi:* Alii volunt, *aquam verti in illam aquam, quæ ex latere Christi simul cum sanguine effluxit:* Nonnulli dicunt, *cum vino in sanguinem Christi transsubstantiari:* Glossa cum quibusdam aliis existimat: *aquam in humorem vitalem aquaticum vel phlegmaticum corporis Christi converti,* (quod vero opinari nefas dicit *Durandus* Rational. Divinor. Offic. lib. IV. c. 42. pag. 173. b.) Multi asserunt, *aquam simul cum sanguine in propria substantia post consecrationem permanere;* à quibus dissentiunt, *qui eam partim in vinum converti, & partim simul cum sanguine permanere arbitrantur.* Plurimi tamen, & inter hos integra Concilia *Florenti-*

num, *Lateranense*, *Tridentinum*, scriptoresque fere recentiores omnes docent dicuntque: *Aquam prius in vinum, & mox è vino in sanguinem commutari.* Vide de portentis istis opinionum *Philippum Mornaum* de S.Eucharist.lib.IV.c.9.p.1654. & D.*Christiani* in Jesuita Pseudo-Irenarch. p.211. Quemadmodum igitur paululum aquæ, si vino misceatur, transit in eandem speciem, cur non & venenum in eandem transibit? Quod peculiare præceptum vel miraculum intervenire ostendent, quò minus venenũ immutetur, impediens? Atque hinc etiam *Stephani Gardineri* exceptio responsionem accipit, *ad objectionem* 67. de cujus vanitate, dicam & liberè, ineptia, prolixius egit *Petrus Martyr* Defens. Doctrin. Veter. advers. Gardin. part. I. p. 253.

§. IV.

Viam nunc ego *Bellarmino* & sociis monstrabo, qua felicius multò pugnam adeo infestam elabi potuissent. Diximus in secundæ sectionis §.9. cum de concordia inter Veteres scriptores soliciti essemus, hostiam nonnullos, multos calicem, quosdam etiam utrumque veneni latibulum dicere, quos inter locum mihi visi sunt principem tenere, qui *Henricum* Imperatorem in *ablutione calicis*, (cujus in Romana Ecclesia post sumtam Eucharistiam usus est,) venenum accepisse tradiderunt, tametsi forte scelesti Monachi non destiterint hostiam etiam veneno illinere. Quod si igitur Imperator in ista *Calicis ablutione* venenum accepit, *transsubstantiatoribus* ægrè non fiet, qui non nisi panis vinique symbola, nequaquam verò vinum non consecratum, (quod in *ablutione Calicis* communicantibus præbetur) immutari statuunt. Reliqua tamen exempla in primæ sectionis fine annotata obstabunt, quo minus de nostri argumenti imbecillitate gloriari poterunt. Neque certi omnino sumus, cum *Henricus* Imperator necaretur, hostiam etiam veneno non fuisse inquinatam: Et tandem *transsubstantiatores* certos nos reddere non poterunt, simile quid nec hactenus contigisse, nec fieri quoque unquam posse; & sic tempus non erit, quin argumentum nostrum strenuè militet. Cur autem credamus, *ablutionem Calicis* poculum mortiferum inprimis continuisse, gravissima sequentium

Historicorum auctoritas efficit, quorum verba & nomina, etmetsi jam sint in prima sectione adducta, non injucundum erit denuo audire. Auctor, cui debemus *Veterem Collegiatæ Ecclesiæ S. Basilii in Brunsvvik membranam*, & qui anno post demortuum Imperatorem obiisse creditur, apud *Maderum* Antiquit. Brunsvvic. n. X p. 172. hæc habet: *Occisus*(Henricus) *per venenum in ablutione postquam communicaverat*. Post hunc *Ioannes Vitoduranus* ab *Hottingero* Histor. Eccl. part. III. c. XIV. p. 743. citatus idem confirmat: *Post S. Sanctæ hostiæ Imperatori porrectam refectionem, & ab eo reverenter sumtam, in communione calicis, venenum in juncturarum digitorum manus suæ complicatione occultè & dolosè conditum & reservatum, potum vini invisibiliter* (Monachus) *immiscebat, & Imperatori epotandum præbebat.* Videtur quoque auctor rhythmorum pag. 26. à nobis allegatorum hoc innuere sequentibus rhythmis:

Sic Satanæ Archangelus
Transformans se sic angelus,
Infector luculentus,
Post vitæ alimoniam
Dans mortis acrimoniam
A*micus fraudulentus.*

Sumitur enim *ablutio calicis* demum post acceptam hostiam, quam potione ista deglutire eo felicius nituntur. *Henricus Rebdorffiensis* Tom. I. Scriptor. *Freher*. p. 417. *Quum devotè sumeret* (Henricus) *corpus & sanguinem Dominici sacramenti, in ablutione Calicis per quendam fratrem ordinis Prædicatorum immissum est venenum in calicem.* Eadem cum *Rebdorffiensi* refert auctor vetus, qui *Balduini* Henrici Fratris res descripsit, lib. II. c. 17. Tom. I. Miscellan. *Baluz.* p. 132. A *quodam ordinis Prædicatorum religioso Dominici corporis Christi sacramentum devotè* (Henricus) *recipiebat; cujus sodalis ejusdem professionis ablutionem sumendam in calicem fundebat, quem ipse Imperator fidelissime sumebat.* Audiamus & *Albertum* Argentinensem ejusdem seculi scriptorem Tom. II. Scriptor. *Urstis*. p. 118. *Dicebatur enim quod ipse Prædicator venenum sub ungue digiti tenens absconsum post communionem potui Cæsaris immisisset.* Unde, quem calicem

in *Commentario de Bartholdi à Buchecke Episcopi Argentinensis gestis* eodem Tomo *Urstis.* p. 167. *Intoxicato Imperatore in calice per quendam Prædicatorem ipsum communicante post Missam &c.* intelligeret, scire nos voluit. Intelligit nimirum cum *Rebdorffiensi* & *vita Balduini auctore* (quorum verba hinc explicanda) non cum calicem, quem *conficiens sacerdos* ebibit, sed scyphum, sive separatum quoddam vas, in quod sumenda *calicis ablutio* funditur, Laicisque à Diacono ministrante præbetur. De quo calice reliqui etiam scriptores *maximam partem locuti videntur, qui ex calice mortem *Henricum* hausisse tradiderunt. Laudatis his ex ipso , quo *Henricus* veneno sublatus fuit , seculo , duos adhuc ex XV. seculo subjungimus, qui conformia prioribus scripserunt, *Gobelinum de Persona* in Cosmodrom. Ætat. VI. c. 68. p. 239. *Sed veneno ipsum* (Henricum) *fuisse intoxicatum à quodam fratre de ordine Prædicatorum, dum ablutionem communionis recepit, fama perhibuit* ; & auctorem *Chronici Saxonici*, (de quo pagina hujus dissertationis 65. consulenda) **In dussem selven Jare/** (An. 1313.) **do lyt de Pawwes den guden Keyser Hinrick van Lützeborch vorgheven/ dat dede eyn monick der Prediger Orden / unde vorgaff ome yn der spoling/ also he dat sacramente hedde entfanghen.** Hoc quoque dum asserimus, multas difficultates superamus , quæ immeritò nonnullis visæ fuerunt insuperabiles. Sic communionem, quam *sub una* appellitant , non negamus seculo XIV. in usu jam fuisse, ut ** rarum quid & insolens fuisset ,

* Non omnes. Unde non planè spernimus, quod Celsissimus Anhaltinus Princeps *Georgius* Opp. Theol. German. p. 207 a. & 326. ex *Chronico quodam Archi Episcoporum Magdeburgensium* in vita *Burchardi* Episcopi allegat : *Qui* (Henricus) *mirabili veneno interiit, calice salutis verso in vas mortis.* Concedimus quoque optimo Principi, intelligi ista de *ablutione calicis* non posse. Negamus autem, hanc veneno non etiam inquinatam fuisse. Fundamentum negationis & ratio ex textu nostro satis, spero, constabit. Taceo, quam facile fieri potuerit, ut auctor istius Chronici, (sive is XIV. sive XV. seculo vixerit) utrumque poculum confunderet. Grato interim animo testimonium istud accepimus , & testium nostrorum splendorem eo læti augemus.

** Novimus tamen, Romanam Ecclesiam hac in re viris Principibus & nunc & olim quandoq; indulsisse. Certum est, Galliæ Reges hodienum cœnam integram, &, quod ajunt, sub utraq; percipere, quod Legatus Gallicus *Guilielmus Bellajus Langæus* in Conventu Smalcaldico, ipsum *Franciscum* Galliarum Regem scire nostros voluisse, testatus est apud *Sleidanum* Comment. lib. IX. p. 262. dixisse nempe Regem, *Gallia Regibus administrari totam : & cum inter disputantium*

ſet, ſi *Henricus* conſecratum calicem epotandum accepiſſet; neque falſi tamen poſtulamus ſcriptores, qui in calice venenum latuiſſe aſſeruerunt. Sic & illis os obturatur facilius, qui *transſubſtantiationis* ἀσέφῳ dogmati nimis inhærentes, ob ſceleris magnitudinem aſſenſum præbere nobis detrectarunt: Minus namque crimen eſſe, *ablutionem calicis* veneno inficere, quam hoſtiam aut calicem, in diſceptationem non venit. Quin & Monachorum ſanctitati patrocinamur, quum Cæſaricidas Monachos hoſtiæ benedictæ pepercisse, contra verò *ablutionem calicis* veneno inquinaſſe dicimus.

tandum Rex Theologis ſuis hoc ipſum aliquando objecerit, reſpondiſſe eos, unctos eſſe reges aque ac ſacerdotes, & ſcripturam loqui de ſacerdotio Regali. Ita *Ludovicum* XIII. quum Durocorti Rhemorum inaugurarentur, *corpori & ſanguini Jeſu Chriſti ſub duabus vini & panis ſp[illegible]* *participaſſe* ſcribit *Grammondus* Hiſtor. Gall. lib. I. p. 18. Et in *Concilio Tridentino* Oratores Galli petierunt, quidquid de communione ibi ſtatuerent Patres, ita temporibus accommodare[illegible]tur, ut ne prærogativæ Regum Galliæ præjudicarent, qui inauguratione ſua calicem accipere conſueverint. *P. Suavis Polan.* Hiſtor. Concil. Trident. lib. VI. p. 620. Referunt privilegium iſthoc quidam ad *Clementem* VI. Pontificem, & ad binas tantum vices reſtringunt, ne[illegible] dum Galliæ Rex ungitur, & quando in articulo mortis conſtitutus eſt. Vid *Caſal.* de Vet. Sacr. Chriſt Ritib. c. XL. p. 87. De Regibus Angliæ eodem privilegio olim gaviſis [illegible] *Antonium Dianam* in ſumma p. I. p. 229. Eandem etiam gratiam Imperatoribus factam [illegible]ſe ex *Auguſtino Patritio* loco præcitato refert *Caſalius*. De Imperatoribus Conſtantinopolitanis ſanguinem non minus quam corpus Dominicum, dum coronarentur, accipientibus [illegible] *Curopalatam* cap. XVII. n. 44. Quo igitur iſtis jure facile etiam fieri potuit, ut *Henrico* VII. calix fuerit conceſſus. Quam imperitè autem *regale ſacerdotium* ex I. Petr. II, 19. Galli apud *Sleidanum* huc allegent, norunt illi, qui ad quosvis Chriſtianos illud pertinere ex S. codice didicerunt, I. Pet II, 5. Apoc. I, 6 c. V, 10. Pſ. XLV. 6. Hebr. I, 9. 1. Joh. II, 27. Optime *Auguſtinus* inquit lib. XX. de Civ Dei, c. X, Tom. V. Opp p. 413. *Sicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum chryſma, ſic omnes ſacerdotes, quoniam membra ſunt unius ſacerdotis. De [illegible] Apoſtolus Petrus, Plebs, inquit, ſancta, regale ſacerdotium.* Et *Ambroſius* de ſacram. c. I. Tom. IV. Opp. p. 375. *Populus ipſe qui eſt niſi ſacerdotalis? Quibus dictum eſt Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, ut ait Apoſtolus Petrus: Unusquisque ungitur in ſacerdotium, ungitur in regnum. Sed ſpiritale regnum eſt, & ſacerdotium ſpirit[illegible].* Num [illegible] expediat, uſum calicis aliquibus provinciis vel regnis poſtulantibus ſub [illegible] ob aliquas honeſtas cauſas concedere, latè diſputat *Alphonſus Salmero* Comm[illegible] in IV. Evangel. Tom. IX. tract XXXVII. p. 307. ſeqq. tandemque in negantem ſententiam conce[illegible]. Quem legere omnes debent, quibus hodienum ablati calicis reſtitutio promittitur, ſi Romano Pontifici fidem dare promittant. Explica etiam inde *Boſſuetum* in tractatu G[illegible] *Communione ſub utraque* part I. p. m. 91. Exempla eorum plurima, quibus promiſſa [illegible] reſtitutio calicis, collegit *D. Gerhardus* LL. Theol. Tom. V. de S. Cœn. §. 47. p. 3[illegible] & [illegible] & Confeſſ. Cathol. lib. II. part. II. Art. XIV. c. 7. p. 1063 ſeqq. Qui repererint, ſuppeditat *Calixtus* de Commun. ſub Utraque p. 28. ſeqq. quem & de *Bohemorum* petitis, pag. [illegible] vide differentem.

mus. Scilicet! Non adversatur denique huic nostræ opinioni, quod multi veterum referunt, *Henricum* Imperatorem consilia Medicorum recusasse, *quandoquidem corpus Dominicum* (non igitur ablutionem calicis) *evomere nolit atque cordis sui domicilio expellere.* Noverat enim Imperator, uno vomitu & acceptam hostiam expulsum iri & *calicis ablutionem.* Quo tamen metu liberare eum potuisse *Glossa* in Gratiani Decret. Can. Tribus Gradibus 22. de Consecrat. Dist. 2. *Certum est*, inquiens, *quòd species quam citò dentibus teruntur, tam cito in cœlum rapitur corpus Christi:* Quæ verò ipsa glossa non modo à Canonistis & Scholasticis variè exagitatur, sed etiam in ipsa *Gregorii* XIII. nova editione ex *Thoma* in margine corrigitur: *Manet corpus Christi, quandiu species manent, quæ descendunt in stomachum & nutriunt. Sanctus Thomas part. 3. q. 75. art. 4. 5. & 6.* Et censura in Glossas Juris Canonici præcisè: *Deleantur omnia hæc verba.* Confer, unde hæc novimus, *Mornæi* librum *de Eucharistia* lib. IV. c. 8. p. 1642. & c. 9. p. 1652. nec non Confessionem Catholicam D. *Gerhardi* lib. II. part. II. Art. XIV. c. 2. p. 1002. Addo, pluscula utut sint, quæ *Durandus* habet *Rational.* Divinor. *Offic.* lib. IV. c. 41. n. 41. & 42. p. 169. *Sed quid est de corpore Christi, postquam sumptum fuit & comestum? Responderi potest, quod si præsentia quæritur corporalis, in Cœlo quæratur, ubi Christus est in dextra* Dei *sedens, de consec. dist.* II. *tribus. Ad tempus tamen præsentiam adhibuit corporalem, ut ad spiritualem præsentiam invitaret. Unde cum sacramentum tenetur, gustatur & comeditur, Christus corporaliter adest in visu & in sapore: & quandiu corporalis sensus afficitur, corporalis præsentia non aufertur. Postquam verò in percipiendo sensus deficit corporalis, deinceps non est quærenda præsentia corporalis: sed spiritualis est retinenda, quia dispensatione completa Christus de ore transit ad cor. Melius est enim, ut procedat in mentem, quam descendat in ventrem: cibus est non carnis sed animæ: venit ut comedatur, non ut consummetur: ut gustetur, non ut incorporetur: ore comeditur, sed stomacho non digeritur: reficit animum, sed non effluit in secessum. Illud verò, quod* Dominus *ait*: *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: non de spirituali, sed de carnali cibo dictum est. Quod si forte secessus, aut vomi-*

*tus post solam Eucharistiæ perceptionem evenerit, ex accidentibus humoribus generatur: cum interdum humores absque cujuslibet cibi materia, vel effluant in secessum, vel emittantur ad * vomitum, ita quod quantum ad nos, servat per omnia corruptibilis cibi similitudinem: sed quantum ad se non amittit immolabilis corporis veritatem, species quandoque corroditur, & maculatur: sed veritas nunquam corrumpitur, aut inquinatur: sed quando tale quid videris, noli timere sibi, sed esto sollicitus tibi, ne tu forte lædaris, si malè credideris.* Talis causa talibus digna est probationibus!

* *Synodus Nemausensis* A. 1284. celebrata, cap. de Sacramento Eucharistiæ Tom. XI. *Conciliorum* p. 1211. editore *Labbeo* hæc præcipit: *Si quis per ebrietatem vel nimiam comestionem evomuerit Eucharistiam, si Laicus est, quadraginta diebus pœniteat, si Clerici fuerint, vel religiosi, vel diaconi, vel presbyteri, septuaginta diebus pœniteant: & si per infirmitatis causam evomuerit, septem diebus pœniteat.* In consilium hæc advocare debuisset *Henricus* VII. Imperator, vel recordari saltem ejus, quod *synodus Coloniensis* A. 1280. decreverat cap. VI. *Tom. eod.* p. 1115. *Si communicatus evomuerit, partes diligenter & cautè, quæ reperiri potuerunt, colligantur: & contrita cum vino, ab aliquo fideli sumantur: residuum vero vomitus comburatur, & ponatur in terram juxta altare vel alibi, ubi commodè fieri poterit.* Confer Scholasticorum opiniones apud *Salmeronem* Comment. in N. T. Tom. IX. tract. XXXVI p. 299. Nihil Christum in hostia transsubstantiata absconditum eo pati quidam asserunt, *quam quidem multò graviora in terris passus sit, cum pulices aut culices ejus sanguinem sugerent.* Vid. *Petr. Molin.* Hyperaspist. lib. II. c. I. p. 314.

§. V.

De isto *ablutionis*, ut vocant, *calicis* ritu operæ precium erit, ferente sic occasione, quædam hic, quam pauca etiam & levia sint, annotare. Varia aliis & multiplex lectio, subactumque in his rebus judicium plura atque accuratiora suppeditabit. Invenio autem apud Romanenses in S. Eucharistia obtinere duplicis generis *ablutionem*, alteram, qua manus digitique abluuntur, pro conficientibus sacerdotibus, alteram abluendo ori inventam pro communicantibus Laicis reliquisque non missificibus Clericis. Illa triplex nimirum est: Primò * sacerdos, postquam vestes ad tantum apparatum necessarias induit, & capillos pectine composuit, manus & faciem lavat, *Deum interim*

* De ceremoniis, quæ circa manuum ablutionem observari solent, si quando contingit, Papam Missæ sacra facere, lege libr. III. *Sacrar. Cerimon. sanct. Roman. Eccles.* p. 353 b. edit. Colon 1572. In compendio, quid Papa faciat, lege apud Cardinalem *Bonam* Rer. Liturgic. lib. II. c. 17. p. 860. Prolixius apud *Casalium* de Veter. Sacr. Christ. Ritib. c. 81. p. 332. seq. Confer etiam ex *Ordine Romano* nostrum *Dorscheum* Mysar. Miss. c. 12. §. 33. p. 343.

interim exorans ut sicut exterius abluuntur manuum inquinamenta, sic ab eo mundentur interius sordes mentis: est enim corporis munditia interioris innocentiæ professio: ista habet Cardinalis *Bona* lib. II. Rer. Liturgic. c. 1. p. 546. *Missale Romanum* Rit. Celebrat. Miss. c. 1. §. 1. *De præparatione sacerdotis celebraturi*, manuum tantum meminit, quas sacerdos lavare teneatur, *Durandus* verò *Rational.* Divin. offic. lib. IV. c. IV. p. m. 94. quod modo docuimus tradidit: *Caligis & sandaliis impositis Pontifex & sacerdos caput pectinat, manus & faciem lavat.* Cujus etiam ex n. 4. p. 95. audiamus causas istius *manuum ablutionis* (nescio enim quî in hujus lepidis argumentis mihi complaceat) *Manus quoque lavat propter reverentiam tanti sacramenti, quatenus ad illud pertractandum mundissimus accedat; Unde Grego. in pastor. lib. I. cap. 12. Necesse est, ut munda studeat esse manu, qui diluere sordes curat. Corporaliter igitur lavat manus, ut spiritualiter mundat actus, juxta illud Psal. Lavabo inter innocentes manus meas &c. ne quasi illotis manibus ad mensam pervenire videatur: non quod lutum manuum divina sacramenta contaminet, sed si quis indignè manducat & bibit, judicium sibi manducat & bibit?* & paucis interpositis: eadem * paginâ n. 6. *Sacerdos ergo prius*

* Nominat etiam *Durandus* loc. cit. sudarium, quo sacerdos sacra facturus manus extergit, *manutergium*, de quo ait: *Deinde manus lotas manutergio tergit: quia post lachrymas contritionis peccata abhorrere & abolere, per opera satisfactionis debet. Linum quidem per laborem ad candorem perducitur, & pœnitentes per satisfactionem ad perpetuam glorificationem perducunt.* Quem *Durandi* locum antiquitatis studiosus Lector ad *Caroli du Fresne Glossarium* adjiciet Tom. II. p. 431. ut & qui in Concilio *Carthaginensi* IV. capit. V. Tom. II. *Concil. General.* p. 1200. huc spectare reperitur. *Tria manutergia juxta altare haberi* præcipit *Synodus Bajocensis* A. 1300. coacta Tom. XI. Concil. General. *Labbei* cap XXI. p. 1453. *Unum ad primam ablutionem, secundum post Evangelium, tertium post sacramenti susceptionem. Aliud sit pendens circa Missale ad tergendum os & nares, si opus fuerit sacerdotis.* Adde *Coloniensis Synodi* A. 1280 simile præceptum *eod Tom.* p. 1113. necnon constitutionem *Ricardi* Episcopi Sarum dicto Conciliorũ Tomo c. XXXVII. p. 258. (quæ corrigenda ex p. seq. 546.) Vocari alio nomine *Fano* solet. Ita *Alcuinus* de divin. offic Biblioth. Patr. *de la Bigne* Appendic. p 1988. *sudarium, quod ad tergendum sudorem in manu gestari mos est, quod usitato nomine fanonem vocamus.* (Alias istius Vocis significationes habet *Vossius* de vitiis sermon. lib. II. c7 p. 205.) Quandoque etiam *Mappula* audit in locis, quæ *Carolus du Fresne* citat part II. *Glossar.* p. 434. Adde *Menardum* ad libr. Sacram. Gregor. p. 282. In ejus locum *Manipulus* suffectus est, *sed*, ut *Bona* ait, Rer. Liturg. lib. I. c. 24 p. 409 *non ad tergendas sordes sed ad ornatum.* Diversum ab hoc esse credo *Purificatorium*, quo utuntur ad tergendum calicem peracta communione, loco cujus Græci *spongiam* usurpant, qua & calicem & discum detergunt, ut docet *Goar* in notis ad Græcorum Euchologi. §. 177. p. 151.

go prius quam ad altare veniat, per confessionem, sive lachrymis pœnitentiæ se abluat, per mentis amaritudinem se purget, per considerationem vitæ sanctorum se informet. De primò dicitur: Mundamini, qui fertis vasa Domini. De *secundo: Expurgate vetus ferm. &c.* De *tertio: Habentes impositam nubem, deponamus omne pondus & circumstans nos peccatum, ut sit in numero innocentium audacter dicentium:* Judica me Domine, *quoniam ego in innoc. &c. Et infrà: Lavabo inter innocentes manus meas, & cir. alt. tuum.* Iterum manus suas sacerdos lavat, quando verba consecratoria mox dicturus est: *Tum junctis ante pectus manibus*, hæc habet *Missale Romanum* Rit. Celebr. Miss. c. VII. de Offertor. §. 6. *accedit* (Sacerdos) *ad cornu epistolæ, ubi stans, ministro aquam fundente, lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis & indicis, dicens Psalmum: Lavabo inter innocentes. Cum Gloria Patri &c.* Adi etiam *Iohannem Baptistam Casalium* de sacr. veter. Christian. Ritib. c. IX. p. 80. nec non arma bellumque canentem *Bellarminum* de Missa lib. II. c. 15. Tom. II. Controv. p. 1129. Et de hac *ablutione*, quæ fit circa offertorium, invenimus etiam Veteres olim fuisse locutos, ex quorum limpido fonte impurus iste Papistarum rivulus derivatus erit. *Dionysius Areopagita* (quemadmodum quidem multis in Papatu videtur) *de Eccles. Hierarch.* cap. III. §. 2. p. 243. καὶ νιψαμένων τὰς χεῖρας ὕδατι τοῦ ἱεράρχου καὶ τῶν ἱερέων. *Tum lotis aqua manibus Pontificis ac sacerdotum* & §. 10. p. 254. τούτων δὲ κατ' ὃν εἴρηται θεσμὸν ἱερουργηθέντων, ἑστὼς ἐπίπροσθεν τῶν ἁγιωτάτων συμβόλων ὕδατι τὰς χεῖρας ὁ ἱεράρχης νίπτεται μετὰ τοῦ σεπτοῦ τῶν ἱερέων τάγματος. *His autem eo, quo dictum est, ritu celebratis, adstans coram symbolis sanctissimus Pontifex aqua manus abluit cum sacerdotum ordine venerando.* Reliqua, quæ *Pseudo Dionysius* habet de sensu istius consuetudinis legi apud eum citato loco possunt & addi, quæ S. *Maximus* in scholiis habet p. 73. *Clemens* Romanus Episcopus, auctor (si nostris placebit, Papæis enim multis non placet, vide unum *P. de Marca* de Concord. Sac. & Imp. Tom. I. lib. III. c. 2. p. 393.) *Constitutionum*, quæ tribuuntur S. Apostolis, lib. VIII. c. XI. Tom. I. Conciliorum à *Labbeo* & *Cossartio* Jesuitis editorum p. 472. εἷς δὲ ὑποδιάκονος διδότω ἀπόνιψιν χειρῶν τοῖς ἱερεῦσι σύμβολον καθαρότητος ψυχῶν Θεῷ ἀνακειμένων. *Unus autem hypodiaconus ministret*

ſtret aquam ſacerdotibus ad lavandum manus, quod eſt ſignum puritatis animarum, quæ Deo dicatæ ſunt. Cyrillus Hieroſolymit. *Catecheſ.* V. *Myſtic.* f. 239. *Vidiſtis* Diaconum *aquam lavandis manibus porrigentem ſacerdoti, & illis qui circum altare* Dei *ſtabant presbyteris:* addit etiam ritus iſtius mentem in ſequentibus : *ſed illa manuum ablutio ſymbolum fuerit,* τὸ δεῖν ὑμᾶς καθαρεύειν πάντων ἁμαρτημάτων καὶ ἀνομημάτων, *oportere vos à peccatis omnibus & iniquitatibus mundari. Cum enim per manus deſignentur actiones, lavare certè easdem munditiem & puritatem operum ſignificat.* Juvat denuo rei egregias ex *Durando* audire rationes *Rational.* lib. IV. c. 28. p. 38. & 39. *Prius, quam ſacerdos offerat, manus iterum lavat, quamvis prius dum veſtibus ſe ornaret, laviſſet, prout dictum eſt ſub titul. de Capitis coopertione. Et etiam poſt ſecundam turificationem iterum lavat: ut ſic magis ac magis mundatus offerat hoſtiam immaculatam, ſanctam, Deoque placentem. Nam & Pſal. cùm mundatus eſſet, petebat amplius emundari, dicens: Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato, &c. Lavat autem ſemper ad dextrum cornu altaris: nam dextra proſperationem, ſiniſtra adverſitatem ſignificat: quia igitur pluries peccatur in proſperis, quam in adverſis: juxta illud Pſal. Cadent à latere tuo ſcilicet ſiniſtro, mille & decem millia à dextris tuis, meritò magis lavandum eſt ad dextram quam ad ſiniſtram. Sacerdos itaque hoſtiam oblaturus lavat manus, ad ſignificandum quod lavare ac mundare debet conſcientiam lachrymis pœnitentiæ & compunctionis, juxta illud: Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Et ideo tunc dicit: Lavabo inter innocentes manus meas, id eſt, opera. & Eſa. Lavamini & mundi eſtote. Nam & Chriſtus prius, quam verum & unicum ſacrificium in ara Crucis offerret, in reſuſcitatione Lazari lachrymas miſeratus effudit, Evang. teſtante: Ieſus, inquit, infremuit ſpiritu: turbavit ſemetipſum & lachrymatus eſt. Lavat etiam manus, ne reus ſit corporis & ſanguinis Domini, juxta illud: Mundæ ſunt manus meæ à ſanguine hujus: & ut mundi ſint à terreno pane jam in populi oblatione recepto, vel à terreno deſiderio.* Quis poſthac de ſumma rei neceſſitate dubitabit? Quod autem *Durandus* inter alias lotionis iſtius cauſas eam quoque attulit: *ne ſacerdos reus ſit corporis & ſanguis Domini juxta illud Pilati: Mundæ ſunt*

manus mea à sanguine innocentis hujus, sequentia aculeata verba *Hospiniano* expressit, *Histor. Sacrament.* lib. III. §. XXIII. p. 221. *Sed manus suas ad hæc sua sacra nihilo puriores afferunt sacrificuli, quam Pilatus suas ad Christi damnationem. Quemadmodum enim ille manus quidem suas lavit, simul tamen innocentem sanguinem condemnavit: ita sacrificuli quoque lavant etiam manus terque quaterque, simul vero profanant & polluunt horribiliter institutionem Christi, jungunt sese etiam socios his, qui Dei filium cruci affixerunt, dum eum quotidie in Missa Judæis & Turcis deridendum propinant, & ipsimet eum conspuunt ac denuò in crucem agunt.* Orationem, quam sacerdos inter istam manuum ablutionem dicere tenetur, in *Latina Missa* à *Flacio Illyrico* olim Argentorati edita, & à Cardinale *Bona* doctissimis *Rerum Liturgicarum* libris appendicis loco adjecta inveni sequentem p. 936. *Largire sensibus nostris omnipotens Pater, ut sicut hic exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, & crescat in nobis sanctarum augmentum virtutum Per &c.* adde & alteram appendicem Cardinalis *Bonæ* p. 955.

§. VI.

Tertia denique *ablutio* fit post communionem exhausto calice, quando Diaconus promtissimè calici (unde & speciatim *calicis ablutio* nonnunquam audit, quandoque & *superfusio, profusio, perfusio, purificatio calicis*) vinum aliud, vel, (ut fieri in aliquibus Ecclesiis *Hospinianus* testis est, *Histor. Sacram.* lib. III. p. 242.) aquam infundit, qua primores digiti, quibus sacerdos mysteria contrectavit, & calix, dentesque & os abluuntur, ne quid forte in his Carnis Christi inhæreat vel sanguinis ejus. *Missale Romanum* Rit. Celebr. Miss. cap. X. De orat. Domin. & aliis usque ad factam communionem §. 5. sequentia sacerdotibus injungit: *Quibus sumptis dicit secretò, Quod ore sumpsimus, &c. & super Altare porrigit calicem ministro in cornu Epistolæ, quo vinum fundente, se purificat: deinde vino & aqua abluit pollices & indices super Calicem, quos abstergit purificatorio, interim dicens: Corpus tuum Domine, quod sumpsi, &c. Ablutionem sumit, & extergit os & calicem purificatorio.* Prodeat noster *Durandus*, & quamobrem istud obtineat, nobis exponat. Dicit is

Rational.

Rational. Lib.IV. c.55. n.1. p.205. *Post sumptum Eucharistiæ sacrificium sacerdos digitos abluit & perfundit: ne quid forte incautè remaneat seu adhæreat ex contactu divini sacramenti, non quod quicquam immundum ex ipso contactu contraxerit: sed ut potius suam commemoret indignitatem; qui se judicat tantis sacramentis celebrandis indignum, juxta illud, quod Dominus ait: Cum omnia bene feceritis, dicite servi inutiles sumus sicut & sacerdos legalis immundus erat, usque ad vesperam, post immolationem vitulæ ruffæ. Unde omnia vestimenta sua lavabat: Indignum quidem existeret, ut manus, quæ corpus incorruptibile contrectarunt, corpus corruptibile contingant: vel ad res communes tangendas accedant, donec studiosè laventur. Et propter hoc etiam quidam Missâ finita, exutis sacris vestibus, iterum manus lavant, &c.* lege etiam sequentia; tædet me enim ferme istarum ineptiarum. Ritus Missæ à *Ioanne* Episcopo Abrincacensi descriptus apud *Menardum* Sacram. Gregor. p.222. post Communionem sacerdotis & aliorum ait: *Particulam quæ in calice remansit sacerdos sumat, & post Diacono calicem ad mundandum & sumendum, quod remansit, porrigat, qui in sinistrum cornu altaris calicem cum patena deferat, ubi partem sibi accipiat, & partem sub-Diacono tribuat. Post mundato utroque utrique participent. Acolythus vero alterum calicem sacerdoti ad mundandos digitos deferat*: Sed quid de *ablutione* fieret non dicit. *Durandus* loc. cit. *jubet eam in locum mundum & honestum diffundi, ut altitudo Sacramenti reverenter honoretur.* Cardinalis Bona Rer. Liturgic. lib. II. c.20. p.898. putat *projectam in sacrarium, quia in antiquis Ecclesiis præsertim Monachorum singula altaria à parte Epistolæ parvam habuerint * piscinam in hunc usum paratam.* Bibisse tamen nonnunquam sacer-

* De piscina ista loquitur *Concilium Salmuriense* A. 1253. celebratum Tom. XI. Concil. cap. III. p.708 quand jubet *omnes ablutiones, si fieri potest, vel saltem primam in piscina reponi.* Et A. 1300. *Synodus Bajocensis* c. XXI Tom. eod. p. 1453. *Provideant sacerdotes, quod habeant piscinas juxta altaria decentes & mundas, ablutionibus manuum liberum cursum exhibentes.* Et c. p. tu o XXII. *Omnes ablutiones, si fieri potest, in piscina reponuntur, vel saltem prima: cætera autem in baptisterio.* Vapulabimus, nisi *Durandum* audiamus ex libro sæpius citato, *lib. I. c. I. n.39. p.8. Prope altare etiam, quod Christum significat, collocatur piscina seu lavacrum, id est Christi misericordia, in qua manus lavantur: ad notandum, quod in baptismo & pœnitentia, quæ per illam significatur à peccatorum sordibus diluimur, quod à Veteri Testamento tractum est, Legitur enim Exod. quod Moses fecit labium aneum cum basi sua in tabernaculum*

ſacerdotes iſtam potionem ex ſequentibus, quæ adducam, teſtimoniis colligi poſſe videtur. *Thomas Aquinas* Angelicus ille Doctor *Opuſcul.* XIX. de ſacerdot. Offic. part. I. Opp. Tom. XX. p. 574. a. edit. Pariſ. 1660. ait: *Debet autem vino ſacerdos perfundere digitos, poſtquam accepit totum Euchariſtiæ ſacramentum, & illud ſumere, niſi eodem die aliam Miſſam debuerit celebrare, quia ſi vini perfuſionem eodem die perciperet, non poſſet poſtea celebrare, ut puta non jejunus.* Eodem modo decernit *Synodus Nemauſenſis* An. 1284. Tom. XI. Concil. p. 1212. *Præcipimus etiam, quod in calice magis de vino quam de aqua ponatur, & quod ſacerdos, poſtquam totum acceperit corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum, duas receptiones faciat juxta conſuetudinem Eccleſiæ Nemauſenſis. Videlicet primam de vino puro tantum, ſecundam de vino & aqua, & cum iſta ſecunda ſimul perfundat digitos ſuper calicem, & poſtea recipiat, niſi cum eodem die aliam Miſſam debuerit celebrare, quia tunc non debet niſi ſanguinem, quod ſi faceret, celebrationem ſecundam impedit*, & paulo poſt p. 1213. *Tamen ſi in prima Miſſa poſt receptionem corporis Chriſti & ſanguinis, profuſionem acceperit, non debet ſecundam Miſſam in prædictis caſibus celebrare.* Sic & *Bajocenſis ſynodus* An. 1300. c. XV. Tom. cit. p. 1452. *Celebraturus quoque ſecundam Miſſam, vinum perfuſionis non ſumat, ſed miniſtro habenti bonam conſcientiam conferat.* Et ante hanc *Concilium Londonienſe* An. 1200. eod. Tom. Concil. p. 14. *Non liceat presbytero bis in die celebrare, niſi neceſſitate urgente, & tunc idem cum in die bis celebrat, poſt primam celebrationem & ſanguinis ſumptionem nil infundatur calici. Sane poſt primam celebrationem diligentiſſime abſorbeantur ſtillulæ de calice, & digiti ſugantur, vel lingua lambantur, & laventur, reſervata lotura in vaſe mundo ad id ſpecialiter deputato; quæ lotura ſumatur poſt ſecundam celebrationem.* Huic conformem edidit Conſtitutionem *Ricardus* Epiſcopus Sarum loc. cit. p. 258. & 546. quæ ita ſe habet. *Si verò ſacerdos neceſſe habeat aliquando bis in una die celebrare, quod non fiat, niſi in die Nativitatis vel Reſurrectionis Dominicæ, vel quando aliquod corpus in eccleſia tumulandum, vel aliqua evidens neceſſitas*

naculum, in quo Aaron ſacerdos & filii lavarentur, acceſſuri ad altare: ut in eo offerrent thymiama. Alia quædam Veterum loca congeſſit *Carolus du Freſne* Gloſſar. Tom. III. p. 286.

ceſſitas urgeat; poſt primam celebrationem & ſanguinis ſuſceptionem, nihil infundatur calici, quod à ſacerdote ſumatur celebrante, ſed tantum poſt celebrationem ſubſequentem. Poſt primam verò celebrationem diligentiſſime abſorbeantur ſtillæ de calice, & quod fuerit digitis ſuperfuſum reſervetur in vaſe mundo ad hoc ſpecialiter deputato: & poſt ſecundæ miſſæ celebrationem ſumatur, niſi forte in prima celebratione adſit Diaconus vel alius Miniſter *honeſtus, qui loturam illam ſumere poſſit abſque conſcientiæ ſuæ læſione.* Cumprimis pertinet huc *Colonienſis Synodi* ſententia A. 1280. lata, cap. VI. *de ſacramento Euchariſtiæ ſive Altaris* Tomo Conciliorum ſæpius hactenus citato pag. 1114. *Præcipimus ſub pœna excommunicationis, quam ferimus in his ſcriptis, ne aliquis ſacerdos bis in die Miſſam celebret, niſi in caſu urgentis & maximæ neceſſitatis, & in quibus* * *jus permittit. Et tunc in prima Miſſa poſt perceptionem ſanguinis, non utatur ablutione vini & aquæ: ſed reſervet in tuto ac honeſto loco, ut eam accipiat in ſecunda Miſſa, vel det honeſtæ perſonæ jejunæ, quam noverit ad hoc eſſe paratam.* Lucem etiam non exiguam, quæ ſequuntur, rei afferunt, digna adeo, quæ ſimul huc tranſcribantur: *Item ſi quid de ſanguine vel corpore Domini ceciderit ſuper pallam altaris, illa pars abſcindatur, & comburatur, & cinis in ſacrum locum vel piſcinam reponatur. Etſi pars corporalis intincta fuerit ſanguine ter diligenter abluatur: & aqua ablutionis à presbytero vel alia perſona religioſa & jejuna ſumatur. Et poterit dicto panno poſt ablutionem uti ſicut prius. Item ſi gutta ſanguinis ſuper veſtimentum ceciderit, illa pars abſcindatur & comburatur, & cinis in*

 ſacrum

* Caſus, quibus plusquam ſemel celebrare una die licet miſſam, ſeptem Canoniſtæ enumerant, ut ex *Martino ab Azpilcuet Navarr.* Tom. III c. 25. n. 87. *Paulo Laymanno* Theol. Moral. lib. V. tr. 5. c. 4. n. 6. & qui de illis multum ſolicitus eſt, *Thoma Hurtado* tract. 2. cap. 7. reſol. ult. memorat *Zieglerus* Jur. Canon. lib. II. Tit V. p. 371. Quod tamen intelligi ſemper ait *Coſmus Philiarcus* de offic. Sacerdot. Tom I. lib. II. c. 5. p 39. *ſi ſacerdos jejunus ſit, ita ut nec ſolitam calicis purificationem ſumpſerit, & alius ſacerdos, qui celebret, haberi non poſſit.* Olim non obſervabantur hæc, ubi reperiebantur, qui vel novies in die celebrabant *Walfridus Strabo* rer. Eccleſiaſtic. c. 21. Tom IV. Biblioth. patr. p. 555. Modum verò poſuit Concilium *Saleguſtadienſe*, quod c. V. Tom. IX. Concil. p. 845. vetuit, ne quis trium Miſſarum numerum excederet: *Item decretum eſt, ut unusquisque presbyter in die non amplius quam tres miſſas celebrare præſumat. Alexander* verò Papa ad unam revocavit, ut *Caſalius* docet de Veter. Chriſtian. Ritib. c. 9. p. 72. Nos totam hanc ſacrificandi ceremoniam inter βδελύγματα referimus Eccleſiæ Romanæ.

ſacrum locum reponatur, ut dictum eſt. Si ſupra lignum vel lapidem aut terram ſolidam ſanguis ceciderit: illa pars (ſi commode fieri poteſt) ablingatur à ſacerdote, & poſtmodum radatur, & illa raſura in ſacrum locum vel ſacram piſcinam reponatur. Item, ſi in ſanguinem muſca, vel aranea, vel aliquod abominabile ceciderit, quod vix ſine vomitu & periculo corporis ſumi poſſit, cautè extrahatur. Et ſuper patenam vel calicem alium abluatur cum vino, & poſt ſanguinis ſumptionem & ablutionem, illa lotio in piſcinam mittatur, & beſtia vel vermis ſuper piſcinam comburatur, & cinis in piſcinam ſive lavatorium mittatur. Ita etiam Conſtitutiones *Odonis* Epiſcopi Pariſienſis Tom. X. Concil. p. 1807. Adde, quod *Durandus* refert *Rational. Divin. offic.* lib. IV. cap. 55. n. 3. p. 205. b. *quoſdam hauſta purificatione calicem inclinare, ad oſtendendum ſepulchrum eſſe vacuum, quia ſurrexerit & inde prodierit Chriſtus:* Qui dubio procul geſtu iſto, quod olim voce Angelus Matth. XXVIII, 6. ſignificare volunt: *Surrexit, non eſt hic* (intellige in calice. Ubi igitur? In ventre ſacrificuli: ſed iſtud ubì Dominus dixit? ſicut angelus *dixiſſe Dominum* addidit, *ſe reſurrecturum aliquando eſſe.*) Confer etiam *Sacerdotale Baſilienſe*, ex quo huc ſpectantia verba in ſubſequente ſeptima paragrapho afferentur. Neque poſſum *Habeſſinorum* non meminiſſe, de quibus *Franciſcus Alvarez* l'Hiſtoire de l'Ethiopie cap. XI. p. 61. refert, quod miſſi ſex ſacerdos *calicis* etiam *ablutionem* ebibat. *Le prétre*, verba ſunt ejus, *qui a celebré la Meſſe, avec ceux, qui l'ont acompagné à l'autel (la communion finie) s'en retournent à l'autel, là où ils lavent le baſſin, au quel étoit le ſacrament avec l'eau, qui etoit dans le vaſe, qu'ils diſent être benite: & celle eau ſe jette dans la calice, pour être beue de celuy, qui à celebré la meſſe.* Idem refert in editione Germanica A. 1573. lib. XI. p. 95. E quibus, nî fallor, convincitur, *calicem* iſtum *ablutionis* non profuſum ſemper in *piſcinam* fuiſſe. Forte igitur diverſa in diverſis Eccleſiis inſtituta obtinuerunt, vel arbitrio ſacerdotis id omne relictum fuit, vel iſtam is ebibit *ablutionem*, quæ calici, in quo Dominicus ſanguis fuerat, infundebatur, reliquas autem, queis digitorum ſummitates ac faciem abluit, projecit, vel ſacerdos hauſit *calicem ablutionis*, ſi ſordes illi nullas ineſſe vidit, non

item si secus, quod postremum ex adductis *synodi Coloniensis* præceptis firmari inprimis posse videtur, vel denique in piscinam profundenda est ablutio, si sacerdoti alia adhuc restet missa facienda, ut præter citata Concilia *Alphonsus Tostatus* Paradox II. c.23. Tom. XII. Opp.part.2.p.45. explicat: *Omnes sacerdotes, quando facta consecratione in fine Missæ Eucharistiam sumunt, abluunt os aqua vino permixta, quod generaliter observatur, nisi cum aliquis sacerdos ex aliqua causa duas Missas celebraturus est, in prima non abluit os post communionem, ut non frangat jejunium degustando aquam & vinum, ut secundam possit Missam celebrare: In secunda tamen Missa os abluit.* Quicquid ejus sit, (nam rectiora ac meliora non detrectabo ab aliis antiquitatum Ecclesiasticarum peritioribus discere) satis habeo trinam illam *ablutionem* in sacerdotum usum destinatam, ex veterum monumentis eruisse. Cæterùm Lectoris maturo sagacique judicio relinquo, annon de tertia sacerdotum ablutione verba illa apud *Rogerium de Hoveden* Annal.part.prior.p.490. queis *Guilielmi* Eboracensis Antistitis simili modo(quemadmodum ex prima sectione p.149. constat) in Eucharistia veneno extincti necem descripsit, intelligenda sint, quando ait: *Eodem anno* (1154.) *Willielmus Eboracensis Archi-Episcopus in sedem suam honorificè est susceptus, sed multo post proditione clericorum suorum post perceptionem Eucharistiæ infra ablutiones liquore lethali infectus extinctus est.* Ut vel venenum in ista quoque *ablutione*, ut in reliquis Eucharistiæ partibus repertum fuerit, vel in his acceptum vim demum plenè suam exeruerit, cum *Guilielmus* poculum *ablutionis* pro more sumeret. Confer cum his quæ *Baronius* habet Tom.XII. Annal. ad an. 1140. n.16. p.305. *Bzovius* in Continuat. Annal. Baron. Tom.XIV. ad an.1313. n.18. p.216. ubi nostram *de Henrici VII. intoxicatione* historiam explodere irrito ausu conatur, istam quoque à sacerdotibus sumendam *ablutionem* in subsidium vocat & ait: *Calicem porro non miscuit* (veneno) *neque enim, quem ipse communicaverat, Imperatori propinavit: neque ablutionem manuum, post sacramenta à sacrificante desumpta, Imperatori porrigere ex decori rationibus existimavit.* Adeo probè *Bzovius* novit, quid Cæsaricida facturus cogitatursve

ve fuerat, acsi diu eodem cum illo tecto fruitus fuisset. Occidere qui aliquem vult, semper de *decori rationibus* cogitabit! Laborat ista *Bzovii* argumentatio non sufficiente partium omnium allegatione: Restat enim *calicis ablutio* altera, à Laicis & non conficientibus (loquor cum Papæorum schola) sacerdotibus haurienda, in qua veneni maximam partem delituisse constare poterat *Bzovio*, si non, utut callidè subticeat, constiterat. Quamobrem *Brovverus* Tom. II. Annal. Trevir. lib. XVII. p. 194. seqq. & *Spondanus* Tom. I. Continuat. ad an. 1313. n. 6. p. 383. fatentur, siquidem *Henricus* toxico necatus fuerit, (quod quidem uterque pertinacissime negat) factum id tum fuisse, cum *calicis ablutionem* sive *communionis ablutionem* Imperator epotaret.

§. VII.

Idem verò de triplici ista ablutione, quod de reliquis Missaticis gesticulationibus statuendum est: De quibus ut multa egregiè monuit *Heideggerus* in Anatom. Concil. Trident. part. II. p. 801. seqq. ita rectissime dixit pag. 811. *Ab omnibus antiquis Liturgiis abest anxia illa sacrificuli diligentia, qua pollices & indices vino & aqua post dona abluit.* Aures, ut melius hæc percipiamus, *Durando* præbeamus, qui consuetudinis hujus tales *Rational. Divin. Offic.* lib. IV c. 55. p. 205. adduxit rationes, ut apponere eas perinde sit ac negare: *Trina ergò*, inquit, *sacerdotis ablutio, quæ fit in principio, in medio & in fine, designat mundationem cogitationis, locutionis & actionis vel purgationem peccati originalis, venialis & criminalis: sive quòd agitur per ignorantiam, & negligentiam & industriam: ad quorum mundationem offertur sacrificium salutare, de conse. d. ij. cum omne. in prin.* En tibi bonæ causæ robora! Pœnas dabit, audio dictantem Jovem Romanum, qui vel hiscere quidpiam posthac audebit. Annon *Virgilius* cecinit Eclog. VIII. v. 73?

Terna tibi hac primum triplici diversa colore
Licia circumdo: terque hac altaria circum
Effigiem duco. Numero Deus impare gaudet.

Taceo & ne vapulem, negare nolo, bene hac in re Romanam Ecclesiam sacerdotibus suis providisse, quos certum est, nonnun-

quam

quam impuris atque inquinatis manibus, nescio unde venire & sacra facere, ad quos illa *Cypriani* invectiva pertinet, *sermon. XV. de Lapsis:* Opp. p. 128. edit. Oxon. *A Diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt, & Domini corpus invadunt.* & illud *Isidori Pelusiotæ* Chrysostomi Discipuli lib. I. Epistol. 364. *Intaminata mysteria pollutis manibus contrectare audent.* Nolo chartæ committere, quæ huc spectant, & quæ oculis auribusque mihi innotuére. Repeto tantùm illud *Æneæ* ad Patrem *Anchisen* apud *Virgilium* lib. II. Æneid. v. 716.

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates.
Me bello è tanto digressum & cæde recenti;
Attectare nefas donec me flumine vivo
Abluero. - - -

Verum equidem est, apud Veteres olim obtinuisse, ut sacerdos manus lavaret, quemadmodum ex *Dionysio Areopagita*, *Clemente Romano* & *Cyrillo* paulo ante didicimus, & ipsa etiam honestas, quæ εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν peragi omnia in domo Dei jubet 1. Cor. XIV. 40. lotionem ejusmodi requirere videtur; & hactenus nō improbamus *Thomæ Aquinatis* responsum *Summ. Theol.* part. III. q. 83. artic. V. p. 219. *Dicendum quod ablutio manuum fit in celebratione Missæ propter reverentiam hujus sacramenti: Et hoc dupliciter: Primò quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis; unde indecens videtur, quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis* &c. Ex quo sua habet *Cosmus Philiarcus*, Canonicus & Theologus Florentinus, quando lib. II. de Offic. Sacerd. c. 15. Tom. I. p. 77. ait: *Manuum ablutio fit propter reverentiam hujus sacramenti, non enim consuevimus pretiosa tractare nisi manibus ablutis* &c. Verùm quod tribus præcisè vicibus lotionem istam repetant, singularem ejus significationem allegent, quin inter actiones summè necessarias neque ullo casu omittendas reputent, hoc demum est quod accusamus. Novimus etiam, non solos olim sacerdotes, sed etiam Laicos manus sub horam communionis lavisse. *S. Chrysostomus* homil. III. in Epistol. ad Ephes. p. 1051. *Dic mihi, vellesne ad sacrificium manibus illotis accedere? Non opinor, sed mal-*

les potius non prorsus accedere quam sordidis manibus. Deinde quum in re parva sis adeo reverens & religiosus, sordidam & immundam habens animam, accedis & audes tangere? Atqui ad tempus quidem tenetur manibus: In illam autem totus & integer resolvitur. Et *Augustinus* sermon CCLII. de tempore, Tom. X, Opp. p. 822: *Omnes Viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas,* & mox: *Non est grave, quod dico, fratres, quomodo * Viri lavant aqua manus suas, sic eleemosynis lavent conscientias suas.* Narrat idem *Dorotheus* Doctrina 9. de quodam fratre, & ait: *Ut ergo hunc vidit manus lavantem, & sese ad Communionem percipiendam præparantem, occurrit ad Abbatem* &c. Vide Tom. III. Biblioth. Patr. p. 200. edit. *de la Bigne*: Quemadmodum nec Veteres orationi vacare ante solebant, quam manus lavissent, de quo ex *Tertulliano* & *Chrysostomo* vide *Rixnerum* de Veter. Christian. circa S. Eucharist. ritibus c. 7. n. 4. p. 96. Et constat ex Veteris Instrumenti libro, quem *Exodum* appellamus, c. XXX, 18. & c. XL, 31. 32. non licuisse sacerdoti sacrarium ingredi vel ad altare accedere, nisi manibus & pedibus ablutis, cujus tamen lotionis prægnantiores scrutari nos jubet causas D. *Calovius* Tom. I. Bibl. Illustr. V. T. p. 451. quæ videri apud eum possunt. Dictis igitur terminis si *ablutionem* suam Papistæ circumscriberent, non esset, quod culparemus. Ast imitari illi malunt, cum Judæos, quorum peculiare præceptum est *de sanctificatione manuum & pedum tempore cultus*, (abluendos scilicet eos esse sacerdoti omni tempore, quo ingredi-

* Signatè de *Viris* loquitur *Augustinus*: quibus nempe S. Eucharistia in manus dabatur, ut multis exemplis ac testimoniis *Chamierus* Panstrat. Cathol. part. IV lib. IIX. de Euchar. c. 10. p. 196 & Cardinalis *Bona* Rer. Liturg. lib. II. ca. 17. p. 343. probatum dederunt. Fœminæ autem non tenebantur manus lavare, quia non manibus, sed mundo linteo panem benedictum suscipiebant, quemadmodum eodem sermone *Augustinus* inquit: *Omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant.* Et *Concilium Antissiodorense* A. 578. can. 36. & 37. inquit Tom. V. Concil. p. 960. *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere, nec manum suam ad pallas Dominicas mittere.* Et can. 42. *Unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat, quod si non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.* Conf. *Baron.* Tom. I. Annal. ad an. 57. n. 108. p. 639. *Cabassut.* Notit. Eccl. Histor. p. 30. a. Quid istud *Dominicale* fuerit ex Vetusto *Pœnitentiali* MS. explicat *Carolus du Fresne* Glossar. Tom III. p. 155. Post quem vide & lege *Dallaeum* de cultibus Latinor. lib. V. c. 2. p. 573. Quod Habessini etiam manus ante lavent, quam communicent testatur *Alvarez* Description de l'Ethiopie c. XI. p. 61.

greditur templum & venit ad obeunda sacra, sicuti *Hottingerus* tractatu *Legum Iuris Hebræorum* percenset n.106.p.135.) tum paganos, qui promiscuè omnes rem divinam à lotione auspicabantur, & nunc manus tantum, nunc totum etiam corpus perfundebant. *Hesiodus* circa finem libri II. Operum & dierum:

> Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
> Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.
> *Neque unquam mane Iovi libato nigrum vinum*
> *Manibus illotis, neque aliis immortalibus.*

Ac ne vel amnem quispiam ingrediatur aut fontem χεῖρας ἄνιπτος, idem prohibet. Unde vocem χερνίπτεσθαι, χερνίπτειν & χέρνιβος apud *Homerum* crebra mentio, quæ voces perinde sonant, quasi dicas manuum lotionem, à qua rem divinam antiquitus auspicabantur, atque etiam convivium, utpote rem sacram. Confer de Græcis *Ioh. Guilielm. Stuckium* Virum Græcè doctissimum *de sacris sacrific. Gentilib.* p.77.b. de Romanis *Persius* satyra. II.

> *Hac sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis*
> *Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.*

& Megadorus apud *Plautum* in Aulularia Act. III. scen. 6.

> *Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem.*

& Euclio apud eundem in dicta Comœdia Act. IV. scen. II.

> *Nunc lavabo ut rem divinam faciam.*

Excurrere non vocat, ut similia aliarum gentium instituta huc afferam, qui satis habeo, convenientiam Papæorum cum Judæis ac paganis hoc in capite ostendisse, quam Theologi in pluribus adhuc aliis capitibus ostenderunt, qui evolvendi: Vide ex multis D. *Hunnium* in Apostas. Rom. Eccl. c.4.p.221. prolixè, item D. *Hoe* Comment. in Apocal. c.XI. lib.III. p.419. & breviter nervoseque D. *Dannhauer.* Hodom. Pap. part.I.p.473. Ipsi id Pontificii non negant, quemadmodum præter alios *Martinus à Roa* Hispanus in suis *singularibus* totus in eo est, ut ritus suæ Ecclesiæ ex Ethnicismo derivet. Vid. D. *Dorsch.* Mysar. Miss. c.12.§.31.p.341. *Chrysostomum* adhuc audiamus, antequam ad Laicorum ablutionem pedem confera-

feramus, ex homil. LII. in Matthæum p. 463. *In nonnullis jam Ecclesiis* (Romana cumprimis) *hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi studeant, quo modo manibus loti, candidis induti vestimentis in Ecclesiam ingrediantur: quomodo autem animam atque mentem suam puram atque defecatam offerant Deo, nullam prorsus habent curam. Hæc dico, non quia lavare os aut manus prohibeam, sed quia non aqua solùm lavare os velim, verùm etiam, ut æquius est, omni virtutis numero.* Ad sacerdotes lotis manibus impura autem mente sacra contrectantes *Lactantii* de Gentilibus censura accommodabitur lib. V. Divin. Instit. c. XX. p. 441. *se piè sacrificâsse opinantur, si cutem laverint, tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent. Quanto satius est, mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus sordidat, & uno virtutis ac fidei lavacro universa vitia depellere. Quòd qui fecerit, quamlibet inquinatum ac sordidum corpus gerat, satis purus est.*

§. VIII.

Ablutio Calicis in Laicorum gratiam excogitata in eo consistit, quod illis, postquam hostiam sumserint, loco benedicti calicis vinum simplex & non consecratum epotandum præbetur, ut acceptam hostiam tantò facilius deglutire possint, ne qua parte in ore vel palato hæreat. Vocari communiter solet, *ablutio calicis, ablutio communionis, purificatio,* Germanicè *der Flößkelch, die Abspülung/ der Spülkelch. Ea de re subjicimus *Alfonsi Tostati* Abulensis, qui medio seculi XV. floruit, è *paradoxo* ipsius *secundo* c. 23. Tom. XII. Opp. part. II. p. 45. a. dissertationem: *Cum sacerdos conficit & sumit, pedibus sistit & calicem epotandum manu sua accipit: ideo non est ullum periculum effusionis in sanguine consecrato. Si autem secularibus sub vini specie Eucharistia traderetur, quum genibus fixi sint,*

* Non confundi cum ista calicis ablutione debet (ut multi quidem confundere solent, & speciatim *Georg.* Princeps Anhalt. Opp. pag 344.) *poculum Joanneum*, quod quotannis S. Johannis Apostoli die festo, D. XXVII. Decembr. à sacrificulis publico ac solemni ceremoniarum ritu consecrari solet, atque sic consecratum certam in ara stipem afferentibus Laicis ut bibant, exhiberi. Cujus eam potissimum vim esse Papistæ plebi persuadent, quæ cum primis adversus veneni pericula valeat; quasi ex peculiari quodam Divi *Joannis*, cui nihil nocuisse virulentum poculum ajunt, merito. De qua S. *Johannis potione* omitto plura attexere, postquam Celeberrimum *Thomasium* peculiari atque elegantissima Dissertatione A. 1675. Lipsiæ habita totum ritum evolvisse invenio.

sint, & calicem manu sua non capiant, posset facilime sanguis effundi, quod grave dispendium esset. Ut ergo hac tollerentur, decrevit Ecclesia, ut secularibus sub sola panis specie Eucharistia traderetur: tamen datur eis aqua vino mixta sumta Eucharistiâ, quod duplici ratione fit. Prima est, ad imitationem perfecta communicationis, quam faciunt sacerdotes conficientes atque sumentes, quia sicut in duabus speciebus consecrant, ita sub duplici sumunt specie: ut ergo secularium communio in Eucharistia similitudinem communicationis sacerdotalis gerat, vinum aquæ permixtum eis traditur: in his autem licet sequatur effusio, periculum nullum est, quia consecrata non sunt, sicut si sanguis effunderetur Dominicus. Secunda autem, & potior hujus causa est, ut non maneat sumentibus Eucharistiam aliqua particula in dentibus, aut palato. Fundamentum autem hujus est, quia quandiu fuerit in aliquo loco hostia aut vinum consecratum, tamdiu ibidem existet corpus & sanguis Christi, licet mille annis hac maneant, dum ibidem panis aut vini species manserit. Quum autem hostia dura sit & sicca, quando dentibus teritur, poterat aliqua ejus particula dentibus aut palato in concavitatibus adhærere, & post in sputo foras emitti: & post ubicunque caderet, existeretq; illa particula, & quantumcunq; locus immundus esset aut profanus, semper ibi corpus & sanguis Christi essent, donec species panis & vini esse desinerent, in quo aliqua inhonestates sequerentur. Ut ergo prædicta tollerentur, decrevit Ecclesia, post Eucharistia sumtionem semper os sumentis ablui, & illam ablutionem deglutiri, ut omnes hostiæ particulæ in guttur descendant, & nulla in palato, aut dentibus maneat, qua spuendo emittatur. Plenius qui ex Pontificiis totum negocium descripserit, reperi neminem. Parcæ enim admodum segetis hujus in libris illorum eminent aristæ; Sicut & plures ejusmodi alios ritus frustra in cristicis Romanensium libellis annotatos legeris, cum nôrint, hôrum absurditatem primo mox intuitu sese legentibus esse objecturam. In tota certè *Bellarmini* Disputatione *de Communione sub utraque*, quam lib. IV. de S. Euchar. c. XX. seqq. instituit, nihil omnino invenire de eo potui, nisi quod l. c. cap. XXIV. Tom. II. Controv. p. 913. in transcursu velut ejus meminerit scribendo: *Ergo necesse fuit, ut idem calix sæpius repleretur*

tur inter ipsam Cœnæ actionem, ut modò facimus in distribuendo vino ad ablutionem. Apud *Salmeronem* Comment. in N. T. Tom. IX. tract. XXXV. pag. 297. quædam etiam huc facientia legi, quæ sic habent: *Quod lucrum reportant inde* (sacerdotes) *cum in multis regionibus post dispensatam speciem panis, nonnihil vini præbeant non consecrati, quo commodius deglutire possint Eucharistiam? tam facile autem illis fuisset præbere consecratum, ac non consecratum.* Quo in loco *Salmero* docet, non id in omnibus etsi in plurimis regionibus obtinere. Apud *Gallos* id fieri *Rituale Romanum* Gallicè editum de Euch. p. 107. confirmat, ubi communicantes jubentur ore exceptam hostiam modestè retinere, & vino vel aqua libatis leniter versatam glutire, ut si quod ex ea fragmentum in ore superfuerit, id una cum sumpto liquore in ventriculum demittatur; quo quin *ablutionis calix* innuatur planè non ambigo. Vid. *Dallæum* de Cultibus Latinor. lib. VII. c. 25. p. 929. Et *Chamierus* quoque ejus testis est, *Panstrat. Cathol.* Tom. IV. de Euchar. lib. IX. c. 6. p. 239. qui & *se aliunde didicisse*, ait, *in Hispania aquam dari*, quod apud nostros etiam Germanos fieri quandoque solere inaudivi; Forte quando ex vini inopia sacerdotum avaritia laborat, aut quando, qui sumere ablutionem debet, abstemius est, sicut de posteriore in *Sacerdotali Basiliensi* A. 1595. Bruntruthi excuso fol. 163. præceptum extat: *Deinde* (post porrectum S. panem) *lotis digitis in vino & aqua (non in calice consecrato, sed in alio vase ibi ad hoc præparato) tradat infirmo ablutionem * nihil dicens. Si autem sit abstemius puram aquam porrigat. Quod si putet eum nausea commoveri ex porrecto vino ablutionis det ei de vino puro, & ablutionem ipse sacerdos sumat; aut donec commodè sumere queat, in aliquo vasculo vel vitro curet eam sibi reservari. Si post primam ablutionem, Eucharistia adhuc palato adhæserit, iterum aliquid propinet pro dispositione sumentis, quousque sacramentum inde amoveatur & glutiatur.* confer etiam fol. 195. Ex quo videtur confici etiam posse,

* Ne videlicet ægrotus consecratum se calicem accipere queat dicere. Quid si autem ipse, qui accipit, firmiter in corde credat, sanguinem se Domini accipere, sicque quæ sacerdos dicere omittit, ipse cogitationibus suppleat? An Jesuita *bonam* istam *intentionem* aut *mentalem reservationem* culpare vel rejicere poterit, ut simul Moralistarum sui sodalitii dogmata non collabantur?

posse, sacerdotes nonnunquam digitorum suorum *ablutionem*, (de qua in præcedentibus actum) communicantibus exhibere, & si bibere nolint sibi epotandam reservare. De quo jam An.1238.in *Constitutionibus Synodalibus anonymi alicujus Episcopi* Tom.XI.Concil.p.547.invenio esse aliquid præceptum: *Habeat quoque sacerdos vasa argentea, vel vas stanneum ad hoc specialiter deputatum, quod semper secum ad agrum vadens deferat: ut in eo agro valeat dare, post sumptam ab eo Eucharistiam, suorum loturam digitorum.* Quin imò circa Annum 1217. similem (si non planè eandem) constitutionem à *Ricardo* Episcopo editam invenio *eod. Tom.* p.259. Confer etiam Jesuitæ *Lohneri* Compend. Ritual. de sacram. p.54. Quid fiat fierique debeat, quando *calicis ablutio* extra *infirmorum communionem* in templo communicantibus propinatur, in eodem *Sacerdotali* fol.156. sed paucis exprimitur: *Dum autem* (sacerdos) *sacramentum reponit, & custos aut alius honestus Vir sive Minister ablutionem ex calice aut vase aliquo porrigit, sacerdos recitet has orationes: Ostende nobis Domine, &c. Resp. Et salutare, &c. Dominus Vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.* Publicè nimirum & in templo quando sacra synaxis celebratur, *ablutionem calicis* non sacerdos sed adstans Diaconus vel alius aliquis Laicis exhibet. Quò videtur pertinere, quod *Cosmus Philiurcus* Tom.I. de Offic. sacerdot. lib.II.c.3.p.36. disputat, *in casu necessitatis mulierem posse sacerdoti missifici inservire & respondere, non debere tamen eam ad altare accedere, non librum ferre, non aquam ad manus dare, nec ponere vinum & aquam in calice pro ablutione, sed hæc & hujusmodi, quæ ad Ministrum pertinent, facere debere sacerdotem, qui celebret.* In *Missali Romano*, quod ex Decreto Concilii Tridentini restitutum, & *Pii V.* jussu editum *Clementisque II.* auctoritate recognitum est, *in Ritu celebrandi Missam* c.X. hæc habentur: *Minister autem* (postquam sacerdos communicantibus hostiam præbuit) *dextera manu tenens vas cum vino & aqua, sinistra verò mappulam, aliquanto post sacerdotem eis porrigit purificationem & mappulam ad os abstergendum.* Jesuita etiam *Cornæus* non erubuit *ablutivum* istud *vinum* nostris opponere, gloriantibus de sacramenti *Eucharistiæ* apud nos præstantia atque integritate. Conf. D. *Dannhauer*

hauer Val. Triumph. p. 181. *Alphonsus Tostatus* loco paulò ante adducto *decretum Ecclesiæ* hac de re allegat, non verò quando & ubi publicatum illud fuerit, adjicit: Videor autem mihi illud in *Synodo Coloniensi* Anno 1280. coacta deprehendisse, ubi cap. VII. de *Sacramento Eucharistiæ sive altaris* Tom. XI. Concil. p. 1115. sequens lego præceptum: *Item præcipimus, ut sumta Eucharistia sacerdos habeat calicem præparatum cum vino & aqua, de qua sumant communicantes.* Clarius expressum id est in *Concilio Lambethensi* An. 1281. Tom. cit. p. 1159. *Attendant insuper sacerdotes, quod cum communionem sacram porrigunt simplicibus, Paschali tempore vel alio, solicite eos instruant sub panis specie simul eis dari corpus & sanguinem Domini, immo Christum integrum, vivum & verum, qui totus est sub specie Sacramenti. Doceant etiam eos, illud quod ipsis eisdem temporibus in calice propinatur, sacrum non esse, sed vinum purum eis hauriendum traditum, ut facilius sacrum corpus glutiant, quod perceperunt. Solis enim celebrantibus, sanguinem sub specie vini consecrati sumere in hujusmodi minoribus Ecclesiis est concessum. Instruant etiam eosdem, sumptum ore sacramentum non nimis dentibus comminuere, sed tritum modice sorbere perfecte, ne particula aliqua eveniat in dentium interstitiis, vel alibi remaneat.* Post hoc audiamus *Nemausensem Synodum* An. 1284. celebratam pag. 1210. *Præcipientes, ut sacerdotes vinum purum habeant paratum in Ecclesia, quod statim tribuant populo postquam receperint corpus Christi, prohibendo communicantibus, ne à præsentia ipsorum sacerdotum recedant, donec de vino aliquantulum biberint, & diligenter abluerint os suum.* Referri etiam debet ac oportet, quod *Beleth* seculi * XII. scriptor in *Rationali* suo c. 119. habet: *statutum est in quibusdam Ecclesiis, & ubique terrarum sic debet fieri, ut illo die panis & vinum in Ecclesia habeatur, & quum homines communicaverint, detur statim unicuique panis buxea priusquam recedant, & paululùm vini, ne forte quippiam de sacramento in ore remanserit,* *quod*

* Floruit in Ecclesia Ambianensi A. 1182. ut auctor est *Albericus* in Chronic. MS. & ex eo *Carolus du Fresne* in Indice Auctorum, quem *Glossario* suo præposuit, p. 118. Unde arguenda *Vossii* Chronologia, qui *Guilielmum Durandum* XL. ante *Belethum* annis, anno videlicet 1280, claruisse dictitat, *de symbol.* cap. I. & II.

quod expuendo facile emitti queat. Posset enim facile contingere, si non statim comederetur. Quæ sanè laudata consuetudo omnibus probatur, sumpsitque originem ex institutione B. Benedicti: instituit namque Vir sanctissimus ob eandem causam, ut illi qui aliis Fratribus debent in prandio post Communionem ministrare, aliquid prius comederent. Atque hoc quidem prandium Mixtum appellari solet. De quo *Mixto* videndus *Carolus du Fresne* Glossar. part. II. p. 593. (quem eruditissimum Virum de ritu nostro *ablutionis* nihil in doctissimo illo libro annotâsse, miratus sum non semel.) Adde *Hospinianum* Histor. Sacram. lib. III. p. 242. Atque hæc dubitare nos non sinunt, quin viguerit inter Papistas hæc *ablutionis* consuetudo per seculum ævi superioris unum atque alterum. Eandem verò apud ipsos etiamnum durare compertum quoque est. Ubi prætermitti non debet, videri ritum istum, in Deum & in homines impium, derivatum quoque ad Æthiopes esse, apud quos refert *Franciscus Alvarez* l'Histoire de l'Ethiopie c. XI. p. 61. (in edit. German. p. 94.) itemq; *Balthasar Tellez* in Historia Æthiopica An. 1660. Conimbræ edita lib. I. c. 39. p. 97. atque ex illis *Iobus Ludolfus* Vir in his literis sine pari, *Histor. Æthiop.* lib. III. c. VI. n. 81. *Subdiaconum aquæ nonnihil manui communicantis* (postquam S. Eucharistiæ utramque partem accepit) *infundere, qua ille os lavet, deinde eam sorbeat.* Addit *Casalius* de Veter. Sacr. Christ. ritibus c. 14. p. 92. *Diaconum dare etiam eis post communionem lac & mel dicereque: Lac & mel immaculatum in generationes: Amen.* de quo tamen silent prædicti auctores.

§. IX.

Adversus istam malè sanam consuetudinem omnia ea militant argumenta, quibus nostræ communionis Theologi mutilationem divinissimi sacramenti, quam *Communionem sub una* appellant, impugnare & profligare solent. Quod si enim divinæ veritatis hostis est, qui in S. Eucharistia aliquid aufert, non minus Deo adversabitur, qui ejus loco aliud quid substituit, nisi forte hic minus peccare dicendus sit. Non repeto, quæ ex nostratium libris colligere ea de re possem, neque enim *de Communione sub utraque* com-

commentarium conscribere suscepi; Legat, qui volet unius *D. Calixti* tractatum: *De Communione sub utraque*, cujus præstantiam ipsimet Pontificii agnoscunt, ex quibus *Bossuetus* Condomensis olim nunc Meldensis Episcopus *Traité de la Communion sous les deux especes* part.I.§.2.p.m.12. hæc nuper scripsit: *Le fameux George Calixte, le plus habile des Lutheriens de notre temps, & ce'uy de nos adversaires, qui à ecrit le plus doctement contre nous sur les deux especes*: *Celebris Georgius Calixtus, & qui Lutheranos nostri temporis omnes antecellit, omnium doctissimè inter adversarios nostros contra nos de utraque specie scripsit.* Jure etiam laudatus est à Reformato Doctore *Iohanne Henrico Heideggero*, in Anatome Concil. Trident. part.2. pag.709. & *Iohanne Dallæo* de Cultib. Latinor. lib.V. c.26.p. 720. Vel sola Christi Servatoris nostri institutio potis est, impiam istam consuetudinem fortissime profligandi. Dixit ille Matth. XXVI,27. *Bibite ex hoc omnes*, ex calice nimirum consecrato, sicut in verbis mox antecedentibus continetur: Καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων. Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. *Et accepto calice cum gratias egisset, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.* Ubi illic bini calices consecratus & non consecratus, quorum illum sacerdos sumat missifex, hunc communicantes? Ἐξ αὐτοῦ, inquit Servator, πίετε, *ex ILLO bibite calice, quem non ego tantùm sumsi, sed & cui benedixi.* Quis autem mortalibus fecit potestatem, ut quod Servator in usum suorum fidelium perfectum & integrum institutione sua ordinavit, id iis illi constitutione sua adimant, & in imperfectum atque mutilum convertant? Τοῦτο ποιεῖτε, inquit idem Dominus noster l.c. *hoc facite*, quod modo præcipio vobis, quodque me facere videtis, non aliud. Consecratum bibite calicem, aversantes *ablutionis* poculum. Quadrant huc *Athanasii* ea verba, quæ in *Apologia ejus secunda* Tom. I. Opp. 569. legimus: Οὗτος ὁ τρόπος τούτου τοῦ ποτηρίου μόνος, ἄλλος οὐδείς, τοῦτο ὑμεῖς νομίμως προπίνετε τοῖς λαοῖς, τοῦτο ὑμεῖς ἀπὸ τοῦ Ἐκκλησιαστικοῦ Κανόνος παρελάβετε. *Hic unus usus est calicis, & præter eum alius nullus, eoque solo vos legitimo ritu propinatis populo, eumq; Vos ex Canone Ecclesiastico accepistis.* Ipse *Bellarminus* lib.I. de sacramentis in Gener. c.21. Tom.II. Controvers. p.93. ait: *Non solum res*

sed

sed etiam verba in sacramentis novæ legis à Deo determinata esse, ut non liceat quicquam immutare, & lib. III. de Euchar. c. 17. Tom. cit. p. 738. idem ait: *Sacramenta novi Testamenti à Christi institutione pendent, & à ritu, & verbis quæ ille præscripsit.* Rectè hæc *Bellarminus*, utinam sic & reliqua! Facit in hoc cum *Ambrosio* Tom. V. Commentar. in I. Cor. XI. p. 270. *Indignum dicit esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter præsumit, quam datum est ab authore. Ideo præmonet, ut secundum ordinem traditum devota mens sit accedentis ad Eucharistiam Domini.* Et cum *Cypriano*, cujus hæc sunt verba *Epistol.* LXIII. p. 155. edit. Oxon. *Id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit, quando ipse in Evangelio dicat: si feceritis, quod mando Vobis, jam non dico Vos servos, sed amicos. Et quod Christus debeat solus audiri, Pater etiam de cælo contestatur, dicens: Hic est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est Christus prior fecerit.* Et paucis interpositis. *Quod si nec minima de mandatis* Dominicis *licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum* Dominicæ *passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia, fas non est infringere? aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare?* Ad istam *Cypriani* epistolam Papa *Paschalis* II. in epistola XXXII. Tom. X. Concil. p. 656. in negocio de communione intincta provocat & ait: *Igitur in sumendo corpore & sanguine Domini, juxta eundem Cyprianum, dominica traditio servetur, nec ab eo quod Christus Magister & præcepit & gessit, humana & novella institutione discedatur.* Disputat autem in isto loco sanctissimus Martyr adversus eos, qui tunc temporis prætextu sobrietatis, sola aqua sine vino in calice Domini plebi ministrando utebantur. Illis gravissimas rationes ab exemplo, magisterio, traditione, præcepto & mandato Domini opponit, quæ quia generales sunt, & expresse loquuntur, quid in calice Dominico sanctificando & plebi ministrando faciendum sit, ut Domini traditio servetur, legi ibi omnino debent, & ad præsentem controversiam accommodari. Nam si dici hæc contra Pontificiorum

ab-

ablutionem calicis non possint, quid dici possit, planè non video. Lege hîc *Chemnitium* Exam. Concil. Trident. part. II. p. m. 303. & confer de *Aquariis* istis D. *Gerhardum* LL. Theol. de S. Cœn. §. 22. Tom. V. p. 12. & *Calixtum* de Commun. sub utraque p. 82. *Bellarminus* quum de iisdem lib. IV. de Euchar. c. 10. Tom. II. Controverf. p. 831. ageret, dixit: *sed ea* (aquariorum) *opinio continuò à Patribus explosa fuit, quod satis constaret, Dominum non aquam solam, sed vinum etiam in sacro calice ponendum esse docuisse*, sic & nos dicimus: *sed ea ablutio meritò à nostris exploditur, quod satis constet, Dominum non docuisse calicem non consecratum, sed consecratum præbendum esse.* Quæ autem ex *Cypriano* adduximus, non improbabit, spero, *Bellarminus*, quandoquidem lib. II. de Concil. auctor. c. 5. Tom. I. Controv. part. post. p. 84. *Cyprianum*, ait, *semper esse habitum in numero Catholicorum*, cujus verò contrarium habet lib. IV. de Verb. Dei c. 8. Tom. I. Controv. part. prior. p. 230. ubi eum pessimis hæreticis, *Valentinianis, Marcionistis, Donatistis, Arianis* annumeravit. S. Apostolus *Paulus* dicit, I. Cor. XI, 23. quæ Corinthios doceat, edoctum se ipsum esse à Domino. Ubi verò Pontificios Dominus docuit, *calicem ablutionis* Laicis vice consecrati calicis propinandum esse? Sanctissimus iste Servator contrarium potius docuit fieri. Quum aliquando cum Pharisæis & Legis Doctoribus de divortii consuetudine disputaret, negocium id omne ad primam institutionem revocavit dicendo: *Ab initio non fuit sic*, Matth. XIX, 8. Tanti Domini tum præcepto, tum exemplo, in fortioribus, ut loquuntur, terminis idem sane nobis dicere liceat, si quando commenta nobis humana obtruduntur, quæ sanctissimis Dei præceptis præjudicant: *Ab initio non fuit sic.* Et speciatim de ista calicis ablutione verissimè pronunciare possumus: *Ab initio non fuit sic.* Non si creationem Ecclesiæ Christianæ, non si institutionem Christi, non si Apostolorum atque eorum discipulorum exemplum, non si priscæ ac purioris Ecclesiæ usum, non si priorum Conciliorum Canones attendas. *Ubi ista ablutio*, dicimus cum D. *Menzero* nostro ex ejus *Repetita Dilucidatione controversiæ de Communione sub utraque*, p. 36. verbis in Latinum transpositis, *in S. cœnæ verbis continetur? An ea*

Christi Apostoli usi sunt? An in Corinthiorum Ecclesia nota fuit? Ubi in Vetere Ecclesia locum invenit? In Conciliis? In Patribus? Seduli hic, estote, antiquitatis indagatores. Ipse Christus sanctissimus sospitator noster Calicem suum καινὴν διαθήκην *Novum Testamentum* vocat Luc. XXII, 20. At humano etiam testamento, nedum divino vetat Apostolus ἐπιδιατάσσεσθαι, Gal. III, 15. Quid verò ista *calicis ablutio* aliud est, quam quædam ἐπιδιάταξις Verbo Domini inimica & divinæ Testatoris nostri voluntati contraria? Si Papæo alicui sacerdoti mille thaleri vel ducati testamento legarentur, quorum loco hæredes reliqui tot plumbeos vel æneos nummos dare illi vellent, quid putamus dicturum esse sacerdotem? Non hæc, dicet, Testatoris benigni voluntas erat: Vestra vobis hæc suggerit avaritia. *Nunquam scio paterentur*, apposite & ad rem dicit *Chamier* Panstrat. Cathol. part. IV. lib. IX. *de Eucharist.* c. 6. §. 6. p. 239. *& priusquam paterentur, cœlum terræ miscerent sacerdotes, si sibi pia, quæ vocant, legata, & quorum prætextu domos exhauriunt, non repræsentarentur ad extremum usque quadrantem.* Ridiculæ etiam rationes sunt, quas cur *ablutio calicis* bibenda sit, Papistæ afferunt. Duas *Tostatum* allegare in præcedente paragrapho audivimus: Altera est, *ut seculares perfectam sacerdotum communionem ex parte imitentur.* Sed cur ex parte nec in solidum? Ubi sacerdotibus præ Laicis hac in re prærogativa conceditur? Annon inter alias hanc quoque ob caussam S. Eucharistia *communio* vocata est, ut verus ejus scopus fraterna unio inter communicantes significaretur, I. Cor. X, 17? Confer *Casaubon.* Exercitat. in Annal. Baron. Exerc. XVI. §. 30. pag. 449. Quid ait *Chrysostomus* in 2. Corinth. IIX. homil. 18. p. 873? *Interdum,* verba ejus sunt, *ne quicquam inter sacerdotem interest, & eos quibus praeest. Velut cum tremenda mysteria percipienda sunt. Æquè enim omnes ad ea admittimur. Non quemadmodum in Veteri Testamento alia sacerdos, alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus sacerdos vescebatur. Nunc enim secus se res habet, omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur.* Chrysostomum, ut in plerisque, sequitur *Theophylactus*, qui *Enarrat.* in 1. ad Cor. XI. p. 525. ait: *Qui tu solus bibis & inebriaris, tremendo isto calice omnibus ex æqua*

tradito. Qui legis divinæ & verbi cœlestis studiosi sunt, nôrunt, quod tanta discrepantia inter Laicos & sacerdotes amplius in N. T. non sit. *Omnes filii Dei sumus per fidem, quæ est in Christo Iesu. Non est Iudæus neq; Græcus, non est servus neque liber, non est masculus, neque fœmina. Omnes enim unum sumus in Christo Iesu,* dicit Gentium Doctor *ad Galat.* c. III, 26. 28. Quod autem & quale discrimen inter populum & Ecclesiæ ministros intercedere debeat, ne in Ecclesia confusio sit, monstrat *Hospinianus* Histor. sacram. lib. II. cap. 5. p. 139. Verùm in Romana Ecclesia altas nimis damnatus Pharisaismus radices egit, in quo quanti populus fieri consueverit, illa *Iohan.* VII, 48. indicant: *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis, sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.* Amant autem Papistici sacerdotes & Principes fieri, & Pharisæi appellari, quo de D. *Eckhardi* Papa Pharisaizans evolvendus. Quemadmodum & communiter Laicos porcis & canibus comparare solent, quibus margaritæ (benedictus calix) præbendæ non sint. *Matth.* VII, 6. Vid. *D. Christian.* Jesuit. Pseudo-Iren. p. 330. Altera eaque potior *Tostati* ratio est, *ut non maneat sumentibus Eucharistiam aliqua particula in dentibus aut palato*, quam & *Manuale sodalitatis B. Mariæ Virginis* allegat cap. V. part. II. *ad abluendum os, & ad hostiam facilius deglutiendam.* Quæ verò cum absurdum *Transsubstantiationis* figmentum supponat, hoc subruto ipsa quoque corruit. *Ut dicam ingenuè quod sentio*, de his & similibus ἐθελεσιολειψίας causis admodum ingenuè dixit *Erasmus*, ipse licet nunquam communione sub utraque usus, *Epistol.* lib. XIV. Tom. III. Opp. p. 467. *demiror cur visum sit immutare, quod à Christo fuit institutum, quum causæ, quas adferunt, non admodum graves videantur.* Si fateri, quod res est, Papistæ deberent, potissimum istius consuetudinis momentum in hoc collocarent, quod venerationem sacerdotum non parum augeat, si tantum eos inter & Laicos discrimen intersit, quo confer quæ sagacissimus *Puffendorffius* hanc in rem disseruit, *Introduct. in Notit. Stat.* c. XII. p. 858. Forte taceri non debet * fucus, quem simplicio-

* Sic D. *Calixtus* Disp. de Commun. sub Utraque §. 185 p. 262. non absurdè præter alias hanc quoque causam fuisse conjicit, cur in synodo Florentina A. CIϽ CCCCXXXIX. nullum inter

plicioribus fieri sic facilius posse arbitrati sunt, qui primi ejus auctores fuerunt, quando communionem sub utraque obstinatè petentes persuaderi possunt, se nihilosecius calicem, tametsi consecratus non sit, accipere. Confer eò, quæ Anhaltinus Princeps *Georgius* disseruit *Opp. Theol.* p.327.a. Quam enim variæ & invicem sæpe contrariæ artes sint, queis in seducendis hominibus utantur, qui ab oraculo Idoli Romanensis pendent, manifestum satis est. Meritò igitur abominandum hunc Babyloniæ meretricis calicem Ecclesiæ nostræ penitus ejecerunt. Nos concludimus vexato illo Papæ *Gelasii* dicto, quod refertur *Can. XIII. de Consecr. dist. 2. Comperimus, quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione* (haustoq; cum illa ablutionis poculo) *à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio* (*quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi*) *aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

inter Græcos & Latinos de Communione sub una certamen fuisse legatur; quod nempe Græci, licet sacramentum à Pontificiis administrari coram intuiti fuerint, propter *ablutionem* tamen instar benedicti Calicis porrigi solitam, quòd imperfectè & mutilatè præberetur, animadvertere non potuerint. Nihil igitur concludunt, qui Græcos communionem sub una non improbâsse inde colligunt, argumentandi genere *Maimburgio* etiam in capite *de Transsubstantiatione* adversus *Claudium* usitato *Histoire du schisme des Grecs* lib. VI. p.254. Venit hac occasione mihi in mentem recordari Scholasticorum contentionis: *An occulto peccatori Eucharistia præbenda sit?* Ubi *Antisiodorensis* lib. IV. summ. tract V. c.3. q 4 & *Bonaventura* in IV. Distinct. IX. art II. dicunt, non quidem denegandam illi Eucharistiam esse, dandam tamen hostiam non consecratam, quo & sacramento reverentia exhibeatur, & fama peccatoris illæsa maneat. Quod tamen *Thomas, Cajetanus, Durandus, Ricardus, Dominicus à Soto* aliique absolutè negant, apud *Vasquez.* Comment. in III. *Thom.* Tom. III. Disp. CCIX. q.90. Art. VI. c. 4. p. 217. Magis necessaria illa est quæstio, cuius Conscientiaria, quam vocant, Theologia copiam nobis facit: *An mutis præbenda Eucharistia sit?* Ad quam cum quidam respondent, blandè decipiendos mutos esse putant, porrectione hostiæ non consecratæ; id quod verò D. *Lutherus* noster rectissimè improbavit Tom. I. *Altenburg.* p. 525. b. Quem Theologi nostri communiter sequuntur, D *Hutterus* LL. Theol. Art. XIX. c. 4. p. 729. *D. Gerhard.* LL. Theol. Tom. V. de S. Cœn §. 226 p. 189. Quomodo olim etiam, cum communio parvulorum sive infantum obtineret, quidam decipere rudem plebeculam ausi fuerint, vinum simplex & commune parvulis loco benedicti ministrando ex *Hugone de S. Victore* lib I. c. 20 de Cerimon. Eccles. Tom. X. Bibl. Patr. p. 1376. ostendit *Dallæus* de Cultibus Latinor. lib. V. c. 4. p. 592.

§. X.

Animus erat his collectaneis finem imponere, quum venit in mentem, suspensum relinqui lectorem, quid de istius ablutionis origine sentiendum sit. Sanè an res hæc accuratè literarum monumentis sit consignata, ignoramus. Tempus certum & annum, quo poculum illud *ablutorium* lucem aspicere cœperit, in tanto auctorum silentio nominare non audeo, licet haud absque ratione suspicer ejus natales non esse vetustos nimis. Certum est, (rem enim ab ovo repetere licet) totis mille annis in solennibus publicisque Ecclesiæ cœtibus communionem, quam sub utraque vocant, viguisse, panemque & calicem populo præbitum semper fuisse: *quod negare non posse, qui vel levissima rerum Ecclesiasticarũ notitia imbutus sit*, ipse ait Cardinalis *Bona* Rer.Liturg.lib.II.c.18.p.862. Unde nec testimonia colligam. Seculo autem undecimo agi id paulatim cœpit, ut in Eucharistia ejusmodi præsentia corporis & sanguinis Dominici statueretur, quæ ordinem presbyterorum supra populum admodum eveheret, & insigniter venerandum efficeret, quo *Transsubstantiationem* me significare peritus Lector facile intelliget. Posita autem *Transsubstantiatione*, quæ sub initium demum seculi XIII. in Lateranensi Concilio dogma fidei evasit, (qua ratione bene *Erasmus* dixit in I.Corinth.VII.Tom.VI.Opp.p. 472. *In synaxi transsubstantiationem serò definivit Ecclesia, diu satis erat credere, sive sub pane consecrato, sive quocunque modo adesse verum corpus Christi*) metus exortus est, ne forte sanguis Domini *transsubstantiatus* e calice in terram profusus indignè tractaretur; inprimisque opera data, ut Episcopi & presbyteri præ populo excellere & plus habere viderentur. Tum itaque nonnulli è clero (qui auctoritate simulataque pietate magis conspicui) nonnullis Laicis, qui reliquis simpliciores & reverentia erga sacramentum metuque profanationis commoti ac persuasi ægre non ferrent, calicem benedictum subtrahere primum cœperunt, donec consuetudine ista indies ac sensim magis obtinente in *Constantiensi Concilio* Sessione XIII. quæ habita fuit anno CIↃCCCCXV. die XV. Junii constitutione publica planè subtractus fuerit. *Paulatim*, inquit *Bona* loco ex

Rebus

Rebus ejus *Liturgicis* citato p.863. *introducta est communio sub sola specie panis, factaque hac mutatio est primùm à diversis Episcopis in suis Ecclesiis, deinde à Synodo Constantiensi canonica sanctione pro omnibus stabilita.* Enata est seculo circiter duodecimo, augmentum cepit decimotertio, maturuit decimo quarto, tandem decimo quincto explosa & proscripta intégritate decreto Constantiensi roborata. Non enim simul ac semel homines è Clero efficere potuerunt, ut qui Laici & seculares appellantur, eripi sibi calicem omnes paterentur, maximè cum *Waldenses*, quorum historia in seculum XII. & XIII. incidit, abusum istum reprehenderent. Varia igitur, quò ab hostibus pressi confugere possent, quæsiverunt Clerici effugia. Potissimum in eo laborabant, ut opinionem necessitatis populo adimerent, cujus simplicitas nimiaque cum erga Clerum tum *transsubstantiata* elementa veneratio calcar apud multos, ut quo Clerici vellent currerent, non requisivit. Pertinacioribus verò ac prudentioribus indultum fuit, datumque quod petebant. Nôrant quippe sacerdotes, cum tempore mutari & homines, paulatimque tepescere quin & tandem frigescere, quæ calidissima olim aqua fuit. Seculo autem undecimo, duodecimo, quin &, quod secutum illa est, decimo tertio calicem præbitum adhuc multis è populo fuisse, ipsi non negant Pontificii, certè in tanta testimoniorum illius temporis luce negare sine impudentia non poterunt. Videri possunt, quæ magnus noster *Chemnitius* Exam. Concil. Trident. part.II. p.328. & *Dallæus* de Cultibus Latinor. lib. V. c.XII. p. 646. collegére. Porro quò magis invaluit opinio *transsubstantiationis*, eo etiam crevit magis effusionis metus. Periculum istud ut evitarent, duobus Clerici usi sunt remediis, quibus ipsis etiam promota fuit calicis ablatio, & si, quod verum est, dicere debeo furtum, si non sacrilegium. Primò buccellam panis in vinum intinxerunt, eamque communicanti populo præbuerunt. Quod observatum inprimis olim fuit, cum qui * ægrotabant sacra synaxi uteban-

 tur.

* Tinctus nimirum iste etiam ante enatam *Transsubstantiationem* in usu fuit, in infantum & ægrorum potissimum communione, quòd eam aliter peragere vix daretur. Ita *Serapioni* morituro puer jussu presbyteri, qui æger accedere ipse non poterat, pauxillum eucharistiæ made-

tur. De quo decretum sancitum legimus à quodam *Concilio Turonensi* (quotum id fuerit, dicere nequeo, nec dicere possunt alii: capitulum enim istud in antiquis, quæ extant, quærentibus non occurrit) apud *Ivonem Carnotensem* p.2.c.19. & *Burchardum Wormatiensem*, lib.V. Decret. c.9. *Omnis presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto sacramento dignum, ut ibi corpus Dominicum diligenter recondatur, ad viaticum recedentibus de seculo. Quæ tantùm sacra oblatio intincta debet esse in sanguine Christi, ut veraciter presbyter possit dicere infirmo, corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum & vitam æternam.* Eodem modo habet *Pœnitentiale MS. Thuanum*, paucis tamen immutatis, apud *Carolum du Fresne* Glossar. part. III. p.480. Unde cognoscas, Patribus Concilii istius, (quod seculum utique XI. antecessit, quandoquidem *Burchardus* Wormatiensis Episcopus, qui illud allegavit An. 1025. obierit, ut fratres *Sammarthani* docent, *Gall. Christian.* Tom. III. p. 1189.) non notum tum fuisse commune nostrorum Papistarum axioma: *Corpus nullum sine sanguine esse*, aliâs clausulam istam non addidissent: *ut veraciter presbyter, &c.* Quam & ob rem *parvo apud Cardinalem *Bonam* loco est, quod isti dixerunt. Vide eum *de Rebus Liturgic.* lib. II. c. 18. p. 874. Idem *Bona* loc. cit. ait, eundem intingendi mor-

madefactum in os instillavit sive infudit, quemadmodum ex epistola *Dionysii Alexandri* ad Fabium Antiochenum hæc recitat *Eusebius* Histor. Eccl. lib. VI. c. 44. p. 246. edit. *Vales.* Quò spectat decretum *Concilii Carthaginensis* IV. A.398. c.76. Tom. II Concil. p. 1206. *Et si* (pœnitens) *continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Pertinere huc etiam videtur historia mulieris energumenæ, cui sacerdos particulam corporis Dominici tinctam præbuit, quam ex S. *Prospero* c. 6. *dimidii temporis* adduxit Cardinalis *Bona* Rer. Liturgic. lib. II. c. 13. p. 875 ubi is quidem vino non consecrato sive aqua tinctam illam particulam fuisse dicit, sed non probat. Patet hinc autem, quam non faciat exemplum *Serapionis* toties & ad nauseam nostratibus objectum, ad probandam sub una Communionem. Accepit quippe *Serapion* vinum benedictum, quod nihil interest, in magna an parva copia, & quomodocunque fiat, sumatur. Confer plura de ista *Serapionis* historia apud *Forbesium* Instruct. Histor. Theol. lib. XI. c 7. p. 553. Alios non cito. Res namque aliàs clara & evidens est, quam vix ullus negaverit, nisi ardore tuendæ opinionis in devia abreptus.

* Variè, ut telum istud evitet, *Bossuetus* se torquet, sed vix ac ne vix quidem potest, *Traité de la Comm.* part. I. § 2 p. 29. Rectius fecisset, si arma ab *Albertino* de Euchar. lib. II. in Exam. Pii I. p. 288. mutuatus fuisset, dicente: *Burchardum & Ivonem multa sine delectu & judicio collegisse, multaque temere veteribus tribuisse, quæ illorum non sint.*

morem alibi pro omni populo invaluisse, non alia de causa, quam propter cautelam, ne sanguis effunderetur: Quod confirmatur ex *Ritu antiquo Missæ à Ioanne Episcopo Abrincatensi* descripto, apud *Menardum* Sacram. Gregor. p. 277. qui vetat sacerdotem & ministros intincto pane communicare, excipit autem populum, *quem*, inquit, *intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timore effusionis sanguinis Christi permittimus communicare.* Et *Ernulfus* Roffensis Episcopus in Epistola ad Lambertum Tom. II. Spicileg. Dacher. p. 435. ait: *Nos carnem Domini intinguimus in sanguine Domini, non ut designemus malitiam esse in cordibus nostris*, (quemadmodum videlicet in corde proditoris *Iudæ* fuit intinctam buccellam à Servatore accipientis) *sed ne accipientes sive porrigentes peccemus, non habita forte competenti cautela in labiis, & manibus nostris*, &c. lege ibi plura. En quomodo in populi cumprimis gratiam ritus iste concedatur revocatus fuisse! Antiquæ Consuetudines Cluniacenses à *S. Vdalrico* circa annum 1071. collectæ lib. III. c. 28. Tom. IV. *Spicilegii Dacheriani* p. 117. communionem moribundi describentes hæc habent: *Sacerdos corpus Domini incensat, frangit, & partem quam allaturus est super calicem tenet, & tam ipse Calix quam manus sacerdotis linteolo candidissimo cooperitur. Interea curatur, ut infirmi bucca lavetur recepturi ipsum corpus Domini, quod recipit vino intinctum, quo epotato ebibit quoque ablutionem calicis.* Hinc tria colligo: Primò ægros Cluniacenses Monachos *ablutionem* aliquam antequam S. Eucharistiam acciperent, sumsisse, ne impuro id ore fieret: Secundo panem Eucharisticum vino intinctum fuisse; & tandem sumtionem istius panis insecutam fuisse *calicis ablutionem*, ne videlicet aliquod ejus fragmentum in ore remaneret. Quod verò Meldensis Episcopus *Bossuetus* Traitè de la Communion sous les deux especes part. 1. §. 2. p. 24. & ante eum Cardinalis *Bona* de Reb. Liturg. lib. II. c. 18. p. 875. volunt, vinum, quo panis intinctus fuerit, simplex nec consecratum fuisse, nescio unde probare poterint. Quod si enim vino non consecrato panis intinctus erat, cui usui fuit insecuta *calicis ablutio*. Ne dicam quod *Ernulffus Roffensis* in di-

in dicta epistola expresse scribat: *Quo pacto evenit, ut secundùm Salvatoris praeceptum ejus carnem edat, sanguinem bibat, periculum evadat, quem in tantare offendere oppido formidat.* Num autem vinum non consecratum *sanguinem Dei* appellare audebunt *Bona* & *Bossuetus*? Annon verò quandoque intinctio cum vino * communi obtinuerit, ut Cardinalis *Bona* loc. cit. vult, nolim pertinaciter negare, qui non inani suspicione ducor, post enatum *Transsubstantiationis* dogma nihil non Papisticos sacerdotes ausos fuisse, ut effusio calicis vitaretur, dignitas sacerdotalis augeretur, & miseri è seculo homines deciperentur. In Anglia a deo propagatus iste usus fuit, ut eum prolixè defenderet *Ernulfus Roffensis* Episcopus epistola ad Lambertum data, quae extat Tom.II. *Spicilegii Dacheriani* p.432. seqq. Concilium verò *Londoniense* An.1175. cap. XVI. Tom.X. *Concil.*p.1466. prohibuit, ne quis quasi pro complemento communionis intinctam alicui Eucharistiam traderet. *Inhibemus, ne quis quasi pro complemento communionis, intinctam alicui Eucharistiam tradat. Nam intinctum panem aliis Christum praebuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet, non quae sacramenti hujus institutionem signaret.* Et

* Aqua etiam benedictum panem Veteres intingere solitos fuisse dicit *Valesius* in notis ad Euseb. lib. VI. p. 138. Quò nescio an pertineat factum Gregorii VII. *pauxillum panis in scyphum confringentis, meroque perfundentis & aegro pro benedictione porrigentis* ex relatione *Pauli Bernriedensis* in Commentar. de Vit. Gregor. p. 213. edit. *Gretser*. Multa essent adhuc congerenda, si quae hanc nostram Dissertationem illustrant, addere omnia vellem. Sic Cardinalis *Bona* Rer Liturg. lib. II. c.18. p. 866. refert ex *Combefisio*, apud solitarios Monachos morem fuisse olim loco calicis sacri, vini poculum bibendi, *vini scil. non consecrati, qui sanguinis locum suppleret.* Quod forte poculum idem fuit cum moderna Romanensium *ablutione cal it.* Huc pertineret etiam disputatio de Graecorum *praesanctificatorum* & Latinorum *parasceves* communione, quam vino vulgari & non consecrato factam fuisse Romanenses dicunt, clamantq; ferme cum raucedine, licet invita veritate, ut ostensum à *Dallao* de cultibus Lati[…]or. lib. V. c. 22 p. 690. & lib. VI c. 13. p. 784. seq. *Crocio* in Vindic. Anti Becan. Tom. [illegible] p. [illegible]65. *Dorscheo* Exercit. ad Concil. Nic. I. sect. II. § 28, p. 130. *Dannhauero* Val. Triumph. p. 245 *Calixto* de Commun. sub Utraque § 145. p. 211. *Chamiero* Panstrat. Cathol. part. IV. lib. IX. de Euchar. c 3 § 45. p 235. pluribusque aliis, queis Romano more vivere religio est. S[…]d [illegible] finis, si omnia colligam? Maximè ubi locum habet illud *Ciceronis* IV. Acad. Quaest. *Nostra omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est & in ipsis rebus obscuritas & in judiciis nostris infirmitas, ut non sine causa & doctissimi & antiquissimi invenire se posse quod cuperent, diffisi sint.* Quo praeclaro dicto velut umbone totam hanc de *calicis ablutione* materiam, ut tuta ab hostium insultibus sit, tego.

Et ante hoc *Micrologus* de Ecclef. obfervat. c.19. Tom. IV. Bibl. Patr. *de la Bigne* p.603. inquit: *Non eſt autem authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam ordo Romanus contradicit.* Simile eſt, quod *Paſchalis* II. Papa ſcripſit epiſtol. XXXII. Tom. X. *Concil.* p. 656. Eodem etiam pertinere canonem XXVIII. *Concilii Claromontani* An. 1095. habiti ait *P. de Marca* in Diſſertatione ad iſtud Concilium, (quæ inſerta eſt integra Tomo X. *Conciliorum* p.581.) qui ita ſe habet. *Ne quis communicet de altari, niſi corpus ſeparatim & ſanguinem ſimiliter ſumat, niſi per neceſſitatem, & per cautelam.* Adde *Hildeberti* epiſtolam LXIII. Appendic. Biblioth. Patr. *de la Bigne* pag. 747. Quemadmodum etiam Veteribus uſitatam intinctionem Concilium *Bracarenſe* III. habitum Anno 675. cap.1. Tom. VI. Concil. p.562. abrogatam voluit. *Iacobus Goar* not. 179. in Miſſ. Chryſoſt. Euchol. Græc. p. 153. ait: *Concilium Ilerdenſe*, quod An. DXXIV. habitum eſt, *prohibuiſſe intinctum panem in communione præberi.* Quem verò Doctiſſimum Virum lapſum hîc memoria fuiſſe ſcribit *Dallæus* de Cultibus Latinor. lib. III. c.27. p.440. Duravit tamen ea conſuetudo multo adhuc tempore, ut apud *Cabaſſutium* videre eſt *Notit. Eccleſiaſt.* p.32.a. donec, ut diximus, ſeculo XII. revocaretur. Vide *Gerard. Iohann. Voſſium* Theſ. Theol. & Hiſtor. Diſp. 23. Theſ. VII. p.334. & *Georg. Fehlavium* in notis ad Chriſtoph. Angel. p.427. Ubi notandum diſcrimen, quod inter tempora interceſſit. Olim enim intinctio in uſum tantummodo ægrotorum erat, *qui præter Dominici calicis hauſtum traditam ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire*, ut loquitur canon XI. undecimi Concilii *Toletani* Anno Chriſtiano IↃCLXXV. celebrati Tom. VI. *Concil.* p.552. Seculo verò undecimo & duodecimo cumprimis ob metum effuſionis obtinebat, ſicut præter modo dicta ex *Ivone Carnotenſi*, qui ſub ſeculi XII. initium mortuus eſt, diſcimus, qui in hunc modum à *Caſſandro* in Liturgicis p.87.b. productus loquitur: *Non juxta Concilii Toletani definitionem, intincto pane, ſed ſeorſim ſanguine communicet, excepto populo, quem intincto pane non auctoritate, ſed ſumma neceſſitate timoris ſanguinis Chriſti effuſionis, permittitur communicare* Audivimus

mus

mus etiam paulò ante *Ernulffum Roffensem* è Tom. II. *Spicileg. Dacher.* quem semel adhuc ex pag. 435. audiamus: *Ne ergo polluamus sanguinem nostræ redemptionis, ne tanquam impietatis manibus effundamus poculum humanæ salutis, à religiosis Viris provide actum est, ut Dominici portiuncula corporis non sicca, sicut Dominum egisse novimus, porrigatur, sed Domini infusa sanguine fidelibus tribuatur.* Ubi tamen nescio, annon major metus fuerit in ista intinctione, quandoquidem facilius gutta aliqua destillare poterat, quam si populo è calice bibere permisissent. Verùm sanguinis Dominici bibitio paulatim abroganda erat, & stabilienda sub una Communio, quemadmodum consilium istud non obscurè proditum est à Cardinale *Bona* Rer. Liturgic. loco aliquoties citato p. 875. qui inquit: *Nunc omnes intinctiones abierunt in desuetudinem; Cum enim ad tollendos abusus decreta & præcepta non sufficerent, cœpit tandem communio fieri sub una specie, nullusque locus intinctioni in Ecclesia * occidentali relictus est.*

§. XI.

Alterum remedium, quo impedire *sanguinis effusionem* sacerdotes voluerunt, quoque usi sunt ad Laicos benedicto calice privan-

* Circumspectè hoc addidit Cardinalis. Orientalis enim sive Græca Ecclesia traditam ante aliquot secula à suis majoribus consuetudinem sub utraque specie, non seorsum sed simul mixta sive intincta communicandi, etiamnum dicitur servare. Vide *Christophorum Angelum* de statu & ritibus Eccles. Græc. c. 23. p. 349. & adde *Fhelavium* in notis p. 355. & 426. Moscos etiam, qui Græcæ Ecclesiæ instituta suscipiunt, ritum hunc imitari testatur *Alexander Rossæus* De Variis Mundi Relig. part. 14. p. m. 616. *Christophorus* tamen *Fururus* Græcorum hodiernorum religionem in *Itinerario* suo f. 74. recensens nihil ejus imo contrarium habet. Nullam quoque intincti panis mentionem facit *Metrophanes* apud *Rixnerum* De Veter. Christian. Institut. c 9. p. 135. Venit hic mihi, cum agimus de corpore Domini sanguine intincto, in mentem alia quædam singularis intinctio dictu horrenda, quam ex Græcorum Annalibus *Baronius* refert ad an. 648 n 15. Tom. VIII. Annal. p. 405. *quod Theodorus Papa plenitudine convocata Ecclesia ad sepulchrum verticis Apostolorum accesserit, & divino calice expostulato ex vivifico sanguine in atramentum stillaverit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati fecerit.* Alia exempla eorum, qui atramentum sanguine Christi eucharistico dilutum in subscriptionem adhibuerunt, recenset *Mabillon* de Re Diplomat. lib II. c. 22. p. 170. In Romana Ecclesia etiamnum quoque intinctio quædam observatur, qua sacerdos hostiæ trifariam fractæ particulam unam in calicem immittit, & vino sacro intingit, sed ritus iste solos sacerdotes concernit, altera autem intinctio in usum communicantis populi erat. Vide contra istam sacerdotum intinctionem *Dallæum* de Cultibus Latinor. lib. III. c. 27. p. 439. seq. quem & de subscriptione sanguine Eucharistico facta vide lib. VII. c. 29 p. 955.

vandos, consistebat in hoc, quod nonnihil consecrati vini, duas vel tres guttas, in Calice servabant, & vinum aliud infundentes, populum sic sanguinis Dominici participem reddebant. Ita ait *Durandus*, qui decimo tertio seculo vixit & scripsit, *Rational. Divinor. Offic.* lib. IV. c. 42. p. 172. b. *In quibusdam locis post sumptionem corporis & sanguinis Christi aliquid de ipso sanguine reservatur in calice, & superinfunditur vinum purum, ut ipsi communicantes inde sumant.* Pari ratione *Cistertienses* & quidam alii, memorante *Astexano* lib. IV. tit. 17. quæst. 3. *post sumtionem corporis & sanguinis dimittunt ibi aliquid de sanguine, ut infundatur vinum purum, & postea communicantes aliquid inde possint sumere.* Et *Carthusienses*, quemadmodum ex *Panormitano* docet *Calixtus* de Comm. sub Utraque p. 294. *apponunt modicum de vino in calice post consecrationem, ut sufficiat omnibus fratribus, qui debent communicari.* Vestigia ejus etiam in libro, qui *Ordo Romanus* inscribitur, & cujus auctor seculo XI. vixisse dicitur, reperiuntur, ex quo hæc citat *Cabassutius* in Notit. Eccl. p. 31. a. & *Calixtus* l. c. p. 220. *sed ipse Pontifex confirmatur* (hoc est communicat) *ab Archi-Diacono in calice sancto, de quo parùm refundit Archi-Diaconus in majorem calicem, seu scyphum, quem tenet acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur* (id est communicet) *populus: quia vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum sanctificatur per omnem modum.* Existimabant nempe per consecratum non consecrato additum, hoc etiam ipsum consecrari, sive à vulgari usu eximi & soli sacro addici, quod contra *Bellarminum* egregiè *Dallæus* deducit lib. V. *de Cultib. Latin.* c. 25. p. 706. quem refutare ante debuisset *Bossuetus*, quam *Bellarmini* argumentum *Traité de la Communion* part. I. §. 6. p. 83. repeteret. Discrimen tamen intercedere etiam statuit *Durandus* Rational. Divin. Offic. lib. IV. c. 75. n. 12. p. 342. *Dicimus ergo illud, hoc non consecrari, sed sanctificari. Differt autem inter hæc: Nam consecratio est consecratione transsubstantiare: sanctificare est ex contactu, seu administratione sacra rei reverendum & sanctum effici: ut patet in aqua benedicta cui alia admiscetur. Item sanctificatum dicitur, quod à tactu rei sanctificatæ efficitur magis reverendum.* Tametsi igitur ad ablutionem, quam hodie vocant, tra-

hi hæc non posse dicat *Calixtus* libro sæpius citato, p. 220. *quum nemo vinum ablutionis vel sanctificari dicat, vel sanguinem Dominicum appellet, vel eo fideles communicantes confirmari affirmet*, non tamen repugnabit, si consuetudinem istam paululum immutatam ansam dicamus illis dedisse, qui primi *ablutionis calicis* inventores fuerunt. Quomodo enim, ut calix consecratus populo eriperetur, ritus iste fecerit, clarissimis verbis *Casalius* docet, *de Veter. Sacr. Christ. Ritib.* c.19.p.99. quæ necesse erit, ut adscribamus: *Hinc nos apprehendimus ex antiquo Rituali Romano, ut talis difficultas evitaretur, qualiter illi capiebant magnas hydrias, seu vasa vino repleta, & in eadem effundebant partem vini in calice consecrati; ex qua mixtione præbebatur populo communio: sed propter periculum effusionis, & irreverentiæ; ac etiam propter difficultatem aliquorum sumendi communionem sub specie vini ex vasis, in quibus alii prius biberant, maximè tempore suspicionis contagii, successit, quod demum sub sola specie panis acquiescerent.* Varios ut adeo prætextus quæsierint, quibus sacrilegium istud palliare studuerunt. Cui tamen nostræ suspicioni vim non arrogamus invictæ veritatis.

§. XII.

Conjuncta hæc efficiunt, ut conjiciam, *ablutionem calicis* tum demum in Romana Ecclesia locum reperisse, quum stabilita *transsubstantiatione* metus exortus fuit, ne in faucibus aliquid residui esset de corpore Dominico, quod cum expueretur profanaretur; Ut autem liquorem ejusmodi sumendum sancirent, medio seculi XIII. videtur contigisse, postquam inter alios ritus, quos propter effusionis metum paulò ante vel excogitaverant vel renovaverant, hunc omnium commodissimum deprehenderunt, quem ex reliquis ortum, & initio in ægrorum communione inprimis usitatum, palliandis cum transsubstantiationis tum Communionis sub una erroribus prætexerent. Metus enim effusionis tamdiu eos torsit & cruciavit, donec tandem, ut illa se solicitudine liberarent, calicem consecratum Laicis planè adimerent, & ne transsubstantiatæ panis reliquiæ alicubi hærerent, ablutionis poculum sumere eos juberent. Effecit quoque ista formido, ut fistulas adhiberent, illisque sangui-

nem

nem Dominicè poculo tantò tutius hauriri posse crederent. De quibus fistulis, alio nomine *pugillares*, *calami*, *cannæ*, *Pipa*, &c. dictis, Antiquitatis studiosus Lector plura apud *Mornæum* de Euchar. lib. I. c. XI. p. 292. *Bonam* Rer. Liturgic. lib. I. c. 25. p. 473. *Reinesium* Var. Lect. lib. VI. c. 15. p. 397. *Dallæum* de Cultibus Latinor. lib. IV. c. 28. p. 447. inveniet. *Flodoardus* lib. III. Histor. Remens. c. 5. *sumptorii* meminit, quod pro * fistula tali sumi posse *Carolus du Fresne* arbitratur *Glossar.* part. III. p. 1007. Idem sentit *Reinesius* Epistol. LIII. ad *Daumium* p. 142. qui verò mavult legere *suctorium*. Romanus Pontifex, quoties adhuc hodie sacrificat, aureo calamo sanguinem Dominicum cum Diacono & subdiacono è calice sugere solet. Vid. *Hospinian.* Histor. sacram. lib. IV. p. 291. Quod mireris, in nonnullis Ecclesiis Marchiæ Brandenburgensis, (quæ nostra sacra profitentur,) mos iste ex veteri superstitione residuus adhuc est, ubi calici fistula imponitur, per eamque vinum à communicantibus sorbetur ac bibitur. Quem verò meritò abolendum esse rectissimè judicavit *Brunnemannus* Jur. Eccles. lib. II. c. 1. membr. III. p. 317. *quia*

* *Colvenerius* apud *Carolum du Fresne* l. c. sumtorium interpretatur cochlear, quo Græci utuntur in calice sacro, sed quid hoc ad *Flodoardum*, qui Latinus? Confer de cochleari isto *Labida* à Græcis dicto, ejusque usu *Goarem* in notis ad Euchol. p. 152. ubi & formam ejus exhibet. Adde *Ferdinandum Ughellum* Ital. sacr. Tom. VII. p. 1274. *Carolum du Fresne* Glossar. part. I. p. 1034. & quos illic citavit. Cochleari etiam Habessinos vinum è calice haurire Illustris *Ludolfus* noster docet *Histor. Æthiop.* lib. III. c. 6. n. 81. & *Godignus* de Rebus Abessinorum lib. I. c. 35. p. 218. cujus verba lubet adscribere: *Sub utraque specie omnes Eucharistiam sumunt. Ex calice, cui similis capaci pateræ figura est, cochleari hauritur sanguis, & communicantibus porrigitur.* Unde quam verè Cardinalis *Bona* Rer. Liturgic. lib. II. c. 18. p. 869. *apud Abassinos viaticum moribundis sub unica specie panis præberi ex Lucæ Holstenii* duorumque sacerdotum Abessinorum testimonio referat, videre est. Forte *Bona* in Jesuitæ *Tellezii* sententiam descendit, qui in Historia sua Æthiopica lib. I. cap. 39. pag. 97. a. liquorem Habessinorum, quem vini loco adhibent, (quando ejus defectum acinis uvæ passæ aquâ maceratis, supplere conantur, horumque succum exprimentes, loram potius vel passum quam genuinum vinum efficiunt) pro mera aqua habet. & ob id Habessinos deridet, *tanquam volentes communicare sub utraque, communicarent sub neutra.* Quod tamen alii Jesuitæ & nominatim P. *Sandovallus* pium & providum inventum vocant, apud *Ludolfum* Histor. Æthiop. lib. cit. n. 82. Unde & emendabis *Casalium* De Veter. sacr. Christ. Ritib. c. 19 p. 100. scribentem: *Quatenus autem Æthiopes, seu aliæ nationes ausæ sint administrare sacramentum sub specie alterius liquoris, ob vini defectum procedentem in illis regionibus ab excessu caloris: hoc impium est habitum & temerarium, dum extrahunt vinum artificiale ex racemis aridis, & in ardenti aqua decoctis: quæ materia cum non sit apta consecrationi, est quoque destructiva essentiæ sacramenti.*

particularis sit, extraneos offendat, & nihil, quod piam meditationem suggerat, habeat. Et hi canales, quanquam insiriti, partem faciebant scyphorum, quos *Ministeriales Calices* appellabant, de quibus præter ea quæ *Casalius* de Veter. sacr. Christ. Ritibus c.XI. p.86. habet, adscribam insignem locum, quem ex pientissimi Principis Anhaltini *Georgii* concione II. de sacram. Altar. p.195. *Henricus Rixnerus* de Veter. Ritib. circa Euchar. c.IIX. §. 1. p.118. adduxit, (nam in editione Operum Principis Germanica Francof. 1561. p.140.b. non ita plenè hæc habentur,) & qui aliquid etiam de nostra calicis ablutione complectitur: *Etiam Laicis*, inquit, *porrectum esse calicem testantur amplissimi Calices, qui in multis reperiuntur monasteriis, basilicis, & Parochialibus templis, quorum aliqui etiam ansas habuerunt, ut in communione populi commodius apprehendi & teneri possent: sicut talem & hic Marsburgi adhuc habemus. Tali forma & amplitudine quid fuisset opus, si pro solis facti essent sacerdotibus. Ostendunt hoc & argentei illi ac deaurati canales, qui in multis basilicis, monasteriis parochiis extant, quales ipse vidi in templo summo & parochiali Magdeburgi; item in Monasterio Gratia Dei, in Monasterio Colbeicensi, per quos olim suxit populus sanguinem Domini ex calice, ad evitanda effusionis pericula. Nunc eorum usus est in ablutione Communicantium.* Ut sic & instrumentum habeamus, quo alicubi bibendo *calicis ablutionem* utuntur. Videri autem *Princeps* posset locutus esse de fistulis, quasi his Romani nunc in *ablutione Calicis* uterentur, sed non hæc ejus mens est. Neque enim ad sumendum vinum commune, quo os abluunt, pugillari apud Latinos utuntur communicantes, neque opus etiam est: Nulla quippe illis religio est, hujus vini aliquid inter sumendum effundi & in terram effluere. Loquitur igitur *Anhaltinus Princeps* de Calicibus Ministerialibus, quorum nunc usus sit in *calicis ablutione* sumenda. Id quod *Guilielmus Lindanus*, doctus etsi sæpe vehemens nimis Romanæ Ecclesiæ Theologus confirmat *Panopl. Evangel.* lib.IV. c.36. p.342. *Habet & Monasterium Thabor & Berghum poculum simile* (calicem ministerialem) *sed argentea fistula, veterem in ritum factum, quo post communionem & hodie utuntur.* Explicat sic alter alterum.

§. XIII.

§. XIII.

Fieri quoque potuit, ut *Waldensium*, qui tum temporis Romanæ Ecclesiæ corruptelas hinc inde reprehendebant, pertinaciam, maximè simpliciorum, ista fraudulenta potione expugnare studuerint, quemadmodum & multis ex nostra communione hominibus imponere Papistas hoc ablutorio poculo solere inaudivi. Fortean etiam, ut de ejusmodi remedio adversus transsubstantiati panis profanationem cogitarent, exemplum D. *Chrysostomi* aliquid contulit, qui suos, postquam corpus & sanguinem Dominicum in S. Eucharistia accepissent, sumere aliquid jussit, ne irreverenter præter mentem cum saliva aliquid expuerent apud * *Sozomenum* Histor. Eccl. lib. VIII. cap. 17. *Quod monere ille consueverat*, *ut post communionem* (panis & vini, non ut hodie fit, solius panis) *aut aquam aut pastillum degustarent; ne contra voluntatem una cum saliva sive pituita quicquam sacrum excrearent, ipse prius id faciens*. Non enim novum est, factum unius atque alterius, quod in prima olim Ecclesia contigit, postea errantibus exemplo vel subsidio fuisse. Videtur autem *Chrysostomus*, ut id facere suos juberet, inde cumprimis desumpsisse, quod Veteres constat provide admodum

* Ita quidem citat *Iohannes Baptista Casalius* de Veter. Sacr. Christ Ritib. c. XIV. p. 91. Fateor autem, me nec in elegante *Valesiana*, nec in *Frobeniana* Basiliensi editione quicquam (ne in toto octavo libro, quo *Chrysostomi* res *Sozomenus* recenset) invenire potuisse. Fides igitur penes auctorem esto. *Amalarius* certe epistol. ad Guntard. Tom. VII. *Spicileg. Dacher.* p. 168. legem illam de non exspuendo suo, id est, nono seculo latam nondum vel cognitam fuisse satis significat, cum non inficietur, se aliquando *illico post consumptum sacrificium spuere, neque tamen peccare*. Et speciatim de *Chrysostomo* fidem facit *Dallaus* in Patrum scriptis versatissimus, *de minuta illa Latinorum circa hostia lingua versanda moram & curam, & à spuendo abstinentiam Philosophia, neque Chrysostomum, neque quenquam de puriori antiquitate alium scriptorem quicquam præcepisse*, de Cultib. Latinor. Lib. VI. c. 1. p. 728 Ut communionis participes facti ab omni alio cibo paulum se abstinerent, & orationibus jejuni vacarent, invenio S. *Chrysostomum* Homil. XXVII. in 1. Cor. p. 567. suis suasisse, non tamen præcepisse: subjicit enim post datum de jejunio consilium: *Quid ergò, oportetne jejunare, postquam acceperis? Non hoc dico, neque te cogo. Nam est quidem hoc quoque bonum; sed non ad hoc vim tibi facio*. Non ita *Pseudo-Clemens* II. Papa in Epistol. ad Jacob. apud *Blondell.* Pseudo-Isidor. p. 61. cujus hic l. c. est imperativus: *Si mane Dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam consumpserunt. Et si tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperam*. Adde, qui ad *Clementis istius* auctoritatem & præceptum provocat, *Humbertum* Cardinalem in Disputatione adversus Græcos, quam Appendicis loco XI. Annalium Tomo *Baronius* adjecit. p. 803. b.

modum caviſſe, ne ſancta panis & vini ſymbola irreverenter haberentur. Non quaſi eſſentialem aliquam illorum transmutationem crederent, quam priſcæ & purioris Eccleſiæ Patres non credidiſſe dudum à doctiſſimis viris *Mornæo* de S. Euchariſt. lib. IV. c. 4. p. 1507. ſeqq. & hujus adverſus *Perronium* Vindice *M. Antonio de Dominis* de Republ. Eccleſ. part. 2. lib. 5. c. 6. p. 81. ſeqq. *Forbes*. Inſtruct. Hiſtor. Theol. lib. XI. c. 9. p. 561. ſeqq. aliisque plurimis (quorum citatione Lectori nolo moleſtus eſſe) evictum eſt; ſed quoniam Euchariſtia res omnium ſanctiſſima ſit, quam negligere atque in externis etiam inſuper habere nemo debeat. Quem quoque in finem cum communicantes tum ſacerdotes ſoliciti admodum erant, ne quid de ſanctificato pane decideret, neve vini quicquam deſtillaret. *Tertullianus* de Corona Militis cap. III. p. 180. *Calicis aut panis etiam* * *noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur.* Poſt hunc *Auguſtinus* libro L. Homiliarum XXVI. Tom. X. Opp. p. 326. *Quanta ſolicitudine obſervamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat.* Et hoc prior *Origenes* Homil. XIII. in Exodum Tom. I. Opp. p. 114. *Volo vos admonere religionis veſtræ exemplis. Noſtis, qui divinis myſteriis intereſſe conſueſtis, quomodo cum ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela &* * *veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat.* Quod, credo, occaſionem poſterioribus ſeculis dedit, metum effuſionis tantò magis extollendi. Quemadmodum videlicet veræ ac ſinceræ Antiquitatis ſtudioſis notum eſt, plurimis ejus-

* *Pamelius* in notis putat hic agi de conſecrato pane, ſed contra *Salmero* & verius Tom. IX. Comment. in N. T. tract. XXI. p. 147. *Majores noſtri, ut Tertullianus eſt autor, etiam communem & uſitatum panem, ob id quia Euchariſtiam aliquo modo repræſentaret, reverenter tractabant, & ſi in terram cecidiſſet, elevatum exoſculabantur.* Ubi tamen Jeſuita de oſculo quædam attexit, de quibus nemo unquam & ſic nec *Tertullianus* cogitavit. Colligit autem l. c. *Tertullianus* à minori, quod dicimus, ad maius, quod nec ſuum, nedum Domini panem in terram patiantur decuti. Facit nobiscum Cardinalis *Bona* Rer. Liturgic. lib. I. cap. 23 p. 395. nec non *Rigaltius* doctiſſimus in *Tertullianum* Annotator in notis p. 28.

* Utrumque vocabulum dubitat *Chamier*. Panſtrat. Cathol. part. IV. lib. VII. c. 1. §53. p. 169. an ſit ab Interprete Latino, quia Græcum εὐλάβεια & cautelam ſignificet & venerationem, quam utramque homonymiæ partem non veroſimile ſit, Interpretem appoſuiſſe. Quæ ſuo nos loco relinquimus.

ejusmodi Veterum consuetudinibus abusos postmodum Pontificios fuisse ad incrustandos suos errores. Servârunt multa Veterum instituta, sed neglexerunt atque immutarunt illorum finem ac scopum. In hac ipsa erga S. Eucharistiam reverentia quot quantisque passibus à Vetere Ecclesia nova Roma absit, nemo non videt. In illa *Transsubstantiationis* nomen vel dogma inauditum fuit, multo minus de ejusmodi metu effusionis cogitârunt, qui Communionis sub una mater fuerit. Romanenses autem Veteris Romæ degeneres filii sapientiores fuerunt suis Antecessoribus, eosque veneratione ac cultu erga Eucharistiæ symbola superârunt. Scilicet! Quin ipse Dominus noster Jesus Christus his prudentia inferior fuit, quod sacramentum corporis & sanguinis sui sub utraque institueret, nec videret, quæ nostri homines effusionem metuentes postea viderunt. Velle autem nos plus sapere, quam Christus sapuit, est summopere desipere. Olim in primitiva Ecclesia per aliquot secula singulis Dominicis omnes, quotquot cœtui interessent, pueruli etiam atque infantes, communicabant, (ubi certè majus effusionis periculum fuit,) nec sibi tamen ab ea metuebant. Et cur Papistæ in hac parte adeo soliciti sunt, in altera verò, panis nimirum benedicti, nihil metuunt? *Nos Romani*, inquit *M. Antonius de Dominis* ipse non Romanus *de Republ. Eccl.* part. II. lib. V. c. 6. §. 282. p. 297. *graviori & certiori periculo exponimus corpus Christi*, (*quod nos corpus Christi reale esse putamus*) *dum ipsum sub specie panis in pixidibus & tabernaculis diu includimus, ubi extra usum sacramenti, panis ille tantum est, & forte ne sacramentalis quidem amplius, ut ibi à muribus sæpe, sæpissime à tineis rodatur & consumatur; quo in casu cogimur asserere intra viscera muris verum & reale Christi corpus tantisper condi, dum species illæ perdurant, quæ est major absurditas & irreverentia, quam si casu aliquid sanguinis in terram decideret, ubi potest aut colligi, aut lambi, aut tergi, & exsiccari, ne conculcetur.* Et hæc nunc occurrerunt loca *ablutionis calicis* indicia. De qua quid nobis videretur, in occasione exponendum duximus, quibus alioquin hîc satis esse poterat ostendisse, quòd *Henricus*

ricus VII. cum sacra synaxi uteretur, bibendo calicis ablutionem intoxicatus fuerit. Quo facile, ut speramus, impetrato, permittere cuivis possumus, ut quoad cætera sententiam nostram aut probet, aut rejiciat, gratias etiam habituri, si nostra meliorem protulerit. Forte erit aliquando tempus, quo pluribus libris instructi plura etiam ac præstantiora hac de re docere poterimus.

FINIS.



INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Constitueram Humanissime Lector, indicem Auctorum, quibus in conscribenda hac Dissertatione usus fui, hîc attexere, sed quæ in aliis prolixum me ex voto esse vetuit typographi festinatio, hîc quoque consiliis meis obstitit. Certum te tamen esse jubeo, in quibus inopiam ipse fassus non sum, optimos quosq; codices me secutum esse, quos cum dives Jungiana & nostra Oppidana Bibliothecæ largitæ mihi sunt, tum aliorum Clarissimorum Virorum benevolentia gratiosè suppeditavit. Indicem verò rerum exhibeo sequentem brevibus.

pti

Marca.

N.

O.

P.

S.bi

T.

U.

W.

Monendus adhuc es, Honoratissime Lector, priusquam missum Te faciam, copiam *Miscellaneorum Historicorum Regni Bohemiæ* auctore *Balbino* Jesuita Pragæ An. 1682. editorum, (queis me carere pag. 240. dixi) nunquam satis laudati *Speneri* nostri benevolentiâ mihi factam fuisse, in quibus verò ut. XXXV. p. 64. nihil ejus, quod *Bzovius* de *Carolo* IV. memoravit, reperire potui. Nequaquam igitur audiendus *Bzovius* est, sine teste scilicet locutus id, quod sciri sine teste non potest. Errata tandem rogaris, optime Lector, sequentia corrigere: pag. 22. & 23. post *secundus* dele comma. p. 39. *scriptuum* lege *scriptum*. p. 45. *vaga* lege *variata* 54. *Cadomensis* lege *Condomensis*. 55. *ipsimet* lege *ipsamet*. 103. *fuisset* lege *fuisse*. 93. IX. lege V. 97. *discernerent* lege *decernerent*. 145. *Raumbergerus* lege *Raumburgerus*. 147. *horem* lege *honorem*. 155. *dundaxat* lege *dumtaxat*. 177. *ab* lege *ob*. 178. *Primos* lege *Primus*. 200 *Herorum* lege *Heroum*. 209. *synchronismum* lege *parachronismum*. 216. *dysent etiam* lege *dysenteriam*. Reliquis, quæ vel diligentiam meam fugisse, vel currente calamo preloque adverteris errata, deletilem spongiam benigna manu, precor, adhibeto.



